



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

R. 237442

SEBASTIANI FOX-
ij Morzilli Hispalensis, in
Platonis Timæum Com-
mentarij.

1 (38)

F31.5

Ad illustrissimum ac reuerendissimum D. FRAN-
CISCVM BOVADILLAM Mendozam Car-
dinalem, & Episcopum Burgensem.

*Accessit locuples rerum & uerborum in iisdem memo-
rabilium Index.*



Cum gratia & priuilegio ad quin-
quennium.

BASILEAE, PER IOAN-
nem Oporinum. "

ILLVSTRISS> ET REVERENDISS> D.
D. FRANCISCO BOVADILLÆ MENDOZÆ, BUR-
genſi Epīſcopo, & S. Ro. Eccleſiæ Cardinali, SEBAſTI-
ANVS FOXIVS Morzillus Hiſpalenſis
S. D. P.



A fuit ſemper meorum ſtudioꝝ ratio, Præſul illuſtriſſime, ut ſi quid unquam noſter in diſciplinis labor induſtriaꝝ poſſet, id omne ad communem ſtudioſorum omnium utilitatem referendū eſſe putarim. Nam ſi eruditus uir ſibi nō ſolum prodeſſe debet, ſed publicis etiam ſtudijs cōſulere: proſectō docti probiq; eſt, doctrinæ ſuæ commoda cum omnibus communicare uelle: nec odio, aut negligētia, dummodo aliquid poſſit efficere, ſuam operam alijs denegare. Et quidem ſi omnia uirorum doctozum ſtudia, præterquā quod animum illuſtrant & delectant, ad publicam commoditatem referuntur: ecquid nam magis exoptā dum cuiquam eſt, quā ut multos induſtria ſua iuuare & uelit, & poſſit? aut quid ei glorioſius poteſt cōtingere, quā ut finem illum, ad quem ſtudia laboresq; ſuos dirigit, confequatur? Quapropter cum in eam rem ego cogitationes omnes meas, ſtudioꝝq; inſtitutum conferrem, non quod uel gloriæ aliquid inde ſperare uellē, uel quod plus alijs efficere me poſſe conſiderem: conatus ſum equidem, quanta maxima potui cura, diligentia mea & ſtudio quā plurimōs iuuare: tum ut illo laboris mei quaſi præmio mihi ſatiſfacerem, tum ut meo inſtituto munere fungerer. Qua in re tametſi permulta mihi cupienti ſeſe offerebant, in quibus meam operam ponere potuiſſem: malui tamen ad antiquozum auctozum aliquot ſcripta, quæ difficilia uidebantur, animum adiungere: ut non alijs tantum conſulerem, quantum ut meæ quoq; induſtriæ fructum aliquem perciperē. Nam ſi quod ego ingenij mei inuentum proferre, aut ab alio quicquam acceptum, literis denuō mandare, id quod multi ſolent facere, ſtatuiffem, inanis certē parumq; utilis labor noſter fortāſſe uideretur: cum tot extent antiquozum recentioꝝq; præ-
a 2 clare

EPISTOLA

clarè scripta, quæ uix longa ætate quisquam possit perlegere. Ergo cum aliquam philosophiæ studijs, ut cetera taceamus, nauasse operam uideamur, tempusq; aliquod in Platonis, Aristotelis, & aliorum philosophorum lectione consumpserimus, permulta quidem obscura, nec satis adhuc explicata esse in philosophia uisa sunt, quæ diligentem alicuius operam desiderarent. Ex quibus unus hic Platonis Timæus, cum omnium, tum ipsius Ciceronis iudicio difficillimus, multos propter difficultatem deterret: & à paucis, ijsq; non parum eruditjs, intelligitur. Tanta enim est in illo uerborum & tractationis obscuritas, tamq; à uulgari philosophorum more diuersa tractandi ratio, ut multi potius poetarum figmenta, quàm diuini philosophi, qualis est Plato, decreta ibi esse putent. His accedunt diuersæ numerorum rationes, musici cōcentus, geometricæ demonstrationes, quibus ille utitur frequenter: tum reconditæ, minimeque uulgaris philosophiæ præcepta, difficilesq; sententiæ: quæ omnia summam difficultatem uel earum rerum pertissimis parere possint. Quid, quod nemo Latinorum adhuc, excepto Chalcidio, qui pauca in priorem libri huius partem scripsit, provinciam hanc Timæi explicandi suscepit: quemadmodum in auctores alios, in quibus nulla ferè est difficultas, longas edunt commentationes. Nam si quæ sunt Græcorum interpretum scripta in eundem librum, nulla profectò inter nos extant, præter unius Procli commentarios, eosdemq; nimis prolixos: qui cum uix mediam dialogi partem interpretentur, adeò tamè longi ac diffusi sunt, ut lectorem potius remorentur, quàm Platonis sententiam exactè declarent. Nec uerò hoc à me dictum existimari uelim, ut hos digna sua laude priuem: nec Proclum, eruditissimum alioqui philosophum, contemnendum propterea censeo. Quanquam enim in Platonis sententia declaranda fuit admodum diffusus, adeò ut lectori moueat fastidium: magna tamen eruditionis uarietate pollet, quā nosse, ad Platonis intelligentiam non inutile fuerit. Cum igitur hæc ita sint, Præsul ornatissime, institutum certè nostrum in hoc libro fuit, ut quādo ea est ipsius difficultas, ut non pauciores philosophiæ studiosos deterreat, quàm præclara eiusdem

dem eruditio adlectionem hortetur, omne meum studium huc contulerim: ueramq; Platonis sententiam interpretari, omisissis Platoniorum quorundam interpretationibus longissimis, decreuerim. In quo etiam cum alios Platoniorum, tum Proclum ipsum, quem supra retulimus, Plotinū ac Plutarchum, philosophos præstantissimos, sequuti sumus. Et quanquam eiusdem Procli fragmenta in hunc ipsum Timæum è Græco trāsferre possem, minus me commodi studio sis allaturum existimaui, quàm si egomet cōmentarios scriberem: cum libri huius pars maxima, longeq; difficillima, careret interpretatione, ac prolixæ illæ Procli commentationes lectorem tædio afficerent. Nos itaq; apum exemplo, nō quàm multa afferri possent, sed quàm utilia, & ueræ interpretationi conuenientia essent, ex multorum auctorum collatione collegimus: & in nostros Commentarios, iudicio adhibito, coniecimus. Quinetiam Aristotelis sententiam cum Platonis decretis, ubicunq; opus est, conferimus: ut utriusq; uera sententia melius declaretur, atq; ut rei propositæ ratio commodius inuestigari possit. Et ut res tota enodatus explicaretur, distinctiusq; singula tractarentur, totum quidē dialogū in quatuor partes secuiimus, earum unicuiq; additis cōmentarijs, & initidō singularum breui quodam argumento tractationis proposito. Adde, quòd ad Platonis intelligentiam, breuem dialogorum, personarum & argumenti rationem, itemq; totius philosophiæ naturali, ex auctoris eiusdē sententia, compendium proposuimus: ne illotis, quod aiūt, pedibus ad recondita libri huius sacra quisquā accederet, sed his nostris Prolegomenis quasi primò initiaretur. Quo nomine, si quid ego uel minus rectè, uel minus aptè in hac Platonis interpretatione dixero, id quod uiam aperienti facile est, danda nobis erit uenia, cum summa rei difficultas excusare nostrum errorem possit. Nam res quidem difficiles sine alterius exemplo uelle aggredi, quamuis non ita ex uoto succedat, atq; si aliorum sequutus sis uestigia: tamen, ut Poeta inquit, Laus erit in magnis, & uoluisse sat est: præsertim cum hanc nos Timæi interpretationem exactè absoluere, quod nemo adhuc Latinorum tentauit, ausi fuerimus. Etenim si

EPISTOLA

ueteres illos Academicos, libri huius interpretes, qui penè innumerabiles fuerunt, haberemus, & ab hoc ego labore leuari possem, & inanis esset aliorum studijs consulendi nostra cupiditas. Nunc uerò, cum omnes, exceptis unius Procli fragmentis, diuturnitate temporis interierint, nullaq; sit huius tam utilis, tamq; obscuri libri lux à quoquam allata: audendum mihi fuit in hac parte, ut quod ingeniū & eruditio nostra præstare non posset, consulendi alijs desiderium diligentiaq; suppleret. Itaq; pro eruditis illis Ammonij, Porphyrij, Amelij, Numenij, Tauri, Iamblichi, cæterorumq; Platonico- rum, qui feruntur in hunc librum scripsisse, commentarijs, mei nunc breuiiores, inferioresq; multo accipientur. Atq; utinam Mathematicarum illud compendium, quod à Theone desumptum ex hoc libro, aut collationem Platonis cum Aristotele, quam fecisse Proclū narrat Philoponus, haberemus: aut extarent integra Galeni commentaria de placitis Hippocratis & Platonis: aut liber ille, qui de ijs quæ medicè à Platone dicta sunt, inscribitur: profectò nec tam ego hanc interpretationem difficilem iudicarem, nec eiusdem intelligentiam tam multi studiosi requirerent, cum ab ijs uiris doctissimis iuuari omnes possemus. Sed in hac tanta magnorum interpretum iactura non inutilem fore nostrum laborem existimo: cum iam deinceps ad huius libri mysteria, quæ in profundo hucusq; demersa uidebantur, studiosi possint liberius accedere. Quæ cum ita sint, Pater amplissime, librum quidē hunc, à me summo studio nuper elaboratum, sub tuo nomine prodire in lucem uolui: ut qui communi studiosorum omnium utilitati conscriptus sit, ei uiro dicetur, qui doctis omnibus fauere nunquam desinat. Atq; huius sanè tibi dicandi eo iustior causa fuit, quòd tu omnes, non dico nostrates, id est Hispanos, sed alios quosque nationum exterarum doctissimos, scientia, elegantia, bonitate, benignitate, præstantiaq; superes. Nam si tuam ego doctrinam, bonarumq; omnium artium, ac philosophiæ, & sacrarum literarum cognitionem, quæ apud omnes, quicunq; literas & te norunt, uno ore celebrantur, commemorare uellem, nec tenuitas orationis meæ magnis tuis laudibus dignum quicquam efferre posset,

N V N C V P A T O R I A :

set, nec præfationis angusti fines me longius euagari permetterent. Commodius igitur est, de tuis istis uitæ ornamentis me nunc conticescere, quàm te digna laude non afficere: quæ præclaræ animi dotes, familiæ amplitudo, fortunæ summa conditio, & cõiuncta probitati magna doctrina illustrèt, & uirorum doctissimorum literæ testimoniaq; commendent. Quamobrem accipies tu quidem Pater ornatissime, laborem hunc nostrum eo animo, quo reliquorum studijs fauere soles: ac pro summa tua eruditione eundem illum, qui se tuo iudicio committit, recognosces, qui non minus censura tua confirmari, quàm dignitate atq; ornamentis illustrari cupit. Nam laudari quidem à laudato uiro, multum esse ille dicebat: at ego, non laudari, sed uel probari à te nostras lucubrationes, plurimi profectò faciam. In quo tamen nollem à me istam eloquentiam tuam minimè uulgarem, & lucem orationis postulari, cū in re magis explicanda sollicitus, quàm in uerbis fuerim: nec philosophiæ tractatio tam elegantem & ornatam, quàm apertam & significantem orationem desideret. Quod si ergo meum tibi scriptum, Præsul clarissime, pro summa tua eruditione ac iudicio probari uidero, haud equidem amplius uerebor, ne idem omnibus doctis placere possit.

Vale.

AUTORUM, QUORUM LOCI IN

his Commentariis uel citantur, uel explicantur,

Catalogus.

Alex. Aphrodisæus	Eustratius	Orpheus
Alcinous	Eutocius	Orus Apollo
Amelius	Galenus	Ouidius
Ammonius	Georg. Plethon	Panætius
Apuleius	Greg. Nyssenus	Philoponus
Aratus	Hebræorum Rabini	Phornutus
Archimedes	Heraclides Ponticus	Plato
Aristander	Hermias	Plinius
Aristoteles	Hesiodus	Plotinus
Arpocratio	Hippocrates	Plutarchus
Atticus	Homerus	Pomp. Mela
Auerroes	Horatius	Porphyrius
Auicenna	Iamblichus	Priscianus Lydus
D. Augustinus	Iustinus historicus	Proclus
Bessarion	Iustinus Martyr	Psellus
Boetius	Lactantius	Ptolemæus
Chalcidius	Longinus	Seneca
Cicero	Lucretius	Simplicius
Cleomedes	Macrobius	Seuerus Platonicus
Cor. Celsus	Marsilius Ficinus	Strabo
Crantor	Mart. Capella	Suidas
Damascius	Merc. Trismegistus	Themistius
Diodorus Siculus	Moses	Theodorus Asineus
Diogenes Laertius	Nemesius	Theod. Gaza
Dionys. Areopagita	Nic. Copernicus	Theon
Dioscorides	Nicomachus	Theophilus Protosp.
Empedocles	Numenius	Theophrastus
Euclides	Olympiodorus	Timæus Locrus
Eusebius	Origenes	Vitellio.

SEBASTIANI FOXII MORZILLI

HISPALENSIS IN TIMAEVM PLATONIS Prolegomena.



INITIO cuiusq; librorum interpretationis proponi hæc à multis solent, Auctoris uita, libri interpretandi titulus, institutū auctoris, modus & character dicēdi, œconomia

orationis, ac demum quid in eo differatur. Hæc quia utilia, cognituq; pulchra sunt, partim à nobis explicabuntur, partimq; omittentur. Qua de causa cum Platonis uita latius apud Diogenem Laërtium, aliosq; scripta extet, atq; huius libri inscriptio satis nota sit omnibus, in his multum immorari minimè necesse est: solum illa ad dialogi huius interpretationem explicabimus, quæ huic rei maxime conuenire uideantur. Itaq; primò totius dialogi argumentum breuiter exponemus, tum institutum eiusdem, stilum, orationis genus, postremò œconomia et ordinem. Sed ante tamè quàm hæc à nobis explicetur, ad planiorem huius libri intelligentiam, cæterorumq; Platonis dialogorū, hæc nos introductionis causa breuiter proponamus: Quid sit dialogus, quot sint eius formæ apud Platonem, tum qua de causa is dialogos scripserit, item quibus personis utatur, & quem argumentandi modum sequatur potissimum.

QVID SIT DIALOGVS.

Dialogus, ut res ipsa indicat, cōfabulatio quædam est inter duos, uel tres, plures uel instituta, ad differendum de re aliqua proposita. Hunc Diogenes Laërtius in uita Platonis sic definit: ἔστι δὲ διάλογος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περὶ τινὸς τῶν φιλοσοφικῶν καὶ πολιτικῶν, μετὰ τῆς περὶ τὴν ἀποποιήσεως τῶν παραλαμβάνοντων προσώπων, καὶ τῆς κατὰ τὴν λίαν κατασκευῆς.

QVOT SINT DIALOGORUM Platoniorum formæ.

Diogenes Laërtius duo ponit dialogorum omnium Platoniorū quasi capita, ad quæ cuncti reducuntur, ὑφηνικῶν γένος, & ζήτητικῶν. quorum illud in hæc genera diuiditur, θεωρηματικῶν & πρακτικῶν. Ac θεωρηματικῶν rursus complectitur Physicam, & Logicam: πρακτικῶν uerò, Moralem, & Politicam. Iam uerò ζήτητικῶν formas bas sub se habet, μαευτικῶν, πειραστικῶν, ὑποθετικῶν, ἀναπρεπτικῶν. Ad unāquamq;

harum omnium formarum dialogi omnes rediguntur. nam ad Physicam refertur Timæus: ad Logicam, Politicus, Cratylus, Parmenides, Sophista: ad Ethicam, Apologia Socratis, Crito, Phædo, Phædrus, Symposium, Menexenus, Clitopho, Epistola, Philebus, Hipparchus, Amatores: ad Politicam, libri de Rep. ac de Legibus, Epinomis, Atlanticus: ad μαευτικῶν, id est inquisitorium pertinet Alcibiades, Theages, Lysis, Laches: ad πειραστικῶν, id est tentatiuum, Eutyphro, Meno, Io, Charmides, Theætetus: ad ὑποθετικῶν, id est demonstratiuum, Protagoras: ad ἀναπρεπτικῶν, id est dehortatoriū, Euthydemus, Hippiæ duo, & Gorgias. Hæc igitur sunt Platoniorum dialogorum genera, in quibus illi uersantur.

CVR DIALOGOS SCRIBAT Plato.

Plato, Academicæ disciplinæ institutor, Dialogis sua dogmata scripsit: quoniam is facillimus est, commodissimusq; scribendi modus. in eo siquidem interrogationibus, responsionibusq; mutuis res magis illustratur, nullusq; dubitandi locus relinquitur. Ideoq; in plerisq; dialogis post exordium, & occasione disputationis, rem de qua est dicturus, proponit: deinde argumēta in utraq; partem adducit. Ex quibus ea quæ refelluntur à personis, sub quibus loqui ipse solet, falsa sunt: quæ uerò contrā ab illis ipsis opponuntur, uera, & à Platone iudicata. Atqui hic est Academicorū docendi modus. At uerò Peripatetici, post quæstionē propositam contraria refellunt argumenta, deinde sua proferunt, ultimò concludunt id quod statuunt.

QVIBVS NAM PERSONIS uti Plato soleat.

Duo sunt personarum genera, sub quibus loqui Plato solet in omnibus dialogis. Vnum est eorum, sub quibus sententiam suam profert: ut sunt, Socrates, Timæus, hospes Atheniensis, hospes Eleates, Parmenides: nunquam enim nomē suum indicat. alterum autem illorum, sub quibus falsa obijcit dogmata: ut sunt Thrasymachus, Callicles, Polus, Gorgias, Protagoras, Hippias, Euthydemus, cæteri; alij, quos Socrates refutans inducitur.

ARGVMENTANDI MODVS, quo uti solet Plato.

Duplex est argumentandi modus à Platone frequenter usurpatus, unus ad quicquā asserendū, al-

ter ad refutandum. in utroque, inductione uti plerumque solet. Inductio autem duplex est: uel ex repugnantia, uel ex consecutione deducta. Ex repugnantia quidem, cum respondente cogimus, ut ex his quae dixit, contraria sibi affirmet. quo argumenti genere ad refellendum utitur Socrates. Ex consecutione uero duplex itidem fit: aut ex singularibus ducta, idque cum interrogatione, quae oratoribus quam philosophis frequentior est: aut denique ea quae ex singularibus uniuersale colligit, quae dialecticorum est propria. Hoc igitur ultimo inductionis genere bipartito ad confirmandum, sententiamque suam proferendam utitur Plato. Quamquam non minus omni syllogismorum genere utatur, quam ipse Aristoteles. frequenter enim in disputationibus utitur demonstratiuo, dialectico et sophistico syllogismis, praesertim in hoc Timaeo, qui totus demonstratiuis syllogismis constat, ut res indicat.

ARGVMENTVM TIMAEI.

Quoniam haecenus breuem quandam ad Platonis Dialogos introductionem proposuimus, reliquum est, ut ad huius Timaei expositionem, dialogi argumentum, institutum, ac orationis oeconomiam, ultimo breue totius naturalis philosophiae compendium ex Platonis doctrina afferamus. Itaque argumentum Timaei, ut inde auspicemur, huiusmodi est. Cum in Pireum Socrates Bendidiorum festorum causa uenisset, disputationem ibi de rep. cum Polemarcho, Glaucone, Adimanto, et Thrasymacho, primo solennitatis die suscepit, ut ex libris de Repub. patet. Sequenti uero, in ciuitate apud Timaeum, Hermocratem, Critiam, et quartum quandam sine nomine conuiuio exceptus, eandem disputationem illis enarrauit. Tertio demum breuiter, quae de repub. dixerat, cum illis repetit: Timaeumque hortatur, ut de natura aliquid disputet. Is igitur, Socratis hortatu, ab uniuersitatis exordio usque ad hominum et aliorum animalium generationem differit. Quo nomine cum de rep. diebus praecedentibus Socrates, et alij disputassent, dialogi exordium inde capitur. Quo in libro Timaeus, sub quo loquitur Plato, Socrates, Critias, Hermocrates introducuntur: quartus autem ille sine nomine, qui praecedentis diei disputationi interfuerat, hic omittitur. Cum autem Timaeus hic inducitur, minimè quidem putes eum Socratis, Platonis uel tempore fuisse, sed longe antè. Nam, ut Macrobius lib. 1. Saturnal. docet, Timaeus et Parmenides Socrate antiquiores fuisse, et tamè ambo cum Socrate disputare finguntur à Platone: siquidem ille in hoc dialogo, hic rursus in Parmenide inducitur. Quamquam M. Cicero

lib. 5. de Finib. ad Timaeum inquit Locros Platone peruenisse, Pythagoricae disciplinae causa. Vicumque tamè sit, hinc constat, sermonem hunc Timaei de natura sumptum esse à Platone ex libro ipsius Timaei de Vniuersitate, qui lingua Dorica scriptus extat. Iam uero, Timaeus hic, qui magnam habere uidetur cum Parmenide consensionem, differt quidem ab eo, quod Parmenides genera omnium diuinorum completitur: Timaeus uero naturalia. In utroque tamen Pythagoram Plato sequitur. in illo enim Parmenides, Zenonque Eleates, Pythagorici introducuntur: in hoc uero, Timaeus. Item ut in Parmenide de diuinis agens, ut Deo, ideis, ad naturalia descendit: ita in Timaeo de natura differens, ad diuina ipsa conscendit. Demum in Parmenide totam Theologiam complexus est, in Timaeo Physicam. Quam ob causam libri huius institutum esse constat, de rerum natura differere, causasque uniuersi generationis exponere. Subiectum uero eiusdem est, ipsa Physica tractatio.

OECONOMIA TIMAEI.

Quando huius dialogi institutum à Platone positum id est, ut de rerum natura differat, communem docendi ordinem idem secutus, primò rerum uniuersalium causas et principia, tum effectum uniuersi, eiusque partium docet, usque ad hominis ceterorumque animalium generationem. Quapropter totum quidem dialogum in quatuor partes diuisimus, in quarum singulis diuersas res tradi à Platone iudicauimus. Nam in prima breuem de rep. tractationem ex libris de Rep. sumptam praeponit, ut eam rerum naturalium narrationi accommodet. In secunda, intelligibilia rerum initia statuit, ab hisdemque corporum omnium ortum deducit. In tertia mundi, et eius partium constitutionem corpoream explicat. Ultimo hominis, aliorumque animalium communem ortum. Qua in re à Platone differt Aristoteles, quod ex aeternis rerum naturalium tractationem eandem tradidit, quam Plato breuiter et concise. cum enim hic de elementorum mixtione, metallis, lapidibus, animalium ortu, de somno, insomnijs, respiratione, corporis humani partibus, causis, et remedijs morborum breuiter edisserat: ille contra dicatis in eam rem integris libris, illa eadem explicuit. Itaque haec à Platone breui compendio de uniuersitate rerum tractantur. Quintum etiam genus orationis, et dictionis modus, quo in hoc libro Plato utitur, similis est reliquorum Dialogorum, hoc est, sublimis, et copiosus: in quo frequenter allegorijs et translationibus utitur, ad res naturales explicandas. Idem praeterea genus demonstratiuum est: in eo siquidem perpetua quaedam

dem narratione tota Physicæ tractatio exponitur: nullisq; argumentis inter se collatis, ut in alijs Dialogis, Plato utitur. Qua in re Pythagoram potissimum sequitur, & illius exemplo physicam mathematicis adiungit, numerisq; ac geometricis figuris pleraq; docet: quoniam utriusq; disciplinæ sacultas inter se maxime conuenit, ut nos etiam postea docebimus.

DE PHILOSOPHIAE diuisione.

Philosophiam omnem Plato in tres partes diuisit: Naturalem, quæ de rerum naturalium causis differt: Moralem, quæ de hominum moribus, uitæq; institutione: Logicam, siue rationalem, quæ de sermone disputat. Vnamquaq; illarum trium partium in diuersis dialogis complexus est, quantum eas persæpe cõfundat. sed naturalem in hoc Timæo docet: siquidem huius institutum est, uniuersam naturæ uim explicare. In quo certè eundem ferè ordinem, quem Physici alij, sequitur: quando à primis omnium initijs, usq; ad rerum singularũ generationes tractatione deducit. Ergo ut nos singula breui compendio proponamus, quid in unaquaque re Plato censuerit, seruato doctrinæ ordine, tradamus. Primo enim, illius de principijs naturalibus sententiã exponemus: tum de mundo, eiusq; partibus: postremo de anima, singulisq; animalium generibus.

DE PRINCIPIIS NATURALIBUS.

Tria sunt apud Platonem rerum naturalium principia: Deus, idea, materia. ex his enim uniuersitatem naturæ ortam esse censet. Deum quidem, mentem quandam separatam, sola ratione comprehensam, unam, infinitam, incorpoream, beatam, cognituq; difficillimam putat esse. Ideam, formam incorpoream in Dei mente uelut exemplar insitam, ex cuius imagine formæ omnes rerum fiant, æternã, atq; eandem cum Deo ipso ponit. Materiam, subiectum esse quoddam incorporeum rerum omnium corporearum, & quasi locum formarum capacem asseruit, quæ cum uerè non existat, adulterina quadam ratione intelligatur, quatenus potestatem quandam habet diuersas formas recipiendi. Hanc æternam, infinitamq; non magnitudine, sed tempore uocat. Ex his tribus initijs ita effici uniuersa putauit, ut Deus in ideam sibi insitam aspiciens, materiam informet, inductaq; illi forma, uniuersitas cõstituatur. Eadem autem hæc initia ratione quadam inesse intelligit, quod uniuersitas composita sò ex illis uideatur, quamuis composita tempore ali-

quo non sit. ideoq; tria illa initia ad duo quedã alia communiora reducit: nimirum ad Deum siue ideam, quam communi nomine semper ens nominat: & ad mundum ipsum, quem non ens appellat. Nam duo quidem hæc æterna esse simul asserit, quamuis diuersa ratione tria illa tradita principia in ijs considerentur, quatenus mundus compositus est, nec à seipso potuerit idem cõponi, sed ab alio priori. Qua in re hoc conuenit Platoni cum Aristotele, quod materiam ueluti subiectum posuerit: differt tamen, quod Aristoteles formam uelut causam efficientẽ, ac principium primum asseruit esse: Plato uerò formam siue ideam in Deo statuit à materia seiunctam, Deumq; primum omnium initium tradidit. item Aristoteles priuationem formæ contrariam inter principia naturalia retulit: Plato uerò non ut principium, sed ut formæ absentiam, in materia nuda posuit.

DE CAUSARVM GENERIBUS.

Hæc sunt causarũ genera apud Platonem: Efficiens, id est Deus, materia siue subiectum, finis; hoc est Dei bonitas in efficiendo mundo: exemplar, siue idea, quam ille in mudi effectiõne sequutus est. Has ille causas in mundi constitutione posuit, quod nihil à se fieri, sed ab alio, necesse sit. nam eadem ratione, qua mundus factus dicitur, et causæ illius effectiõnis considerantur. Hac in re conuenit cum Platone Aristoteli, quod efficientẽ causam posuit, eamq; tum primam naturã, siue primum motorem: tum secundum, hoc est principium motus & status rebus insitum nominauit: quodq; materiam ac finem adiecerit. Differt tamen, quod exemplar sustulit, & cum substantiali cuiusq; rei forma uidetur confudisse. Superioribus causarũ generibus tria quoq; alia Plato addit: prouidentiam, fatum, ac fortunam. Ac fatum quidem & prouidentiam, in Deo posuit: fortunam uerò, in rebus inferioribus. Nam prouidentiam, diuinam sententiam esse, conseruatricẽ, esse & tricemq; uniuersi dixit: fatum uerò, legem diuinam, necessitate quadam agentem, quæ nihil sit aliud quàm ipsa prouidentia, necessario efficiens: Fortunam deniq; euentum quendam fortuitũ, præter rationẽ et consiliũ in rebus inferioribus euenientem. Qua etiam in re Plato cum Aristotele planè consentit, præterquam quod hic casum fortunæ adiecit, tanquam cõmuniorẽ euentum omnibus rebus aduenientẽ.

DE MUNDO, ET EIVS partibus.

Mundum æternum esse, simulq; cum Deo semper

b 2 per

per fuisse, Plato existimauit. eundem tamen genitum esse dixit, quatenus cōpositus ex materia & forma sit, nihilq; cōpositum à seipso possit componi, sed ab alio præstatori. Quo nomine Deum inquit, utpote primam causam, ab æterno mundum constituisse, semperq; construere, dum illius materiam informat ad exemplar mundi intelligibilis si bi insitum. Quemadmodum enim lux solis eadem semper cum ipso sole est, tamen ab illo ut à causa procedit: sic mundū à Deo semper processisse existimat. Quoniā igitur à Deo mundus depēdet, genitus Platoni dicitur: quoniam etiam cōpositus ex materia & forma est, principia illius esse materiam & ideam ratione quadam dicit, cum tamen ab æterno idem ipse fuerit. Qua in sententia & Aristoteles & Plato consentiunt, siquidē mundi æternitatē ambo asseruere. differūt tamē, quod Plato æternum esse mundum, factum tamen ratione quadam putauit: Aristoteles autem, omnino æternum affirmauit esse. Iam uerò mundum ipsum unum esse, quia unus sit eius auctor, & ad unius imaginem factus, retulit Plato: itemq; rotundum, quod capacissima, pulcherrimaq; sit rotunda figura: atq; uniuersum, cunctaq; in se cōplectentē: deniq; ætatum, quoniam motu, uitāq; conseruatrice, quam naturam alij uocant, constet. In quo etiā Aristoteles cum Platone planē congruit: quamuis alijs rationibus unitatem, rotunditatem, capacitatemq; mundi confirmet.

DE COELO.

Vniuersitatem ipsam in cœlum, atq; inferiore naturam Plato diuisit. ac cœlum supremā esse mundi partem, & quasi integumentum air: naturam uerò inferiore, median uniuersi. De cœlo autē hanc ille sententiam habuit, ut illud igneæ naturæ esse putarit, quatenus lucidum est. Idemq; duplici motu moueri dicat: uno, raptu primi cœli: alteroq; reliquorum siderum. Cœlorum præterea orbes octo esse putauit: octauum illum extremum, quem ἀπλανῆς, id est inerrantem uocant, Saturnum, Iouem, Martem, Venerem, Mercurium, Solem, Lunam. Solem autē Lunæ proximū collocauit. Hæc omnia sidera suis orbibus infixæ esse, & animā constare, sicut ipsum cœlum uniuersum, atq; in orbem semper moueri affirmauit: ita tamen, ut contrarios cursus inter se conficiat: octauū uidelicet cœlū ab ortu feratur in occasum diurno motu, reliqua uerò septem ab occasu in ortum contrario impulsu, diuersisq; temporibus. Ex iisdem quoq; septem orbibus, Solem, Venerem, & Mercurium, eodē anni spacio moueri dixit: ceteros uerò quatuor inæqualibus interuallis. Quinetiam motum

hunc cœli ex eiusdem anima effici asseruit, quatenus ipsum à se mouetur, ac non ab alio. Item motu illo cœli tempora distingui inquit: siquidem à cœli motu tēporis duratio declaratur. Quam ob causam tempus esse imaginē æternitatis ait: quod hæc perpetuo in statu cum Deo sit, illud autem in continuo cœli motu. Nam æternitas & tempus eandem habent durationē, Platone auctore: præterquam quod æternitas quasi exemplar temporis in Deo sit una & eadem semper, in statu quodā sempiterno & præsentī constituta: tempus autē quasi imago ab illa pendeat, & ex cœli motu cōtinuo et mutabili colligatur. Ergo ut mundus æternus est, factusq; ratione quadā dicitur: ita tempus est æternum, natumq; cum mundo eodem modo, & ad æternitatis imaginem productum. Atqui hæc Platoni de cœlo, eiusq; partibus ac motu, temporeq; & æternitate dicuntur: quibus etiam assentitur Aristoteles, nisi quod cœlū ac sidera igneæ naturæ negauit esse, motumq; illius à primo motore, intelligētisq; orbis. præsidētib; incitari asseruit.

DE ELEMENTIS.

De inferiore mundi natura, quæ cœli ambitu continetur, seu de quatuor elementis, eam habuit sententiā Plato, ut quatuor esse illa putarit, ignē, aerem, aquam, terram: quæ ad imaginem quatuor idearum in Dei mente cōprehensarum facta sint. Vnicuiq; elemento proprias quasdam qualitates tribuit, easdemq; quatuor Geometricarum figurarum generibus explicat. Nam ignem pyramidis figuram habere, propter leuitatem & acumen, ait. Octaedrum aeri attribuit, quod non adeo leuis, sed tenuis tamē, ac mobilis sit. Aquæ icosaedrum, quoniā ea superiorib; duobus densior sit, ac fluat, non tamen leuiter efferatur. Terram cubicæ figuræ, propter stabilitatem ac densitatem, esse dixit: eamq; in medio uniuersi fixam posuit, reliqua uerò tria circa hanc esse circumfusa sub cœli ambitu asseruit. Quinetiam elemēta hæc mutuo inter se cōmutari propter communes qualitates, inquit, ita ut modo in alia atq; alia mutētur, quando ex una eademq; materia constant, formamq; habent inter se simillimam. Qua de causa ad illorum communionem explicandam, eadem inquit elementa ex duobus triangulorum generibus, scaleno, & isoscele, cōponi: ita ut ignis, aer & aqua, ex scaleno fiant, commutato triangulorum numero, & figuræ compositionis: terra demum ex isoscele duntaxat. Atque eo de nomine tria illa elementa inter se solum commutari retulit, hanc autem immutabilem semper permanere. Ex his demum omnibus mundi uniuersitatem cōstitutam esse, unicamq; existere affirmat.

affirmat. siquidem eadem ipsa unico mundi ambitu continentur, rotundamq; figuram habent. In his omnibus Aristoteles à Platone, non re, sed uerbis differt: quamuis figuris illas elementorum tollat.

DE METEORIS.

Elementa omnia inter se perpetuò commisceri, mariaq; mixtorum genera edere, Plato dixit: cuiusmodi sunt, mixta corpora, ut liquores, lapides, metalla, eiusmodiq; alia, quorum generationē Aristoteles libris Meteororum complexus est. Ita-
que non modò simplicium elementorum proprias quasdam uires esse retulit, sed compositorum etiam: ut ignis genera sint, flamma et pruna. itemq; aeris duplex sit forma: una tenuissimi ac subtilissimi, nimirum ætheris: altera turbulenti et nubi, qualis est nostri huius aeris, omnia ambientis. Aquæ itidem genera duo putauit esse: unum humidum, quale est aquarum per terras defluentium: alterum fusile, qualis est uapor à terris calore sublatus, et in aerem euectus, ex quo in nubes concreto pluuia, grando, niuesq; fiunt. Huiusmodi quidem uaporis humidi genus si terris includatur, metallorum esse ac lapidum causam inquit: ita ut ex purissimo humore fiat aurum et adamas, ex impuro et terrestri æs et ferrum. Iam uerò niues, glaciem, grandinē, pruinaq; gigni hoc modo dicit, ut nix ex humore in aerem sublato, frigefactoque, prorsus, adeò ut minutim congelatus cadat, efficiatur. Glaciem aquam esse frigore concretam, propter caloris illam dissoluentis absentiam, ait. Grandinem ex guttis pluuiialibus, ob aeris frigus congelatis, induratisq; gigni, asserit. Pruinam deniq; ex rorido uapore, ad proximū aerem excitato, frigefactoque, efficit docet. Hanc ergo communem esse mixtorum humidorū effectiōnem censet: cui tamen quatuor quædam liquorum genera addit, quæ ex humida potissimum natura cōstant, quamuis admixtū aliud habeant. Primi generis est uinum, quod ex calido humidoq; liquore componitur. Secundi, oleum, pix, gummi, eiusmodiq; alij pingues liquores: qui cum humore constant, multum tamen caloris in se habent. Tertiū est mel, dulcesq; alij liquores, qui lentum etiam humorem, moderateq; calidum habent. Quarti denique, succus odoratus ex arborum quarundam lachrymis confectus, qui calidæ acrisq; naturæ est: ut laserpitij succus, myrrha, balsamum, thus, huiusmodiq; alij calidi et odorati liquores, qui uel ex arborū folijs, uel ex illorum scissuris effluunt. Præter mixta hæc humida, quæ calore humoreq; potissimum
constant, adduntur quoq; alia terrestria: ut lapides, nutrū, sal, uirgum, horumq; communem gene-

rationem exponit. Ac lapides ex pingui tenuiq; terra, humore illi admixto, effici putat: ita ut conglutinata humore terra, frigore induretur. Nitru etiam, salem, ac uirgū, simili ferè ratione gigni asserit. nam salsugineū, pinguemq; humorem multa terra admixtum, caloreq; exsiccātū, causam esse illorum trium refert: tamen si alia plus, minus uel alijs, terrestris cōcretionis habeant. Postremò singulorum elementorū primas esse quasdam qualitates censet, ut ignis calorem et siccitatē, terra frigiditatem et siccitatē, aeris humorem et calorem, aquæ humorem et frigiditatē. Ex his præterea primis secūdas alias nasci dicit: ut duriciem, molliciem, læuitatem et asperitatē, leuitatem et grauitatem. atque illarum unamquamq; hoc modo definiuit: Duriciem quidem eam, quæ res tactū offendat: molliciē uero, quæ res tactui cedat. siquidem ex tactus perceptiōe dura, mollia uel esse corpora dicuntur. Eodem quoque modo læuitatem, planiciem esse corporis æquale retulit, quæ ab humore æqualiter diffuso proueniat: asperitatem deniq; inæqualem planiciem, ab inæqualitate humidi nascentem. Item grauitatem et leuitatem, non per locorū interualla iudicanda censet, ita ut locus superior leuibus, inferior grauibz assignetur, quando in cæli ambitu rotūdo nihil supra, nihilue infra sit: sed graue potius dicendum esse putat, quod ægrè extra locum suum naturālē trahatur: leue autem, quod paucissimis è partibus sit compositum, subtilisq; naturæ sit. quanquam ratione quadam leuiorum corporum locus sublimis, locus uerò densiorum infimus dicatur. Has ergo qualitates omnes secūdas esse, ac non modò à primis nasci, sed contrarias quoq; inter se, uelut illas, esse censet. In quibus omnibus Aristoteles nō re, sed uerbis à Platone differt, ut suo loco à nobis docebitur.

DE ANIMA.

Animam essentiā quandam mediam inter corporea et incorporea, ex se mobilem esse, Plato dixit, quatenus corpori partim adheret, partimq; ab eo diuersa est, et illius motus impellit. Eandē quoque componi ex numeris, proportionibusq; Geometricis ac Musicis, asseruit, propter magnam eius uirium consensionem. Item æternam, et ante corpus ipsam genitam dixit, quoniam corpore sit præstantior. Quinetiam mundi animam, atque animas reliquorum animantium simul editas à Deo, corporibusq; infusas deorum iuniorum ministerio putauit, quatenus annexæ corporibus cælestium influxionum propensiones sequuntur. Triplicem præterea uim animi statuit: rationalem, quam in capite posuit: irascibilem, quam in corde: appetitiuā,

quam in iecore. Has omnes partes concentu quodam actionum suarum connexas esse asseruit. Ac rationalem quidem à Deo summo provenire; irascibilem & appetitoriam ex connexione rationalis cum corpore à dijs iuniorib. facta oriri docuit. Quinetiam moveri animam putavit, quatenus diversas vires habet in corpore. itemq; duplicem esse illius motum inquit: unum intelligentiae ac mentis, quem simplicem & eiusdem naturae, similemque motui octavi caeli facit: alterum sensuum omnium multiplicem, quem alterius naturae vocat, ac similem errantibus stellis. Iam vero ex animi cum corpore connexione sensus omnes, affectionesq; oriri putavit: statuitq; legē à Deo traditā animis, ut qui affectus sequatur, ob flagitiorū poenas in diversa animalium genera cōmeant: qui vero illos cohibeant, ad astrum aliquod caeli sibi simile praemij causa evehantur. Quae in re Aristoteles à Platone parum differt, ut in Commentarijs explicamus.

DE ANIMALIVM GENERIBUS.

Quatuor esse animalium genera in universo mundi ambitu, praeter ultimum illum universi auctorem Deum, inquit. Primum, caelestium deorū, ut sunt intelligentiae caelestes, sidera q; omnia animata, quae dij caelestes Platoni dicuntur secundū aereorum ac volatiliū: ut daemonum, atq; avium. tertium, Heroium, siue separatatum à corporibus animarum. ultimum, hominum, ac reliquorum animalium terrestrium. Haec quatuor animalia quatuor elementis respondent: caelestes nimirum dij igni, quoniam sidera illius naturae sunt: daemones aeri, heroes aquae, homines terrae. Iam tria illa genera animalium, quae retulimus, caelestes inquit dij, daemones, & heroes, communi nomine dij iuniores vocantur à Platone, et secundis rerum causis, quibus summus Deus ut instrumentis utitur, assignatur. Idē enim intermedij sunt inter Dei providentiam, nūq; efficiendi, & rerum inferiorum affectionem. In his omnibus Aristoteles perpauca retulit, ex quibus apertum illius dissidium à Platone cognoscatur.

DE HOMINE, ET EIVS PARTIBUS, TAM ANIMI QUAM CORPORIS.

Corpus hominis à dijs iunioribus effectum esse, Plato inquit. idem autem quatuor ex qualitatibus, siue elementis, igne, aere, aqua, terra conflatum est. cuius diversae sunt partes, varijs animi viribus inservientes: ut caput, quod corporis potissima pars est, in quo ratio, sensuumq; multorum vi-

res insunt. Capiti tanquā basis totum corpus subijcitur, brachijs & cruribus compositum, tum ad vehendum, tum ad comprehendenda, contrectandaq; corpora. Ipsius item corporis quasi fundamenta ossa sunt, quae nervis uti ligamentis connexa, varijs usibus accommodantur. Hanc totam corporis compaginem caro integit, ad decorē & utilitatem animalis. Quinetiam intra corpus ipsa intestina in ventre flexuosa, & laevia facta sunt, ut cibos sumptos facile excipiant, & retineant, ut in calore naturali cōcocti, corpus vitali succo alāt. Cor praeterea, & pulmonem Deus in pectore posuit, quasi vitae principia: quoniam ab altero naturalis calor, ab altero halitus ad vitam tuendam oriuntur: quo etiam in loco irascibilem animae facultatē propter caloris fervorem insedisse dicit. Postremo iecur in ventre, & splenem collocavit: illud veluti sanguinis fontē, & appetitoriae animae sedē: hunc ut receptaculum impuri sanguinis, à iecore demissi. Ex eodem quoq; iecore quasi radice, diversas venas per totum corpus diffundi, quibus & ipsam alatur, & vitali spiritu fruatur, affirmavit. Atque hanc esse corporis humani constitutionem, ex elementis productam, Plato censuit: ex qua animi affectionum fontem oriri dicit, quoniam ipse corpori annexis, qualitates corporeas sequatur. Porro ex animi & corporis connexione sensus oriuntur omnes animalis ait, ut visum, ut auditum, ut reliquos alios. Ac visum quidem perceptione radiorum visivorum, ē cerebro exeuntium ad obiectum coloratum, eiusq; imaginem reducentiū, fieri dixit, cuius obiectum sint colores omnes. Auditionem itidem ex aeris percussione in auribus concepta gigni, eiusq; obiecta esse voces ac sonos. Gustū deinde ex saporum in lingua perceptorum differentia nasci: ideoq; septem saporum formas tradidit, dulcem, acrem, ponticum, austrium, salsum, acutum, amarum. Tactum ex corporū solidorū contactu fieri: eoq; frigida, calida, humida, sicca, dura, molliaq; percipi, iudicavit. Odoratum denique ex vaporis partim sicci, partimq; aerei comprehensione gigni, cuius sensus odores omnes, cuiuscunque sint modi, proprios esse dixit. Igitur sensuum originem ex corporis & animi cōiunctione deducit. Nam ratio in cerebro sita, vires omnium sensuum movet. huic irascibilis subiecta, quae in corde collocatur, affectiones, ut voluptatem, dolorem, ceterasq; omnes parit. postrema, & infima omnium appetitoria, quae iecori inest, appetitōes rerum excitat. His itidem animantis viribus somnus, insomnia, vigilia, respiratio, vita, morsq; accedūt. Nam somnus ex calore naturali in stomacho sese recipientem

pietate, offuscatoq; cerebro, fit. Insomnia uero, cum uasa aliqua dormienti occurrunt, posteaq; in memoriam expergefacto ueniunt. Vigilia ex calore per totum corpus æque fuso oritur, cum sensuum uires suis muneribus funguntur. Respiratio, ex aeris attractione per asperam arteriam in pulmonē, & expiratione calidi spiritus ex eodem pulmone fieri censet, ut eius causa cordis calor refrigeretur, spiritusq; vitalis homini suppetat. Hac de re Aristoteles cum in libris de Anima, & Animalibus, eorumq; causis sparsim multa scripserit, idem fere sentit, quod Plato: licet in sensuum uiribus omnib; uideatur dissentire, ut nos postea ostendemus.

DE MORBORVM CAUSIS, & remedijs.

Causas morborum omnium ex corporis intemperie provenire censet. Atq; earum quidē primā putat esse, cum qualitas aliqua ex ijs quibus corpus constat, excedit admodum, aut in aliam commutatur. Secundā, cum partium cognatarū corporis mutua sit regeneratio: ut si ex sanguine bilis atra, flaua uel fiat, hæc enim putrefactionem indicant. Pituitam quoq; recentis carnis liquationem esse definiuit. Sudores autem, & lachrymas, effluxum quendam, reliquiasq; pituitæ esse. Quinetiā ex pituita foras emissæ albas quasdam infectiones oriri dicit. Deniq; uaria morborū genera ex bilis cum pituita mixtione fieri censet. Itaq; febrim continuam ex nimia bile flaua putat nasci: diurnam uero ex nimio sanguine, siue aere, ut uocat: tertianā ex humore abundanti, & aqueo: quartanam ex atra bili. Horum omnium morborum tum medicamentis curationem adhiberi iubet, tum uictu tenui, exercitationeq; corporis moderata utendum in ijs præcipit, ut non modò salus corporis conseruetur, sed animi etiam uires, affectusq; commodè exercantur. Inter potissima uero remedia, purga-

tiones, easq; moderatas & raras ponit: tum gymnasticam ad corporis exercitationē adhiberi, uel motu mediocri uti censet. Ante omnia demum uictus rationem, moderationemq; commendat. Ex quo liquet, quinq; esse medicinarū genera apud Platonem, quemadmodum & Diogenes Laertius in eius uita testatur: φαρμακωτικῶν, quæ medicamento morbis applicat: χειρουργικῶν, quæ cædendo, urendoq; sanitatē inducit: διακριτικῶν, quæ uictus rationē tradit: νοσηρικῶν, quæ morbos dignoscit: βοηθητικῶν, quæ remedia præsentanea adhibet. Hac de re nihil ab Aristotele scriptū extat, quamobrē cum Platone sit cōferendus.

DE FOEMINARVM, AVIVM, ferarum, aquatiliūq; generatione.

Fœminas ex hominum infirmorum genere nasci propter commissæ scelera, commigratione quadam animarum, Plato existimauit. Ipsas uero ab homine, & corporis constitutione, & animi uiribus, parum differre putat: siquidē eadem semina lia uasa ad uiri semen recipiendum, sætūq; continendum apta habent. Vnde & magnam illis seminis appetitionem tribuit. Aues præterea ex leuioribus hominum genere, commigrantibus in earum corpora animis, effici existimauit. Eodemq; modo quadrupedes ex hominibus belluinis morib; præditis, & aquatilia ex nimium stolidis obtusisq; nasci asseruit: quandoquidem horum omnium animalium easdem esse animas iudicauit, præterquàm quòd illæ corporis diuersam temperationē sequuntæ, uarijs uiribus utantur, magisq; rationis participes, magis uel expertes fiant. Hæc igitur est naturalis philosophiæ à Platone traditæ summa, in qua rerum solum capita attigimus, nudaq; dogmata illius proposuimus: quando eadem latius insequentibus tractantur.

ARGVMENTA

5
ARGUMENTVM PRIMÆ
 partis Timæi dialogi.

Qui disputationem aliqua de re suscipiunt, initiò quædam proponere loco exordij solent, ut non modo animi auditorum comparentur, sed etiam ut melior ad tractationē aditus aperiatur. Qui sane ordo et oratoribus, et philosophis, et cuicumque ratione ac nia differenti observari semper debet. Ideoq; Plato, ut orator eloquentissimus, ac philosophus præstantissimus, duo quædam in prima huius dialogi parte proponit, ut ad reliquam de mundo et eius partibus disputationem animos auditorū instruat. Eadem autem sunt, primò brevis quædam tractationis de repub. ratio, secundo belli Atlantini cum Atheniensibus gestæ historia. Atquæ hæc duo præfationis loco in huius dialogi exordio, allegoria quædam proponi putandum est. Nam per constitutionē reipub. cæli ordinatum motum, stabilemq; naturam intelligere oportet. Per bellum Atlantinū, inferioris naturæ perpetuam generationē, quæ in continuo motu, dissidiisq; qualificata est. Atq; ea de causa cum de mundi ortu differendum sit, huiusmodi exordio à re minime alieno Plato utitur. Quanquam enim Seuerus Platonius, Longinus et Chalcidius, narrationem hanc ad tractationem de mundo minime pertinere dicant: Porphyrius tamen, Iamblichus, Proclus, maiorq; Platoniorum pars in ea est sententia, ut maxime conuenire ipsam huic asserant. Siquidem mundi constitutio similissima reipub. alicuius bene constitutæ ordini est, et naturalis philosophiæ tractatio historiæ cuiusdam respondet. Verum hæc latius in Commentarijs à nobis dicentur.

PLATONIS

SEBASTIANI FOXII MORZILLI HISPALENSIS IN PRIMAM TIMAEI PLATONICI partem Commentarius.



16 SOCRATES. TIMAEVS. CRITIAS. HERMOCRATES. 17



NVS, duo, tres. Quartus autē, o amice Timae, eorum qui a me heri cōuiuio accepti, uicissim me accipiūt nūc, ubinam est? TIM. Aduersa aliqua ualitudine laborat, o Socrates. Nō enim sponte ab hoc cōtū et disputatione abstinuisse. SOC. Ergo tuū o Timae, & horum erit officium, quarti illius absentis partes implere. TIM. Ita prorsus. Sanē nihil quoad fieri poterit, prae-terminemus. Nam cum laute abs te heri accepti fuerimus, haud æquum sit, si nō parialacritate, qui hic sumus, uicissim accipiamus. SOC. Non recordamini quē uobis, & quā multa tractanda proposui? TI. Partim quidem recordamur: partim uerō tu, si exciderint, suggeres. Imō uerō nisi molestū sit, breuiter illa ab exordio repete, quo magis ea nobis consent. SOC. Faciā equidem. Summa disputationis hesternae erat, Resp. qualis mihi & ex quolibus uiris optima posse fieri uideretur. TIM. Nobis certē omnib. ualde probata sunt o Socrates, quae dixisti. SOC. Principiō agricolas ceterosq; artifices à militibus separauimus. TIM. Certē. SOC. Cum uerō cuiq; quod pro naturae instinctu praeipue suum est, et singula tantum singulis artibus officia tribueremus, illis quoq; quos prae ceteris bella gerere oporteret, id unum dūtaxat, protegendae scilicet ciuitatis munus iniunximus, & aduersus externos hostes, & aduersus ciues reip. eueriores: ita ut erga subiectos tanquam natura amicos mites sint, cōtra hostes uerō praelio ferocissimi. TIM. Ita prorsus. SOC. Duplicem sanē naturā in custodū animis esse debere diximus, & iracūdam, & philosophico ingenio praeipue accommodatam, ut rectē in

suos mansueti sint, in alienos autem feroces. TI. Proculdubio. SOC. Quid autē de educatione dicemus? Nōne gymniciis exercitationibus, & musica, ceterisq; decentibus disciplinis, eos à nobis institutos fuisse? TIM. Valde quidem. SOC. Ita educatos homines neq; aurum, neq; argentum, neq; aliud quicquam proprium aut habere, aut putare statuimus: sed tanquam adiutores publicosq; ministros sola mercede contentos esse, tanta ab his quos turentur exhibita, quanta moderatē uiuentibus sufficere uideatur. Stipendio praeterea publico in commune uti uoluimus, & ad communem inter se uictū impendere, ut ceteris posthabitis omnibus solius uirtutis & custodiē curam habeant. TIM. Hae quoq; ita abs te dicta fuerunt. SOC. Naturam praeterea mulierum nō aliter quā uiro-
rum effingi praecipimus, studiaq; omnia tam belli quā pacis mulieribus cum uiris esse communia. TIM. Id quoq; dictum. SOC. An tenetis memoria, quē de procreandis liberis diximus? Fortē uerō ob rei ipsius nouitatem firmiter tenuistis. Cōmunes quippe nuptias liberosq; statuimus, ut nemo natos suos discernat, sed omnes ab omnibus consanguinei existimentur, dum æquales fennē natu fratres sororesq; uicissim se iudicant: maioribus uerō patrum uel auorū reuerentiā exhibent, erga minores autē tanquā filios & nepotes afficiuntur. TIM. Hae quoq; memoratu facilia sunt. SOC. Ut autē quā optimi ab ipso initio pro uiribus gignerentur, magistratus utriusq; sexus nuptiis praeponimus, qui clam sortibus quibusdam operā darent, ut prauī prauis, bonī contrā bonis mulieribus miscerentur: neq; ulla ob hoc discordia oriretur, cum in congressu minus prospero quisq; fortunam potius sit quā cōsilium principum culpaturus. TIM. Recordamur. SOC. Praeterea sanximus, bonorum foetus in patria

c tria

tria alendos esse, aliorum uerò alios alio clàm mittendos. Adultos demum utrosq; diligenter considerandos: ut si qui inter relegatos bonæ indolis sint, in patriam reuocentur: si qui uerò inter domesticos contrà uideantur affecti, si milititer relegentur. T I M. Ita statutum est, s o c. Num satis iam hesternam disputationem, quantum compendio licet, narrauimus: an aliquid etiam à me prætermisissimum, ô amice Timæe, recenseri desideras? T I M. Nihil sanè. hæc enim ferme sunt quæ tractabas. s o. Audite deinceps, quo pacto erga hanc quã descripsimus remp. sim affectus. Comparatione planè uobis aperiam. Quemadmodum si quis animalia eximie pulchritudinis intuitus, seu picta, seu uiua quidem, sed torpentia, motus gestusq; uiuentium, & certamè aliquod eorum spectare desideret: sic ego nunc libenter aliquem narrantem audirem, quo pacto suprà descripta ciuitas cum finitimis ciuitatibus decerneret: quid ue tanta eius educatione disciplinaq; dignū, uel bello uel pace, tam dicendo quàm agendo erga ciuitates singulas demonstraret. Equidem, ô Critia & Hermocrates, mihi cōsciū sum, non posse me eam urbem uirosq; pro dignitate laudare. Me quidē non posse, nihil mirū, sed de ueteribus quoq; & huius seculi poetis idem existimo: nō quo poeticum genus contemnam, sed quòd euidentis unicuiq; sit, imitatio nis studiosos ea facile & optimè imitari, in quibus fuerint educati: aliena uerò, longeq; ab eorū educatione remota, operibus quidē difficile, uerbis etiam difficilius posse prout conuenit æmulari. Sophistas utiq; & dicendi & aliarū ferme præclarissimarum artium peritos esse arbitror: sed quia multas quotidie ciuitates pererrant, nec proprias sedes ullas habent, uereor ne coniectura quidē assequi nequeant, quàm multa & qualia uiri philosophi atq; ciuiles, tam bello quàm pace erga singulos uerbis & operibus agant. Sola igitur uestra professio superest, tum natura, tum disciplina philosophiæ, & reum gerendarū studio pollēs, Timæus

quidem hic ex Locris, quæ urbs in Italia iustissimè gubernatur, nobilitate & opibus præstantissimus, summis magistratibus & honoribus functus est, & ad summa totius philosophiæ fastigia, ut opinor, ascendit. Critiam quoq; scimus hæc utraq; consecutum. Hermocratis etiam naturam educationemq; his omnibus quæ diximus tractandis esse accommodatam, cum multis testimonijs moneamur, dubitare nō licet. Quapropter rogātibus uobis heri de republica disputari, libētissimè paruic: cum cogitarem, quod deinde instituto operi superforet, à nemine commodius quàm à uobis, modò uelit, posse tractari. Cum enim ciuitatē ad bellum idoneam cōstitueritis, soli omniū uos quæ eam decet, uicissim omnia tribuetis. Cum uerò in superioribus quæ mihi iniuncta fuerant perfecissem, quæ modò retuli, uobis tractanda commisi: uos autem cōmuni consensu imperatū munus mutuò mihi parandi nunc sermonum cōuiuij recepistis. Ego igitur adsum ad promissas epulas paratissimus. H E R. Nos quoque omnes, ô Socrates, ut pollicitus est modò Timæus, quod iubes pro uiribus exequemur, præsertim cum nulla excusandi sit ratio, quo minus id facere debeamus. Nam præterito die, cum disputatione peracta mox ad hospitium, quo apud Critiam suscepti sumus, rediremus, & inter eundū primò, & domi rursus de his rebus uerba fecimus. Hic igitur nobis ueterem narrauit historiā, quam uelim ô Critia, Socrati modò recenseas, ut cum audiuerit, iudicet nunquid ad eam rem quam nos exequi iussit, conducere uideatur. C R I. Faciundū est, si ita Timæo quoq; uidetur, tertio disputationis huius participi. T I M. Videtur sanè.



V M præcedētibz duobus diebus, ut in argumēto diximus, Critias, Timæus, Hermocrates, & quartus ille sine nomine conuenissent, ac die tertio iidem illi, hoc quarto excepto, adessent: ipsos nunc Socrates prius connumerans, rogat, ubi nam quartus remanserit, nec ad diem cōstitutum uenerit: illi causam cur non uenisset reddunt.

dunt, quòd imbecillitate quadam affectus fuisset : se tamen interim absens munere functuros pollicentur. Quia in re, ut illa nunc omittamus, quae prolixè hoc loco Proclus refert, tum de numeri ternarij dignitate, diuinitatèq; tum de quarto illo absente, illud saltem dixisse satis sit: Platonem in hoc dialogo, utpote Pythagoricæ disciplinæ studiosum, à ternario numero exordiri, et quia illum ipsum Pythagorici, ut Aristoteles lib. 1. de Cælo testatur, inuocabant, summamq; in eo diuinitatè statuiebāt, et quòd mens ipsa cunctorum opifex numero ternario constet. Quo nomine initio huius dialogi Socrates tres illos, Critiam, Timæum, Hermocratem solū commemorat, quoniam ad futurum sermonem satis sint. Quartum uerò non item: quem siue is Theæteus fuerit, siue Clitopho, siue Plato, siue alius quicumq; curiose quis sit inquirere, parum refert: cum unus ex hospitibus Socratis, amicisq; Timæi esse potuerit, de quo ipsum Timæū Socrates interrogat. Summa quidem sermonis.) Ut occasionem dialogi summat Socrates, generatim quæ de rep. duobus præcedentibus diebus disputata, proponit, ut inde ad rerum publicarum, Atheniensis præcipuè, originè degrediatur, atq; ab eiusdem origine ad mundi ortum perueniat, deq; tota naturali philosophia, quod huius libri institutum est, edisserat. Nam quemadmodum in rep. ordo quidam ac status, quo ipsa administraretur, describitur: sic etiam in mundi ortu et constitutione, quandoquidam quædā, id est ordinatus pulcherq; ordo effectiōnis demonstratur. Et quidem, ut Proclus, ceteriq; Platonici affirmant, causa cur breuiter de rep. Socrates quædam retulerit, ea est, quòd sicut perfectā resp. cuncta in se complectitur sub unius imperij administratione. ita quoq; uniuersitas, cum uarijs ex partibus cōstet, una est, et perfectā. ideoq; unaquaq; in rep. rectè constituta, pulcherrimus quidam ordo obseruatur, atq; in ipso etiam uniuerso eiusdē rep. imago relucet. Quod eleganter Aristoteles in lib. de Mundo ad Alexandrum exprimens, uniuersitatis constitutionem reip. cuidam comparauit. Ab hac interpretatiōe Chalcidius dissentire uidetur, qui libri huius institutum esse dicit, de naturali illa iustitia uniuersi differere, quemadmodum in lib. de Repub. Socrates de positua tractauit, ut in utraq; tractatione similitudo eadem seruetur: et ut in lib. de Repub. de hominū iustitia Socrates differens, ciuilem rep. descripsit, ita in hoc Timæus de diuina iustitia in mundi effectiōne tractans, descriptionē eiusdem uelut ciuitatis cuiusdā tradat. Sed hæc tamen interpretatio eadem est cum præcedenti, nec est aliud naturalem rep. uelle hic describere, quàm iustitiam naturalem, cum resp. sine iustitia nequeat cōsistere. Atq; eo de nomine quæ in libris de Rep. prolixè differerat Plato, summam hic proponit. Quæ sanè si latius audire quisquā uoluerit, eosdē Platonis libros legat. hic enim nuda tantum, et simplicia dogmata proponū

tur: quæ prolixè nos explicare, et ex illis libris desumere, longissimum esset. Sed ad maiore tamen horum uerborū intelligentiā, breuem reipub. rationē ex Platonis libris desumptam adducamus. Duplicē reip. formā Plato statuit, ut de illo etiam Apuleius in lib. de Philosophia, et Alcimus testatur: unam cōcordē, alterā dissidē. hæc inter se ille cōferens, utra sit præstantior, inquirat, et quo pacto debeat constitui docet. ita quoq; reip. ille trifariam diuidit, ex triplici humani animi diuisione. Nam ut anima tres habet partes, rationem, iram, cupiditatem: ita quoq; resp. tres formas gubernationis similes illis habet, nimirum custodes, adiutores, artifices. Primis Plato tribuit consultationem, ac principatum, id quod rationi respōdet: secundis defensionē reip. ideoq; iræ eos comparat: tertijs demū artes, et reliqua ministeria, et idcirco ad cupiditatem ij referuntur. Principes præterea philosophos, summūq; boni contemplationi deditos esse uult, ut reip. rectè iusteq; gubernent, quibus reliquos omnes subijci debere præcipit. Iam uerò quinque esse reip. formas putat, Aristocratiam, Timocratiam, Democratiā, Oligarchiam, Tyrannidem, quam omnium esse pessimam censet. Hæc igitur est Platonice reipub. breuis descriptio, ex eius libris petita. nam in lib. de Legibus aliam tradit, quam hic docere non oportet.

Audite deinceps quo pacto erga hanc.) Cum reip. hætenus breuiter descripserit Socrates, quasi amore quodam illius, quod depinxerat, affectus, quo nam sit animo in ipsam propensus, similitudine doceat. Quemadmodum (inquit) artifex, cum animal aliquod ad uiuum insculpserit, postquam illius perfectionem cōsiderat, id solum uidetur optare, ut animal idem uita animaq; præditum sit: sic etiam ego, cum talem, tamq; perfectā, meo quidem iudicio, reip. effinxerim, hoc unū maxime uellem, ut in re talis apud homines resp. foret, atque eodem modo, quo dixi, administraretur, ut non modò gauderem ipse, eam me descripsisse, sed etiam laudibus efficerem, quanquam id præstare minus possem. Quia in re extenuatione sui uitur Socrates, cum se illam reip. laudare non posse facillè dicit: simulq; laudem ipsius maximam ostendit. Beneuolentiāq; capiat ab auditorum persona, cum Timæum, Critiam, et Hermocratem, propter eorum doctrinam, et administrandarū rerumpub. peritiam, eam posse reip. à se descriptam laudare inquit: poetarū autem, aut oratorum neminē: ut sophistas obiter, et oratores more suo reprehendat. His ita propositis, eosdē tres hospites hortatur, ut exemplo suo aliquam rem proponant disputandam, quando ipse diebus superioribus de rep. multum disputarit. Cui omnes assentientes, uarios de rerumpub. conuersionibus sermones inter se conferunt, ut ad mundi ortum inde degrediamur. In primis igitur Critias, longam de Atheniensium rep. terrarumq; mutationibus orationem habet, cum ait:

c 2 Audi

Audi Socrates miram quidē, sed plenam ueritatis historiam, quam Solo septem sapientum sapientissimus recensebat. Erat enim domesticus admodū, amicusque Dropidis, proauī nostri, quod in carminibus suis ipsemet saepe testatur. Auo autem nostro Critiæ, ut ipse nobis senex postea referebat, quādoque narrauit res gestas huius urbis memorabiles, diuturnitate temporis hominumque interitu oblitteratas. Vnū uerò præ cæteris facinus insigne recensuit, quod uobis nunc narrandum censeo, ut et tibi morem geramus, et deam cui hodierna pompa dicata est, hac narratione quasi quodā hymnorū cantu, ut par est, honoremus. **S O C.** Recte loqueris. sed quid istud tandē est, quod Critias non quasi uerbis descriptum, sed quasi ab hac ciuitate quondam gestum, ex Solonis narratione uobis aperuit? **C R I T.** Referam priscā mihi puero traditam ab auo historiā. Cum ageret Critias annos, ut ipse dicebat, circiter nonaginta, ego uerò decē, celebrareque solennis ille dies, in quo ad canendum carmina pueri conuocari solent: congregati sumus & nos unā cum proximis notisque pueris, nobisque à parentibus carminum canendorum certamen est iniunctum. Vbi multorum poetarum carmina non pauca memoriter pronunciata sunt: & Solonis uersus à plurimis puerorum, utpote nouitatem poematis admirantibus, decantati. tum cōtribulis quidam, seu quod ita iudicaret, siue quod Critiæ blandiri uellet, uideri sibi inquit, cum in cæteris sapientissimum fuisse Solonem, tum in carminibus poetarum omnium generosissimum. His uerbis, ut recte meminī, ualde lætatus est senex. atque ita ridens, inquit: Si Solo, ô Amynāder, nō tantum relaxandi animi gratia, sed dedita opera serioque sicut alij poesim esset secutus, uel historiam quam ab Aegypto reuersus instituerat absoluisset, à qua quidem seditionibus cæterisque ciuitatis fluctibus deturbatus medio in cursu destitit, nec Homero nec Hesiodo, nec alio quoquam poetarum, ut opinor, inferior extitisset. Ad hæc ille:

Qua de re, ô Critia, tractare Solo instituit? De maximis, inquit, rebus ab hac ciuitate quondam gestis, quarum memoria apud nos temporis diuturnitate & interitu hominum extincta est. Dic quæso, inquit, ô Critia, quid illud opus, & quomodo actum, & à quibus habitum tanquā uerum Solo narrabat. Est, inquit, Aegypti regio Delta, cuius è uertice scinduntur fluentia Nili. Eius campi, Saitica præfectura nominatur. In quibus maxima ciuitas est, quam Saim uocāt. unde Amasis fuit rex. Urbis eius fūdatrix dea fuit, quam Aegyptij Neithen, Græci Athenan nominant. Ipsi porro homines Atheniensium amici sunt, eisque genere quodam coniunctos esse se prædicant. Quò Solo profectum se, honorifice acceptū fuisse referebat. Et cū de uetustatis memoria ab illis sacerdotibus, qui in hac recæterorum peritissimi erāt, quæsisset, expertum se esse dicebat, neque se ipsum neque alium Græcorum quenquam cognitionem antiquitatis ullam habere. quandoque uerò corā sacerdotibus, ut eos ad sua narranda prouocaret, de antiquissimis illis Athenarum gestis rebus uerba fecisse, de Phoroneo primo & Niobe, postque inundationē mundi de Pyrrha & Deucalione, eorumque posteritate, & de temporibus quibus singula contigerunt.

(Historiam quandam de antiquissimo reip. Atheniensis statu, & antiquitate à Solone relatam auo suo Critiæ, narrat, de qua nos in sequentibus dicemus. Erat enim familiaris.) Quoniā historiā hanc à Solone auo suo Critiæ dictam, narrare uelle dixit iunior Critias, mentionemque Solonis fecit, cognationem, amicitiamque illius cum suis maioribus explicat: quam ut nos apertius ad loci huius intelligentiā declaremus, hæc est Critiæ iunioris cognatio cum Solone. Excepsides filios habuit, Solonem & Dropidem: ex quorum altero, nimirum Dropide, natus est Critias, iunioris Critiæ auus. Huius uerò Critiæ filij fuere, Calleschrus & Glaucon. Calleschri autem, hic Critias, qui orationem nunc habet. Ea igitur de causa cognatum sibi Solonem fuisse ille dicit. fuit enim aui sui Critiæ patruus. Sed tamen genus quidē hoc Platoni potius assignandū uidetur, ut ipse illud tacite hic indicare uideatur. Siquidem Plato idem Solonis cognatus fuit, ut Diogenes Laërtius affirmat. nam Solonis frater Dropides fuit, ex quo

quo natus Critias, Calleschri genuit, qui Critiam et Glaucocem postea suscepit. ex hoc deniq; Glaucocem Charmides, et Perictione Platonis mater, sunt orti. Ergo materno ex genere Plato originem suam ad Solonem referebat. Vt tibi morem geramus, et deam, cui hodierna pōpa dicata est.) Cum historiam hanc Critias narrare proposuisset, amequā ipsam contextat, docilitatem à persona Socratis capiat, cum duplici de causa eandem narrare uelle se dicit: quarum prima est, ut Socrati eidem roganti, ut aliqua de re disputaret, morem gereret: secunda, ut Mineruae deae, in cuius honore festum hoc, in quo Socrates ceteriq; conuenerant, colebatur, narratio nem hanc uelut hymnū dicaret. Quia in re aduer tendum est, Panathenaea festa Athenis celebrari, in Mineruae Athenarū auctoris honore, uigesima die mensis Aprilis, post Bendidia, ideoq; Critias quasi hymnū quendam in illius laudem scripturus, nar rationem hanc proponit. Nunc causam breuiter exponamus, cur Critias in Mineruae honorem histo 20 riam hanc commemoret. Igitur, ut multorū hac de re sententias omittamus, ea est huius rei causa, quod cum uniuersi ortum in hoc Dialogo scripturus sit Timeus, à prima eius causa architectatrice ordiri oporteat. Cum enim Deus, siue Minerva, quae Dei sapientia est, mundum condiderit, tanquam prae cipuam huius opificij causam, uenerari illam, et in omnibus inuocare decet. Qui sanè mos non modò Platoni, sed sapientibus etiam omnibus eius aetatis usurpatus fuit, ut quacumq; in re Deum in primis in uocarent: ut in sequentibus dicemus. Quae etiam de causa dicturus in hoc libro Plato de mundi ortu, ele ganter à Mineruae inuocatione sumit exordij: quo 30 niam eadem ipsa uniuersam mundi constitutionem contineat. Quemadmodum enim, cum Panathenai ca celebrabantur Athenis, uniuersus populus in Pi reum confluebat, ibiq; paenegyricus in Mineruae A thenarum conditricis laudem habebatur: sic in hoc Dialogo, ad explicandam uniuersi constitutionem, quae per Panathenaea intelligitur, narrationē hanc in laudem opificis mundi deae proponi oportet: ut dum mūdi cōstitutionē ex multis cōpositā, unamq; effectam quasi ex uniuerso populo describimus, ad eiusdem constitutionis artificē recurramus. Atqui non solum haec allegoria quadā dici à Platone intel ligendū est, sed totam etiam hanc historiam: ut suo lo co docebimus. Cum ageret Critias annos, ut ipse dicebat, circiter nonaginta.) Quo tempore historia haec narrata sibi fuerit, Critias explicat. ait enim, si bi puero decem annos nato, ab auo Critia, qui tunc 40 nonagenarius erat, historiam hanc relatā esse, eo tē pore, quo Apaturia celebrabatur. tunc siquidē ipse met conuenerat simul cum alijs pueris, ut carmina quaedā recitaret: quae cum Solonis essēt, aliq; admi rarētur, Solonis eiusdē memio incidit, atq; ea occa sione tota historia subtextitur. Sed haec ut nos distin ctius exponamus, dicendū breuiter est, quae nā festa

illa fuerint, et quis Atheniensium mos in recitandis tunc temporis carminibus: deinde pauca de Solone, quae ad hunc locū explicandū satis sime, repetemus: postremò, quam historiam Solon retulerit, aperie mus. Athenis festa quaedam celebrabantur Apa turia dicta, in Dionysij honorem cōstituta, quae per tres dies durabant: quorum primus, ut auctor est Sui das, *ἀόρνια* uocabatur, tuncq; precationes ac cœ ne inter conribules fiebant: secundus *ἀνὰ πύργους*, quoniam animalia multa cadebantur in sacris: ter tius *ἀνὰ πύργους*, quia tunc temporis puellae conscribe bantur, et in tribus diuidebantur. Causa uerò cur festa haec celebrarentur, fuit, quod cum Athenienses cum Boeotijs bellum gererent pro Oenoe, siue pro agro quodā in consimbis sito, constitutiq; ex utraq; parte Melanthus et Xanthus, ut singulari certami ne ea de re pugnarent, uictoriaq; pro Atheniensib; stetisset, pugnaq; triduum durasset: festum illud ce lebrari institutum est per tres dies, ut prolixius Sui das declarat. Igitur tertio illo Apaturiorum die, qui 50 *ἀνὰ πύργους* uocabatur, mos erat Atheniensibus, ut pue ris ex unaquaq; tribu prēmia quaedam carminum recitandorum proponerentur: eademq; tum de anti quitate, tum de alijs scribebatur. Cum ergo ex una quaq; tribu *παῖδες*, id est conribules conuenis sent, singuliq; filios suos deducerent, ut carmina re citaret, deductū se quoq; tunc Critias dicit, recitasseq; Solonis carmina pro more Atheniensium. Quae etiam de causa festa haec *ἀπαυρία* dici, Suidas te statur: quoniam parentes pueros tunc simul con uenissent, ut pueros recitantes carmina audirent. Iam uerò, ut quod secundo proposuimus, declare tur: cum Solonis carminum, quae iunior Critias reci tabat, memio fieret, atq; unus ex *παῖδες*, id est cōtribulibus, Amynder uocatus, Solonem in poe tice studio laudare coepisset: Critias senior eundem maximis laudib; afficere incōpit, cum eius ingenij in poesi, naturamq; commendauit. At quoniam de Solone multa tum apud Plutarchū in eius uita, tum 40 apud alios scripta extāt, hoc de illo dixisse sufficet, si magnam eius in poesi fuisse ingenij uim dicamus, cum multa, elegantissimaq; carmina conscripserit, ut Diogenes Laertius in eius uita refert. Idem cum in Aegyptum, regionesq; alias condendarum legum causa sese contulisset, posteaq; Athenas rediens, in summam reip. seditionem à tyrannis, qui Pisistra tum ducem sequebantur, excitatam incidisset, ean demq; composuisset, multum fuit domesticis nego tijs implicatus, quamobrem poetica studio minime inherere potuit. Sed hac de re plura in eius uita Plutarchus, et Diogenes Laertius. Denique ex longa illa terrarum, Aegyptiq; peregrinatione, hi storiam hanc narraffe sibi Solonem Critias inquit, quam ex Aegypto ille rediens, propter domesticas seditiones absolueri non potuerat. quamuis enim il lam carmine coepisset scribere, obstrictus reip. nego tijs, perficere non potuit. Hanc ergo historiam à So

lone auditam Critias senior Amyntandro retulit, narrantemq; ipsum iunior Critias audisse se dicit.

Est, inquit, Aegypti regio Delta, cuius ē uertice scinditur fluenta) Historia ipsam à Solone narratam Critias commemorat: quæ cum Atheniēsis reip. originem, amicitias, bellaq; narret, ut ad mundi ortum illa occasione deueniat, rem ab ultimo principio repetit: ab ipsaq; Solonis in Aegyptū profectio-
ne exorditur, cum aut eundem eò profectum, multa de Athenarum antiquitate interrogasse. In quo pri-
mum Aegypti regionem illam, in quam Solon sese contulit, describit: deinde Atheniensium cum Saitis cognationem narrat, ut sermonem sacerdotum Aegyptiorum cum Solone habitum recenseat. Igitur in Aegypti parte illa, quæ media inter utrumq; Nili fluentium sita est, ciuitatem quandam Saim nominatam fuisse dicit, quò se Solon contulerat, et ubi cum Aegyptijs sacerdotibus collocutus fuerat. In eadem porro regione præfecturam quandam Saiticam uocatam fuisse dicit, cuius conditrix Minerva fuerit, eadem quæ Athenas condidit. Hoc in loco nos primum dicamus, quæ nam regio illa Aegypti in Delta figuram sita, et quæ ciuitas fuerit Sais: deinde, quæ sit Saitica illa præfectura. Deinceps cognationem Aegyptiorum cum Atheniensibus, sermonemq; Solonis cum sacerdotibus explicabimus. Nilus, ut Strabo lib. 7. docet, ab ultimis Aethiopiæ finibus exortus, ad Septentrionem recta defluit, atq; in Aegyptium mare sese exonerat: quò cum peruenit, tanquā ē uertice defluēs, bipartitò diuiditur, locumq; triangularem efficit, cuius duo latera sunt, utraque fluminis fluenta in mare influentia, dextrum uidelicet Pelusium uersus, sinistrum ad Canopicum mare. basis autem est ora maritima, inter Pelusium, Heraciumq; sita. Igitur in medio eius trianguli insula quedam in maris ora iacet, quæ propter figuræ similitudinem Delta uocatur, ex qua uelut ē uertice Nilus in duas partes diuisus fluit. In ea igitur Aegypti parte, quam Deltam tum Strabo, tum Plinius lib. 5. cap. 9. appellant, ciuitas quedam est Sais, sine Tanis nominata, non longè à Milesiorum opere, in ostio Sebenitico, prope Sebeniticam ciuitatē sita, quæ inferioris eius regionis metropolis fuisse ab Strabone ac Plinio dicitur. Hanc itaq; in ciuitatem Critias uenisse inquit Solonem, peregrinationis causa: quemadmodum et multi alij philosophi peruenere, ut ab Aegyptijs sacerdotibus erudirētur. in qua etiam Amasis regem fuisse dicit, qui antiquissimis temporibus in Aegypto regnauit. is enim, ut Plinius lib. 36. cap. 12. refert, in ea parte, quam Delta uocari diximus, sepultus in pyramide quadam fuit. Quare in ea ciuitate, ubi rex ille Amasis regnauit, fuisse natam Minervam, cultamq; à Saitis, Plato sub Critias persona refert. Hac enim occasiōe propinquitatem Atheniēsiū cum Saitis, propter communem unius deæ religionē, declarare uult. Quòd autem Minerva nata in eo loco fuerit, Cicero fate-

tur lib. 3. de Nat. deor. cum de Minervis quinque loquens, secundam inquit ē Nilo natam fuisse, eandemq; Saitas Aegyptios coluisse. Idem quoq; Strabo lib. 7. confirmans, sepultam ibidem fuisse illam, magnosq; honore cultam asserit. Cum ergo hec ita sim, quæ nam cognatio ista sit Saitarum cum Atheniensibus, inquiramus, propter quam Solon ab Aegyptijs sacerdotibus humaniter est exceptus. Athenas à Minerva conditas esse, indeq; aduersas, ab aduersas, hoc est Minerva nominatas, Græcorum historici testantur. atq; ea de causa cum Saitide nata fuerit, cultaq; eadem Minerva, propter communem unius deæ religionem, magnam inter se notitiam Saitæ Atheniensesq; habuere, adeo ut cognatos se esse putarem, Aegyptiq; Saitæ humanissime Athenienses exciperem, ut de Solone Critias hic refert. quamquam Callisthenes, et Phanodemus, auctore Proclo, Athenienses Saitarum patrem esse putarint, aut ediuerso Theopompus Athenas Saitarum esse coloniam dixerit. Vtrumq; tamen sit, siue Saitæ ab Atheniensibus, siue Athenienses à Saitis originem duxerint, causa quidē amicitia inter duos illos populos fuit, eiusdem religionis communitas. ambo enim à Minerva quasi pregeniti fuisse, amboq; eandē illam colebam. Quoniam autem à Platonicis hec omnia allegoria quadam dicta esse putamur, per Minervam quidem intelligibilem prouidentiam, siue diuinam uim ac sapientiam uniuersa prouidentiter exornantem intelligere possumus, quòd eadem illa ciuitatem utranq; Saim et Athenas, hoc est uniuersa singulariaq; effecerit, et conimicat: quemadmodum Aegyptios eosdem in Epigrammate quodā de illa ipsa dea testari Proclus refert. illi enim, in abdito quodā loco huiusmodi uersus in Minervam scriptos esse asserunt: τὰ δὲ ὄντα, καὶ τὰ ἐσθλὰ, καὶ τὰ γεγονότα, ἐγὼ εἰμι. τὸν ἐμὸν χιτῶνα ἁλὲς ἀπαιτῶ λυγρὸν. ὃν ἐγὼ καὶ πῶρ στένω, ἥλιος ἰσχύειτο. Ex quibus intelligitur, Athenienses cum Saitis communē originis suæ causam habuisse: atq; eodem modo non intelligibilia solum, sed sensibilia etiam ex eadem diuina sapientia profluxisse. His ita propositis, restat nunc inquirendum, quæ nam præfectura illa sit Saitica nuncupata, cuius mentionem hic facit Critias. Eadem autem, ut allegorias Platonicorum omittamus, regio illa est, quæ à Nilo undiquaq; cincta. Delta (ut diximus) uocatur. Vera enim, antiquaq; Aegyptus non erat tota illa regio amplissima, quæ inter Nilum mareq; rubrum iacet: sed pars quæ in maris ora posita, à Nilo flumine cingitur, et triquetra formam efficit. Cum itaq; tota illa regio in prouincias quasdā diuideretur, eaq; prouincie νομοί, id est præfecturæ uocarentur, à Saiticam ciuitate, quæ illius regionis erat metropolis, Σαϊτικὸν νόμον, ut Critias hic ait, id est præfecturam Saiticam nominarunt: quemadmodum in Hispania olim conuentus diuersi erant à præcipuis ciuitatibus denominati, ut ab Hispali Hispalēsis cōuenus, et à Corduba Cor-

ba Cordubēsis. Quod autem Ζαῖτινος νόμος praefecturam illam significet, Plinius in eo libro testatur, cum Aegyptum inquit in praefecturas oppidorum, quas nomos uocabant, diuidi, inter quas Tanitem siue Saitem connumerat. Id ipsum confirmat Strabo lib. 7. et Suidas, cum νόμος pro χώρας capi ait, quoniam unusquisque populus illarum praefecturarum priuatis uiuebat legibus. Quamobrem haec quidem haecenus de Sai ciuitate, eiusque situm dixisse satis sit. Quod enim Critias de eiusdem ciuitatis descriptione loquitur, eo tendit, ut Aegypti locum, quod Solon uenit, ut sacerdotes Aegyptios conueniret, ostendat. Quam etiam peregrinatio haec in Aegyptum, sermoque Solonis cum sacerdotibus, habitus, Platoni potius tribuendus est, ipse enim, ut Diogenes Laertius in eius uita refert, discendi causa in Aegyptum profectus est, multaque ab Aegyptiis sacerdotibus, qui sapientiam profitebantur, cognouit: quod diuus Augustinus in lib. de Ciuitate Dei, ac Iustinus martyr in Paranesi ad Grecos testatur. Iam uero causa, cur eam narrationem sub Solonis nomine Critias proponat, est, quod quemadmodum Aegyptius ille sacerdos, de quo postea dicemus, de antiquitate differens, diuersas fuisse mundi mutationes, foreque semper dixit, eundemque perpetuo mundum ab origine manere: sic etiam rerum generationes, interitusque naturales tum uniuersi, tum singularum eius partium, Plato describat. Quod enim de Atheniensis reip. antiquitate, rebusque bello gestis ait: ad mundi originem, uicissitudinemque generationis referendum esse Platonicum docent. Sed ut nos ad Critiae narrationem deueniamus, uerba ipsa sequamur. Et cum de uetustatis memoria, ab illis sacerdotibus, quibus hac re peritissimi erant, quaesisset. Cum Solon, ut ait Critias, Seim peruenisset, perhumaniterque a sacerdotibus fuisset acceptus, eosdem ipsos de antiquitate Graecorum interrogauit: ut de Phoroneo, Niobe, ceterisque primis Graeciae cultoribus, hos enim Solon antiquissimos putarat, antequam ab Aegyptio sacerdote admonitus ea de re fuisset. is enim iuniores esse Grecos Aegyptiis docet, indeque ad mundi mutationes digreditur, ut occasione habita, de mundi origine differat. Sed ut nos eam Graecorum antiquitatem, quam Solon coram sacerdote iactabat, breuiter explicemus, quo nam tempore Phoroneus, Niobe, Deucalion, Pyrrhaque fuerint, declaremus. Aegyptios, Chaldaeosque Graecis antiquiores fuisse, Histori omnes testantur. Aegyptij enim, ut Pomponius Mela refert, tres magnos annos antiquitatis suae numerabant: cum quibus Assyrij, Persaeque de antiquitate sepe contenderunt, ut Iustinus lib. 1. testatur. Post ipsos autem Barbaros Graeci sequuti sunt. ijdem enim ab Ionibus originem duxere, quod Diodorus Siculus affirmat: qui tamen non unum nationis suae autorem habuere, sed diuersos. alij enim apud Athenienses, alijque apud Argiuos fuerunt. siquidem, Athenienses primum parentem fuisse Erichthonium,

qui e terra natus fertur, affirmat, seu ut alij uolunt, Cecropem: Argiui Phoroneum et Niobem habuere: Thessali Deucalionem et Pyrrham, qui post illam inundationem Thessaliae in Parnassum montem sese recipientes, regionem eam primi coluere. Atque huc usque Graecarum historiarum memoria attingit, ulterius autem nequaquam. exigua enim est Graecarum rerum mentio ante bellum Troianum. Ex quo intelligimus, non modo Grecos iuniores esse Asianis, sed ab illis etiam originem deduxisse. Cum ergo hanc Graeciae antiquitatem sacerdoti Aegyptio Solon proposuisset, ille contra antiquitatem Aegypti ostendit, deindeque Athenarum originem edocet.

Tunc ex sacerdotibus quendam grandem natu dixisse: O Solo Solo, Graeci pueri semper estis, nec quisquam e Graecia senex. Cur istud diceret, percontante Solone, respondisse sacerdotem: Quia iuuenis semper uobis est animus, in quo nulla est ex uetustatis commemoratio, ne, prisca opinio, nulla cana scientia. Quod ideo uobis contingit, quia multa & uaria hominum exitia fuerunt, eruntque. Maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquae inundationibus provenire necesse est: minora uero alij quibuslibet calamitatibus fieri. Nam quod apud uos fertur, Phaethontem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione seruata, exussisse terrena, ipsumque flammis coelestibus conflagrasse: quamuis fabulosum uideatur, uerum quodammodo esse putandum est. Fit enim longo temporum intervallo coelestis circuitus permutatio quaedam, quam inflammatio, nis uastitas necessario sequitur. Tunc hi qui edita et arida incolunt loca, magis pereunt, quam mari flumiisque uicini. Nobis porro Nilus cum in plerisque rebus salutaris est, tum huiusmodi a nobis arcet exitium. Quando uero dii aquarum colluione terrae sordes diluunt, pastores ouium, atque bubulci, qui iuga montium habitant, periculum illud euadunt: uestra autem ciuitates in planicie sitae, impetu fluminum ad maria rapiuntur. Sed in hac nostra regione neque tunc, neque alias unquam, aqua in agros supernae descendit: contra uero, sursum e terrae uisceribus scaturit. Quam obrem antiquissimarum rerum apud nos monimenta seruantur, Proinde u-

bicunq; nec imbriū tempestas nimia, nec incendium ingens contingit, licet aliās pauciores, aliās plures, semper tamen homines sunt. Quæcunq; uerò à nostris, siue à uestris, siue alijs nationibus gesta sunt memoratu digna, modò ad aures nostrorū peruenerint, nostris in templis descripta seruantur. Apud uos quidem, & alias gentes res gestæ nuper, literis monimētisq; tradunt, sed certis temporum curriculum illuuiēs immisā coelitus omnia populat. Ideo qui succedūt, & literis & musis orbatī sunt. Quo fit, ut quasi iuuenes iterū sitis, & rudes, præteritarum rerum omnium prorsus ignari. Nā & ea ipsa quæ modò ex uestris historijs recensebas, à fabulis puerilibus ō Solo parū distant. Primò, quòd unius tantum inundatio nis meminertis, cum multæ præcesserint. deinde, quòd genus maiorum uestrorum in regione uestra clarissimum & optimum ignoretis, ex quo tu & Atheniēses cæteri nati estis, exiguo semine quondam publicæ cladi superstitē. quod propterea uos latuit, quia superstitēs illi, eorumq; posterī literarum usu multis seculis caruerunt. Fuit enim ante exitialem illam terræ illuuiōem, ō Solo, Atheniēsiū ciuitas tam bellīquā pacis officijs præstātissima, cuiusque opera legesq; omnibus quorum memoria ad nos peruenit, excelluerūt. Tunc admiratum Solonem, obnixē sacerdotes obsecrauisse ait, ut omnia diligenter. priscorum ciuium opera reuelarent. Atq; illi sic à sacerdote quodam fuisse responsū: Nulla hoc inuidia prohibet, Solo. Dicam equidem libenter, tui & ciuitatis uestræ gratia. Maxime uerò gratia deæ, quæ & uestram illam, & hanc nostram condidit, educauit, instituit: priorem uestram annis mille, ex terra & Vulcano accipiens semina. posterius autem huius nostræ urbis res octo annorum milibus gestæ in sacris literis continentur. Illorum ergo ciuium qui in hoc nouem milium annorum tēpore ante nos fuerunt, instituta & præclara facinora, breuiter Solo in præsentia tibi perstringā. Deinceps uerò cū plus dabitur ocn, accepto historiarum

libro, latius exponemus. Ac primū leges illorum considera, quo pacto cū his nostris conueniant. Multa enim hic similia illis reperies. Principiò, quòd sacerdotes separati ab omni turba uitā agunt: deinde uaria opificum genera ita inter se discreta sunt, ut suū quisque agat, promiscuē uerò nullus. Similiter pastorum, uenatorum, agriculturalum inter se distincta sunt opera. Milites quoque hic, ut nosti, ab alijs omnibus segregati, bellica duntaxat tractare legibus iubentur. Armatura etiam, ut clypeorū iaculorumq; usus, apud utrosque persimilis. His primū nos in Asia uisum: & dea ut illis in locis, sic uobis primis hæc tradidit. Prudentiæ quoque & modestiæ magna, si cur uides, nostris legibus ab initio cura fuit: diuinationis insuper & medicinæ, & sanitas nobis per hæc diuinitus procurata. Demum quæcunq; ad hæc attinent disciplinæ, diligenter institutæ à lege reperiuntur. Huiusmodi institutione & ordine priorē uestram urbem dea à primordijs exornauit, cum in urbe condenda eam regionem elegisset, quæ ob aeris temperiē prudentissimā ingenia procrearet. Vtpote enim bellicosa & sapiēs dea, regionem eligendam censuit talem, quæ esset suis similes homines editura. His itaque legibus, uel etiam honestioribus institutionibus formati ueteres Atheniēses, omni uirtutum genere præ cæteris omnibus excelluerunt, ut decebat eos quidē geniti editiq; essent. Multa quidē & mirabilia uestræ ciuitatis opera in monumentis nostris legunt, sed unum magnitudine & uirtute præcipuum facinus. Traditur enim uestra ciuitas restitisse olim innumeris hostiū copijs, quæ ex Atlantico mari profectæ, prope iam cunctam Europā Asiāq; obsederant. Tunc enim erat fretum illud nauigabile, habens in ore & quasi uestibulo eius insulā, quas Herculis columnas cognominatis: ferturq; insula illa Libya simul & Asia maior fuisse, per quam ad alias proximās insulas patebat aditus, atque ex insulis ad omnē continentem ē conspectu iacentem: uero mari

ro mari uicinā. Sed intra os ipsum portus angusto sinu fuisse tradit. Pelagus illud uerum mare, terra quoque illa uere erat continens. In hac Atlantide insula maxima & admirabilis potentia extitit regum, qui toti insulae, multisque alijs, & maximae terrae continentis parti, praeterea & his quae penes nos sunt, dominabantur. Si quidem tertiae mundi parti, quae Libya dicitur, usque ad Aegyptum imperauerunt, Europae uero usque ad Tyrrhenum mare. Horum uis omnis una collecta nostram, ô Solo, uestramque regionē, & quicquid intra columnas Herculis continebatur, inuasit. Tunc uestre ciuitatis uirtus in omnes gentes enituit. Quae quum omnes magnanimitate bellicisque artibus antecelleret, partim una alijs Graecis, partim sola ceteris deferentibus, extrema discrimina subiit, hostesque expugnauit, amicis seruata uel reddita libertate. Post haec ingenti terramotu, iugisque diei unius & noctis illuione factum est, ut terra dehiscens, uestros illos una omnes bellicosos homines absorberet, & Atlantis insula sub uasto gurgite mergeretur. Quam ob causam innauigabile pelagus illud propter ab sorptae insulae limum relictum fuit. Haec, ô Socrates, eorum quae Critias maior à Solone accepta narrabat, summa est. Sed dum praeterito die de repub. ciuibuscum suis differeres, subiit mihi quaedam ex recordatione admiratio, cogitanti uidelicet diuina quadam sorte factum esse, ut simillima quaedam haud ab re Solonis historiae traderes. Ob eam uero causam nihil tunc protuli, quoniam ex diuturna negligentia non satis reminiscebar. Satius igitur ipse censeui, ut prius quam referre uobis inciperem, mecum ipse repeterem. Ideo uero statim imperio tuo consensi, quia confidebam, ut in rebus huiusmodi maxime decet, aliquid me, quod propositae rei congrueret, reperturum. Ita heri, ut iste ait, post discessum protinus his, pro ut tunc recordabar, recenseui: à nocturnis deinde uigilijs penè omnia recuperaui. Profecto, quae in pueritia discimus, diutius firmitusque, ut fertur, memi-

nisse solemus. Atque haud scio, an quae heri audiui, referre nunc omnia memoria possim: quae uero puer accepi, mirabor equidem, si quid eorum memoria mihi exciderit. Ea quippe cum uoluptate & ioco audiebam, cum & senex ille libenter me doceret, & ego ab illo sedulo sciscitarer. Quapropter quasi quaedam literarum inuitae indelebiter notae, ea mihi omnia infixae memoriae permanserunt. Atque his etiam ante solis ortum ipsa narraui, ut una mecum essent ad hanc orationem paratiores. Verum ut ad id quod haec omnia spectant, me conferam, paratus sum ô Socrates, non modo summam, sed sigillatim, sicut audiui, omnia enarrare. Ciuitatem utique & ciues, quos quasi per fabulam hesternae disputatione finxisti, rem ueram esse ponemus. Ciuitatem quidem illam, Atheniensem hanc urbem esse. Ciues quoque, quos ipse excogitabas, nostros illos maiores à sacerdote narratos fuisse censebimus. Nempe omnino haec congruent, neque ab re fuerit, si ciues tuos reuera priscos illos extitisse dixerimus. Quare communiter rem ipsam inter nos partientes, conabimur omnes muneri abs te nobis imposito, pro uiribus satisfacere. Sed uide, ô Socrates, nunquid sermonem hunc probemus, an alium exigamus. S O C. At enim, quem ô Critia, sermonem magis quam istum probabimus? qui praesentibus deae sacris propter propinquitatem quandam mirifice congruit. Maximum uero illud est, non fictam à nobis fabulam, sed ueram historiam recēseri. Quoniam igitur pacto, & unde, hac sprete, disputationem aliam exordiamur? Certè non licet. Ideo bonis fortunae auspicijs oportet iam tam uos differere, quam me, pro hesternae narratione, hodie silentio uos audire. C R I. Considera Socrates, an commodè tuum tibi conuiuium disposuerimus. Visum nobis est, ut Timaeus tanquam in astronomia nostrorum omnium peritissimus, maxime quae in rerum natura cognoscenda uersatus, primus edisserat: ita ut à mundi generatione exordiens, usque ad generis humani natu-

d ram

sam deueniat. Atque ego deinde susci-
piens homines, à Timæo quidē geni-
tos, à Critia uerò ut plurimum institu-
tos, secundum Solonis sermonem le-
gemq; in iudicium uestrum adducam,
ciuitatisq; istius ciues efficiam eos qui
prisca illi Athenienses fuerūt: quos iam
extinctos sacra Aegyptiorū litera in
lucem et tenebris eruerunt, adeo ut de
illis deinceps, tanquam de ueteribus
Atheniensibus, uerba fiant. s o c. Co-
piofam & splendidam disputationis
mensam apparauisse mihi uideris. Tua
ergo interest, ô Timæe, inuocatis secū-
dum legem dijs, disputationē iam ex-
ordiri. T I M. Probē cōsulis Socrates.

Hæc sunt Aegyptij sacerdotis uerba, quæ Aegy-
pti antiquitatem, Græcorumq; nouitatem ostendūt.
Græcos enim ait sacerdos iuuenes etate esse, si cum
Aegyptijs cōferantur. Aegyptij enim, uti diximus,
antiquissimos se omnium hominum predicabant. Ideoq;
sacerdos natu iam grandis, iuuenes esse Græcos So-
loni dicit. Quis nam autē sacerdos ille fuerit, multi
querunt. Proclus enim Pateneit uocatum fuisse di-
cit, qui cum Solone in Sai ciuitate loquutus est. Plu-
tarchus uerò in lib. de Iside & Osiride, Solonem in-
quit audiisse Sonechitum Saitam. alij eundem esse
negant, sed alium, quo cum Plato sermonē hunc ha-
buit. hæc enim, quamuis Soloni tributa uideamur,
de se ipso Plato refert. Quia iuuenis semper uo-
bis est animus. Causam, cur Græci iuniores essent
Aegyptijs, reddit sacerdos, ait enim, Græcos tum iu-
miores animos quam Aegyptios habere, tum nullam
uetusitatis recordationem, opinionemq; retinere.
Qua in re ad Pythagoreorū dogma Plato alludit,
qui animas omnes fuisse simul productas, & in ua-
ria corpora migrare dicebant: itemq; ad sememiam
illam à se sepius inculcatam, quod sciencia nostra re-
cordatio prioris uitæ sit. Hinc enim Græcorum no-
uitatem probare uult, cum post hominum multorū
interitum, animæ in corpora Græcorum subeūtes,
iuniores sint, quam illi ipsi qui longo antè tempore
mortui sunt. Ita enim fit, ut qui eisdem animis, qui-
bus Græci postea, longè antea præditi fuerūt, senio-
res iisdem Græcis fuissent. Adde quod, cum scien-
tia nostra, siue animi notiones nobis insculptæ, prio-
ris uitæ recordationes quedam sint, ut in Menone,
Phædonēq; Socrates affirmat, eo esse iuniores Græ-
cos declarat, quo minor recordatio illa fuerit. Nam
quo tardius illorū animæ in corpora descenderunt,
tamo magis præcedentium temporū priorisq; uitæ
obliuiscuntur. Siquidem obliuisci animas, dum in ua-
ria corpora subeūt, Plato Pythagoricūq; affirmat,
& Plotinus in lib. de Animorū in corpora descen-
su testatur. Sed hæc omnia figura potius, som-

niaq; phisophorum fuisse, ueritas declarat, & re-
ligio nostra Christiana docet. qua de re nos plura in
sequemibus. Quod ideo uobis contigit, quia mul-
ta & uaria hominum exitia fuisse. Cum iuuenes es-
se Græcos dixisset, nullamq; antiquitatis memoriā
retinere, causas eius rei prolixè docens Aegyptius
sacerdos, diuersas mundi cōuersiones narrat, indeq;
ad Athenensium originē deuenit. Itaq; multorum
hominum interitū, ac terrarum mutationes in cau-
sa fuisse dicit, cur nullam Græci antiquitatis memo-
riam retinere potuerint. Etenim non reliquæ solæ
regiones multa incendia, inundationes, genium mu-
tationes, hominum interitus passæ sunt, sed Græcia
etiam ipsa. eadem enim, ut Siculus Diodorus ac Iu-
stinus testantur, multas inundatiōes perpeffa est: ut
Achaicam, Thessalicam, eiusmodiq; alias, quarū et-
iam Aristoteles lib. 2. Meteor. meminit, cum infrio-
rem orbis naturam multis esse mutationibus obno-
xiam affirmat: nec eandem semper constitutionem,
partiumq; sitū permanere, quamuis uniuersitas ipsa
permaneat. in quo sanè loco hoc ipsum, quod Plato,
apertissimè exprefit. Idem paulo pōst confirmans,
Ignorari inquit inundationes, incendiaq; multarū
regionum: ex quibus intelligimus, mundi partium,
mutationes. Cum ergo mutationibus eiusmodi Græ-
ciæ regiones uastatas fuisse sacerdos dicat, Aegy-
ptiumq; nullas, uel admodum paucas pertulisse, anti-
quissimos se cunctorum hominum esse affirmat, ut de
se ipsis Aegyptij predicabant. Nam quod apud
uos fertur, Phaetonem quondam Solis filium. Ad
explicandas regionum diuersas mutationes, Phæ-
tonis fabulam à Græcis poetis frequenter decanta-
tam exponit, cum incendium illud terrarum à Phæ-
tone excitatū, minimè fabulosum esse affirmat: sed
mundi mutationes tum ex igne, tum ex aqua proue-
niētes indicare. Nam ut Ouidius lib. 1. Metamorph.
poetēq; alij docent, Phaeton Solis & Climenæ fi-
liæ Oceani filius, patrem orauit, ut quicquid ab eo
peteret, sibi concederet: quo impetrato, currū equo-
rum postulauit. quem cum pater denegare non pos-
set, concessit. ipse tamen, dum curru per cælum ue-
nit, equos regere nesciret, terrisq; appropinquas,
cuncta exureret, cōqueffa Terra, Iupiter fulmine il-
lum confecit: quē mortuus, in Eridanum flumiū de-
cidit. Sorores autem eiusdē Heliades præ nimio do-
lore ob eius mortem diu lachrymantes, in popu-
los arbores conuerse sunt. Hæc fabula à poetis ita
tradita, omiffis prolixis Platoniorum quorundam
allegorijs, ad physicam rationem referenda est. In ea
enim Plato incendia terrarū significare nobis uult,
quæ uelut inundationes acerrime, regiones deuas-
tare solent. Itaq; cum magna est aride exhalatio-
nis copia, calore solis excitata, ita ut facile inflam-
mari possit, cometa, incendiorumq; alia genera ori-
ri solent, quæ terras uel inflammant, uel magna sic-
citate exurunt. eademq; incendia sub Phaetone in-
telligi possunt, quoniam ut Phaeton Solis filius esse
diciuntur.

dicitur, ita quoque sicca respirationes à sole excitantur, et quasi gignantur: quae cum terris proximae sint, nimirum in aeris media regione, ab igne subluari, qui Iupiter etiam dicitur, incēse, ad terras deturbantur. Casus autem earundem flammarū in Eridanum, pluviae, humorisq; copiam subsequenter post incendia significat. Atqui haec est fabule illius ratio breuiter explicata, ad mundi mutationes ostendendas. Cum enim, ait Plato, eiusmodi siccarū exhalationum copia suppetit, magna incendia fieri necesse est, adeo ut qui in aridis locis habitant, pereant citius, quam ij qui prope flumina aut maria. Atque eadem est inundationum ratio, ad hominum exitia efficienda, nam qui locis maritimis proximi sunt, magna ei aquarum submerguntur: qui uero montanis, liberi ab eo periculo sunt. Quamobrem huiusmodi mutationes in causa fuisse inquit, quo minus Graeci ullam antiquitatis cognitionem habeant. At uero Aegyptij, cum ab ijs periculis securi sint propter regionis naturam, uel nullam eiusmodi mutationem passi sunt: uel si sunt unquam perpeſi, memoriam antiquitatis suae columnis inscriptam relinquebāt, quae perpetuo ad posteros usq; remanebat. Haec itaque est mutationum omnium mundi ratio, ab Aegypto sacerdote reddita. illud uero interim explicandum hoc loco uidetur, quod ab eodem dicitur, de permutatione illa coelestis conuersionis longo temporum intervallo factae, ex qua uastitas inflammationis sequitur: itemq; de Aegypti natura, quae externis pluuijs careat, interna tamen inundatione scaturiat: postremo de more illo Aegyptiorū, in describendis antiquis rebus in columnis quibusdā. haec enim nosse, cognitu pulchrum est, et ad Platonis uerborum intelligentiam proderit. Philolaus apud Plutarchum lib. 2. de Placit. philosoph. alijq; Philosophi, duplicem esse mundi interitum asseruere: unum ex nimis aquarum inundatione: alterum, ex magna siccitate, inflammationeq; cum consumptis tandem exhaustisq; uaporibus humidis, coelestis ignis in terras defluxerit, cunctaq; inflammari: cuiusmodi etiam interitum mundi huius futurum, Christiani alij qui uiri existimant. Huiusmodi ergo inflammationē Plato intelligens, eandemq; diuersas mutationes efficere dicens, ait: Fit enim longo temporum intervallo coelestis conuersionis permutatio, quam inflammationis uastitas necessario sequitur. Tunc enim, uti diximus, stellis omnibus in certum quendam coeli locum coeuntibus, magnam terris siccitatem euenire, exhaustisq; uaporibus exuri illam necesse est, unde magna mundi partium futura sit mutatio. Atq; huiusmodi sanē futurum esse mundi exitium, philosophi multi putarūt: ut Stoici, quemadmodum Plutarchus in libro contra eos ostendit. Si enim exurendum esse hunc mundum, rursusq; reficiendum dicebant: quod Cicero etiam, in libris de Nat. deor. sub Stoici cuiusdā persona refert, et Seneca lib. 3. Natural. quest. sub finem. Iam uero,

quae nam Aegypti natura sit, ut nunquam pluat, inundatione tamen fluminis humectetur, aperiamus. Aegyptum pluuijs carere, inundationeq; Nili irrigari, nemo est qui dubitet. Nam cum ex ea regione nulli uapores à sole excitari dicamur, qui degenerent in pluuias, fit, ut externis aquis careat, inundatione tamen Nili contenta sit, quae fertilissimam eam reddit. Nili autem originē et incrementū querere, difficile est, idq; Philosophos multos diu torſit. alij enim, ex ijs quae Catadupa uocantur, in Aethiopiae locis, oriri Nilum putāt: alij ex palustribus quibusdam locis originem habere dicunt, ut Seneca lib. 6. Natural. quest. eiusmodi enim ortum Nili ab exploratoribus Neronis, in Aegyptum ea de causa missis, inuestigatum fuisse inquit. Sed inter plerisque constans opinio est, eundem ē montibus Lunae, qui in Aethiopiae interioris parte sunt, effluere. Causam uero incrementi huius fluminis, multi etiam tradidere. Cum enim in aestate post Solstitiū, intrame sole in Leonem, exundet, in uarias sententias multi distrahuntur. quas Seneca lib. 4. Natural. quest. ac Plinius lib. 5. cap. 9. Plutarchusq; lib. 4. de Placit. Philos. cap. 1. retulere. Vt cumq; tamen sit, siue fluius ex liquefactis montium niuib; increſcat, siue ab Etesijs uentis impulsus exundet, siue occulta alia causa, hoc solum dixisse cum Platone sub Aegyptij persona loquēte cōtēti sumus, nullas unquam mutationes uel incendiorū, uel inundationum passam fuisse Aegyptiū, sicut alias regiones. quod Diodorus etiam Siculus lib. 1. testatur, cum Aegyptum inquit diluuiorū expertē esse, hominesq; ibi propter aeris temperiē ē terra ipsa oriri, ideoq; illorū generationem nunquā deesse. Porro quod ad Aegyptiorum memoriā antiquitatis attinet, is fuit illorū mos ab antiquissimis temporib; usurpatus, ut antiquitatis monumenta omnia, cum literis carerēt, in columnis, quae in Mineruae, aliorumq; deorū templis erant posita, literis Hieroglyphicis describerētur: cuiusmodi columnas fuisse ab Hermete Trismegisto inscriptas, Iamblichus, alijq; docēt. in ijs enim nō modō cuncta antiquarū rerū monumenta, historiaeq; omnes scriptas habebāt, sed philosophiae quoq; aliarumq; disciplinarū rationē. Eadem autē columnae descriptae erant signis quibusdā loco literarū depictis, quae uero Hieroglyphicae uocabātur: quales sunt apud Ororum Apollinem, antiquissimū Aegypti scriptorem. Quapropter cum in ijs literis antiquitatis memoria apud Aegyptios incorrupta maneret, maiore uetustatis suae cognitionem habere ipsos, sacerdos ille inquit. Atq; haecenus quidem antiquitas Aegyptiorū declarata sit. At uero quod ille ipse de uarijs terrarum mutationib; dicit, his uerbis: Quando uero dii aquarum colluione terrae sordes diluunt, pastores ouium, atq; bubulci, etc. Sic esse intelligendum existimo, ut quēadmodū Aristoteles lib. 2. Meteor. dixit, ita quoq; Plato uarias terrarum inundationes fieri, quae terras mutant, affirmet. Vterq; enim philosophus

lofophus diuerſas regionum mutationes, calamitatesq; euenire, non ſolum ex aquarum magna ui, ſed ex incendijs etiam perſepe aſſerit. quale fuit diluuium illud uniuerſi, quo cuncta pericere, Noe excepto, ut ſacræ docent literæ. Atq; huiusmodi diluui ad expurgandas terræ ſordes, hoc eſt hominum uitia expianda, mitti à dijs, ait Plato: quemadmodum et nos ipſi affirmamus. Nam ut Ethnici homines mundi originem, antiquitatemq; ignorarūt, ita multa de inundationibus terrarum conſinxere, fabulisq; obſcurarunt: ut de Achaia inundatione illa, quam uniuerſi fuiſſe putarunt. Ab ijs igitur omnibus mutationibus liberam fuiſſe Aegyptum, ideoq; ueterū memoriam maiore retinere ſe ipſos, ſacerdos dixit: quamuis falſus etiam eſt, ut ceteri omnes, qui ueritatem ignorarūt. Fuit enim ante exitialem illam terræ inundationem, à Solon, Athenienſium ciuitas. Declarata Aegyptiorum antiquitate, cum ſacerdos ille demum concluderet, Græcos iuniores eſſe, nullamq; antiquitatis memoriam poſt unicā illam Græcie inundationem, quæ Deucalionis tempore contigit, inter Græcos ipſos retineri, antiquitatem Athenarum in his docet. ait enim, ante eandem illam inundationem, cuius ſolum Græci meminere, Athenas fuiſſe, multaq; præclara geſiſſe, quæ hominum interitu ab ijs ignoraretur. Hanc igitur Athenarum antiquitatem Plato ſub Aegyptij ſacerdotis perſona indicare uult, primoq; ciuitatis ipſius originem explicat, deinde res ab antiquis illis Athenienſibus præclare geſtas. Atq; hæc narrare ſe Soloni uelle ſacerdos inquit, propter communem Minervæ, quæ et Salm et Athenas condidit, religionem, qua utriq; eſſent inter ſe coniuncti. Sed ut nos ſingula ordine declaremus, uerba ipſa ſacerdotis ſequamur. Dicam uerò libenter, tui et ciuitatis ueſtræ gratia. Verba Aegyptij ſacerdotis, cum Solone loquentis, ſunt, quibus Athenarum antiquitatem, originemq; docet, quam ſacerdos idem, captata prius beneuolentia à Solonis perſona, narrat. ait enim, ante quā Salm, mille annos conditam eſſe Athenienſium ciuitatē à Minervæ, accepto ſemine ex Vulcano ac Terra: Salm autem ab octo millibus annorum ſtructuram ab illa eſſe. Sed ut nos eam rem explicemus, de Athenarum origine prius dicamus. Athenas à Minervæ conditas eſſe, nomenq; ab illa habere, hiſtorici omnes fatentur. Nam cum Vulcanus, ut auctor eſt Lactantius in lib. de Falfa religione, in bello illo contra Gigantes, dijs arma feciſet, poſticitūq; illi Iupiter per Stygiam paludem eſſet, nihil ſe negaturū, quod ab eo poſtularet, tum ipſe Minervæ nuptias petijt. Quod tamen cum ei Iupiter denegare non poſſet, Minervam admittit, ut illi repugnaret, nec ſuam uellet caſtitem prodere. eadē enim pudiciæ dea erat. Illa igitur Vulcani concubituſque refugiente, in colluctatione, Vulcanus ſemen emiſit in terram, ex quo Erichthonius natus eſt, ἀπὸ τῆς ἐρίδος καὶ χθονός, id eſt à certamine et humo ſic dictus. Puer ergo

hic à Cecropidis uirginibus educatus, Athenas condidit, et ab αθηνᾶς, hoc eſt Minervæ, nominauit. Quæ cum initio diuiſæ in uarios populos eſſent (ſiquidem tota illa regio Attica, Athenarum nomine appellabatur) à Theſeo poſtea in unicam ciuitatē, ut Plutarchus reſert, coactæ ſunt. In eadem etiam ciuitate antiquiſſimis temporibus Cecrops Aegyptius genere regnauit, tribumq; in eadem Cecropiæ ſuo nomine uocatam conſtituit. Atq; hæc eſt antiqua Athenarum origo, quam hoc loco Plato Aegyptij ſacerdotis nomine reſert. Sed ne quis putet, fabuloſam huius urbis originē à Platone ſine ratione tradi, ſed aliquam in eo allegoriam intelligere, ad naturæ cauſas reſerri illam oportet: quemadmodum Proclus, Platoniciq; alij faciunt. Igitur cum res omnes naturales efficiētis ſuæ principium habeant, Vulcanus quidem efficiētis cauſa erit: ſiquidem per eundem, naturalem rerum calorem agendi uel præditum, intelligimus. Sed quia efficiētis cauſæ ſubijci aliquid quaſi materiam neceſſe eſt, terra in quam Vulcanus ſemen proſuſiſſe dicitur, materie loco erit. eadem enim ab illo igne Vulcanio ſeu calore naturali quaſi efformatur, resq; producit, quæ per Athenienſes ex Vulcani ſemine in terram effuſo natos ſignificantur. Vt enim Athenienſes idem eſt terra nati propter ſeminis mixtionem creduntur, ita res naturales ex materie et forma producuntur. Quod autem per Vulcanum, calorem naturalem ad generationem aptum, et per terram, materiam ſubiectā intelligamus: Aegyptiorum Theologia, quam optimè Plato nouit, nos admonet. Aegyptij enim, ut Diodorus Siculus lib. 1. ait, ignem Vulcanum eſſe dicebant: cumq; magnum Deum, et ad generationem, perfectionemq; rerum accommodatum exiſtimabāt. Terram autem tanquam receptaculum eorum quæ fiant, matremq; ſubijci putabant: ideoq; mutato nomine Λυμνίτσα, quaſi matrem uocari ipſam affirmant. Cum igitur hæc ſit Athenienſium origo, illud nunc reſtat explicandum, cur Athenas mille annis antiquiores eſſe Sai dicat: ita ut, cum eo tempore octo annorum millia ageremur, ex quo Sais à Minervæ condita fuiſſet, Athenæq; ipſæ mille annis Salm præcederent, à nouem annorum millibus eadē illæ conditæ fuiſſent. hæc enim annorum ſupputatio, Athenarū antiquitatem declarat, quam nouem millium annorum fuiſſe Plato tum in hoc loco, tum in Atlantico affirmat. Aeternum fuiſſe mundum, multisq; retro ſeculis præceſſiſſe, ex his Platonis uerbis apparet. is enim, ut in ſequentibus docebimus, cum æternum eſſe illum aſſerat, Athenas ante nouem annorum millia non allegoricè, ut ineptè quidam interpretantur, ſed aſſeruit. Quod enim nouem illa annorum millia de lunaribus annis Aegyptiorum dicantur, perridiculum eſt. eo ſiquidem modo nulla eſſet Aegypti antiquitas, quam ſacerdos ſuprà prædicauit, ſi menſes Aegyptiorum anni eſſent. quamuis enim idem illi

(ut Eudo-

(ut Eudoxus ac Plinius lib. 9. cap. 48. referunt) luna cursum anni spaciū etiam uocauit: solarem item annum agnoscebant, eodemq; tempora definiēbant, ut Diodorus Siculus lib. 2. docet, cum Aegyptiorum annum duodecim menses continuisse ait. Cum ergo in ea fuerit Plato sententia, ut aeternus sit mundus, recte quidem Aegyptius sacerdos Athenarum antiquitatem referens, à Minerva dicit, idq; ex sacris Aegypti monumentis, in quibus antiquitatis historiae descriptae erant, collegisse se affirmat. Quāobrem explicata iam Athenarum antiquitate, quoniam uniuersam eius originem tradere prolixū esset, in alium se locum, uidelicet in Atlanticum dialogum, id omittēre uelle, inquit Critias his uerbis:

Deinceps uero cum plus dabitur otij, accepto historiārum libro, latius exponemus. Sed cum narrationis huius, uti diximus, scopus eo tendat, ut Atlantinarum bellum cum Atheniensibus exponat, antequam ad illud accedat, antiquum Atheniense reip. statum Saitarum ciuitatis persimilem ostendit, communesq; utriusq; populi leges et administrationem narrat: ut quemadmodum initio breuem quandam reip. descriptionem, de qua in lib. de Rep. disputarat, proposuit, ita nunc eandē illam in ueteri Athenarum statu fuisse prius ostendat. Quod si allegorij, ut Platonici faciunt, explicare haec uelimus, per Atheniensem reip. breuiter explicatam, uniuersalem et archetypam causam constitutionis intelligere possumus: per Saitarum autem leges, reip. illi similes, imaginem et singularem effectiōnem ab illa priori deductam. Quemadmodū enim Athenae, ipsarumq; respub. fundata prius est à Minerva, ab eademq; post mille annos Sais: ita semper in rerū constitutione uniuersalis et exemplaris causa praecedit, hanc autem singularis effectio uelut imago quaedam illius expressa sequitur. Quo nomine quasi exemplari suo imaginem conferens Plato, primò legem in utraq; ciuitate similitudinē, deinde similem sacerdotum distinctionē, similia opificia, similia pastorum, agricolarum, uenatarumq; officia, militum similia munera, summam deniq; administrationis in utraq; rep. consensionem ostendit. hanc enim constitutionem reip. à Minerva prudētia sapientiēq; dea Atheniensibus antiquissimis traditam, quasi exemplar proponit: similitudinem uero Saitarum reip. cum illa, uelut imaginem. Atqui haec à Platone breuiter dicuntur, antequā ad narrationē illam Atlantini belli cum Atheniensibus commissi deueniat. In quo si prolixas Platoniorum quorundam allegorias de ratione sacerdotum ad secundas rerum causas, aut pastorum adeas, quae in mundo praefectura corporeae uitae, et irrationalium uirium sortiuntur, aut deniq; agricolarum, militum, ceterorumq; illius reip. opificiorum cum alijs rebus proportionem explicare uelimus: non modò longissimum esset, sed ineptissimum etiam. neq; enim ubiq;

allegorij uti Platonem credendum est: neq; omnia facile allegorij explicari possunt, cum eas multa nō admittant. Huiusmodi institutione, et ordine priorem uestram urbem.) Cum antiquissimum Athenarum statum reip. Saitica similem ostendisset, concludens demum sacerdos, ad communem illā utriusq; ciuitatis conditricem Minervam recurrit: Cum eandem inquit in Athenarum constitutione, solis aerisq; temperiem maximē spectasse, ut quia ipsa sapientiē belliq; dea sit, similes sibi faceret Athenienses, armis uidelicet sapientiēq; praestantes. Quā in re considerandus est Platonis erga patriam amor, ut quotiescunq; sese offerat occasio, summis laudibus eam prosequatur. Nam non modò in hoc Dialogo eandem illam ab ingeniorum praestantia, rebusq; bello gestis laudat, sed in Atlantico etiam, ac lib. 5. de Legib. et Epinomide toto, et Menexeno, ubi easdē Athenarū laudes commemorat. At uero quod de Athenarum temperie Plato dicit, uariè Platonici interpretantur, dum eius temperationis causas inquirunt. Panetius enim, aeris temperiē inter aestum ac frigus mediam, causam esse putat, cur Athenae ingeniorum praestantia, uirtuteq; hominum excellant. Longinus non aeris, sed soli temperationem assignat. Origenes coelestibus influxionibus id tribuit. Porphyrius et Proclus nullam naturalem eius temperationis causam, sed allegoricam reddunt. Quocunq; igitur modo sit, summam esse Athenarum temperiem, et quod ad coeli naturam, aerisq; clementiam, et quod ad loci situm attinet, omnes affirmant. Quemadmodū enim qui sub crasso aere nati sunt, hebetes plerunq; sunt, et agrestes: ita etiam qui sub tenui et subtili, ut Athenis, nascuntur, ingeniosi et acuti. Loci siquidem natalis temperies, ad hominis constitutionem multum confert. Quā de causa, cum magna sit Athenarum temperies, ut scriptores affirmant, ad eam explicandā, Plato hanc inquit in ea construenda rationem habuisse Minervā, ut quando eadem et φιλόσοφος et φιλοπόλεμος, hoc est, et scientiae et bello praeset, similes sibi faceret Athenienses. quod idem est, ac si diceret, magnam esse Atheniensium non solum ingenij uim, sed fortitudinem in bello: quod ex eorum praecclare gestis pace belloq; animaduertere licebit. Haec igitur haecenus de Athenarum antiquitate, et praestantia, omisissimis longissimis allegorij, dixisse satis sit. Nunc ad Atlantinarū bellum accedamus. Traditur enim uestra ciuitas restitisse olim innumeris hostium copijs.) Cum post explicatam Athenarum antiquitatem, res praecclare ab illis gestas commemorare uelit, Atlantinarum bellum, quod Athenienses contra illos olim gessere, narrat. Quo facto, ad naturae tractationem accedit. Cum ergo hoc ita sit, ad explicandam nos Platonis sententiam conuersi, primò qui nam fuerint Atlantini, quas ue regiones incoluerint, dicamus. Deinde, quod bellum cum ipsis Athenienses gesserint. Vltimò, quid nam per hoc bellum

bellum significetur, aut qua de causa narratio illa hoc loco recensatur. Extra habitatum nostrum orbem, in Atlantico Oceano regionē quandā fuisse olim, Atlantidem nominatam, eamq; Asia & Africa maiorem, tū in hoc loco Plato, tū in Atlantico refert, uerissimamq; huius rei esse historiam affirmat: itemq; Proclus Marcellum quendam, qui de rebus Aethiopum scripsit, citat, ad eandem historiam confirmandam. Quinetian Strabo lib. 2. de multis terrae mutationibus loquens, hanc ipsam Platonis sententiam non fictam, sed uerā esse affirmat. Huic assentitur Plinius lib. 7. cap. 31. cum extra Herculis columnas insulas quandam Atlanticam nominatā, e regione montis Atlantis positam fuisse inquit. multi deniq; regionem illam Atlantinarum, à Platone hic commemoratam, agnouere, ipsamq; illam, ut auctor est Proclus, in septem insulas partiti sunt, quarum una quidem Proserpine sacra erat, alia Plutoni, Ammoni alia: atq; inter duas illas alia quaedam media Neptuni, ac demū tres aliae amplissima sine nomine: quas omnes amplitudinem mille stadiorū excessisse, Proclus idem refert. Hæ igitur insule, ut in Critia etiam Plato docet, ab Atlātinis cultæ fuerunt. Nam cum Neptunus regionem illam ex mūdi partitione sorte obtinisset, in eaq; filios ex mortali semina suscepisset, generato demum Atlante, insulam ab eo denominauit, ipsumq; illius regem constituit: à quo postea insulani omnes Atlātini, mareq; illud Atlanticum uocatum est. Atque hæc est Atlantinarum historia, & origo paucis explicata, quam Diodorus Siculus lib. 4. prolixè docet: quia in Oceano illo occiduo prope Africam, insulā quandā amplissimam, Tritoniam nominatam, iacere inquit, in qua Atlātinis fuisse refert, à quibus dii multi orti sunt. Iidem præterea Atlātini ab alijs Gigantes illi Titanes, qui cum dijs pugnam conseruere, putantur esse: ita ut Athenienses sine dijs, qui, duce Minerva, Atlantinos seu Gigantes rebellantes compescuerint. Atq; eadē de causa, cum Atlātini ipsi Neptuni filij putentur, sacra quædam Athenis fieri solita, propter Minervæ uictoriam de Neptuno, affirmat Proclus. Quoniam autem Gigantium hæc pugna uariè à multis narratur, uariamq; ea de re historiam recensent, ac multis fabulis obscurant, præmittenda hoc loco est: siquidem allegoria hæc omnia dici à Platone uidentur, non autem ut fabellas narret. Quando igitur Atlantinarum, insuleq; Atlantice historiam breuiter narrauimus, de bello iam Atheniensium cum illis gesto pauca dicamus. Cum Atlantini remotissimam habitati nostri orbis partem incolerent, desiderioq; melioris regionis capti, mediterraneū mare intraissent, bellumq; ijs omnibus, qui habitabant ibi, intulissent: Athenienses, qui eo tempore plurimum militaris rei peritia, prudentia, uirtuteq; pollebant, adiunctis sibi ceteris Grecis, copias suas collegerunt, eosdemq; deuicere, Minervæ parentis sue auxilio. Hanc pugnam quauis

allegoricè Platonici, ut docebimus, interpretantur, uerissimam esse, & in hoc loco, & in Critia Plato affirmat: quam tamen eandem illam fuisse alij putant, quæ cum Titanibus gesta est à dijs. sed ut eam nos ad physicam rationem, allegoriamq; ueram referamus, quid nam per hoc bellum significare nobis Plato uelit, indicemus. Crantor, antiquissimus Platonis interpres, historiam hanc à sacerdote narratā dicit esse, ut Solonem irrideret, quod non ipse reip. illius inuentor fuisset, sed ab Aegyptijs institutionē accepisset: siquidem bellum illud non ab Atheniensibus, sed ab Aegyptijs gestum esse inquit, ut illorum etiam sacerdotes affirmant. Alij fictam esse historiam illam dixere, ut Plato ostenderet, ex ijs quæ nunquam fuisse, aliquid euenisse in mundi effectiōne, ipsumq; factum esse, cum antea non fuisset. Alij per bellum illud Atlantinarum, repugnantiam rerum naturalium inter se indicari uolunt: quemadmodū Empedocles & Heraclitus asserbam ex cōcordia discordiaq; cuncta oriri. Amelius, repugnantiam inter firmamentum siue ἀπλανὴ σφαῖραν, & septem planetas, in illo bello significari ait. Origines, oppositionem superiorum demonum cum inferioribus, uictoriamq; illorum esse dicit. Numenius, animarum præstantiā, quæ Minervam, id est sapientiā sequuntur, dissensionem, cum animis quæ corpoream generationem sub Neptuno expressam sequuntur, intelligit. Porphyrius pugnam illam ponit inter demones, qui ad generationem animos deducant, & eos qui reducant. Iamblichus denique, ac Proclus, repugnantiam naturalium rerum in generatione & interitu, bellum illud esse putant: ut quemadmodum qualitates inter se contrariæ sunt, ita Athenienses aduersari Atlantinis dicantur. & sicut ex unius ortu alterius interitus euenit, ita ex Atheniensium uictoria Atlantinarum exitium sequutum fuerit. Quæ quidem sententia multo à me magis probatur, rationiq; magis consentanea uidetur. Nam si rerū naturalium generationem spectes, magnum est contrariarum qualitatum inter se dissidium, dum alie superant, alieq; inuicem superantur. item in motu ipso cœli magna quoq; dissensio est. inferiores enim septem planetae, contra primi mobilis conuersionem semper uiuantur. Quinetiam in rebus ipsis, è contrarijs omnia fieri uidebis. nam ex nō homine fit homo, et ex homine uice uersa fit. non homo, ut Aristoteles lib. 1. Physic. inquit. Cum igitur hoc ita sit, per bellum illud Atlantinarum, naturalium rerum dissensionem intelligi, cum Platoniorū plerisq; asserimus. id enim ipsum Plato sub hoc enigmate significare nobis uult, ut Proclus refert. Nam si breuiter singula allegorij explicare uolumus, per Athenienses, qui Minervā ducē in eo bello sequuti sunt, Minervam ipsam, hoc est intelligibile prouidentiam cuncta efficiētem intelligere oportet. per Atlantinos, Neptuni filios, eundem ipsum Neptunum, qui generationē foueat, et sustinet. per Athlanticam

ticam illam insulam in medio mari sitam, quae submersa non apparuit, materiam rerum omnium, quae in fluxu perpetuo generationis rerum uersatur, obscuraq; semper est, siquidem analogia quadam, ut Aristoteles lib. 1. Physic. inquit, intelligitur. Atqui haec est communis Platoniorum in hac belli narratione allegoria. nam singula minuta ad allegorias deducere, longissimum esset. His ita explicatis, narrationis huius scopus est, generalem mundi constitutionem sub Atheniensium reip. antiquitate exprimeret: itemq; sub hac Atlantiorum pugna, et Atheniensium uictoria, naturalium rerum ortus, interitus, mutationesq; in quibus inducta rei forma superior euadit in rei constitutione, declarare. Quemadmodum enim in unius mundi natura magna est singularum partium inter se repugnantiâ, totius autem summa consensio: sic etiam in una reip. Atheniensis constitutione, tot bella, uictoriaeq; ut Atlantina, reperiuntur. Siquidem in eo festo Panathenaeorum, cum sermo iste habitus est à Critia, Atheniensium res gestas in Panegyricis laudare oratores solebant. Ideoq; Plato, cum de natura differere uelit, ac pro more ciuitatis rem aliquam in eius laudem enarrare debuisset, eam recenset historiâ, quae non modò magnam reip. suae laudem pariat, sed etiam quae naturae tractationi quàm aptissima, accommodatissimaq; sit. Haec ergo de tota Critiae narratione breuiter dixisse satis sit. Nunc ad reliqua progrediamur. Tunc enim erat fretum illud nauigabile.) Explicuimus generatim narrationis huius causam: nunc Atlanticae insulae breuiter descriptionem explicemus, ad Platonis intelligentiam. Fretum Herculeum in aditu mediterranei maris occasum uersus in angustia illa Calpis et Abile montium esse, Geographi omnes affirmant. Huic freto Atlanticam insulam, de qua diximus, obiectâ esse, mareq; tunc illud nauigari ab Herculis columnis usq; ad eandem illam, hoc in loco et in Critia dictum à Platone est. Eandem uerò insulam Atlanticam maiorem Africa Asiaq; fuisse, ex eaq; ad reliquas insulas, quas numerauimus, et ex ijs rursus insulis ad continentem e regione oppositam circa uerum illum Oceanum aditum patuisse, dicit. In ea igitur summam fuisse regum potentiam inquit, adeò ut magnam Africa, Europaeq; partem in Aegyptum usq; et Italiam occuparint. Horum potentiam collectis Graeciae uiribus Athenienses oppressisse, ipsamq; postea insulam tremotu unius diei submersam esse, adeò ut locus ille nauigari propter limum non posset, Plato affirmat. Atque haec est totius Atlantici belli summa, quam Marcellum etiam in lib. de rebus Aethiopicis retulisse Proclus refert. Quae quia magna ex parte declarata superius à nobis est, illud nunc uideamus, cur extra Herculis columnas posita fuisse illam insulam tantae amplitudinis dicat. Deinde, quae nam Atlantiorum regum potentia, quam Atheniensium uis oppressit, fuerit. Postremo, cur insulam eandem tremotu et

inundatione submersam affirmet. Exposita iam uera historia, insulam illam Atlanticam extra Herculis columnas, atq; adeò orbem nostrum habitatum sitam fuisse, Proclus refert. Quoniam duplex cum sit uniuersi ordo, unus à Deo incipiens, alter in materiam usq; proueniens: et uterq; tum uniuersalia, tum singularia complectatur, pelagus quidem Atlanticum materiae loco sit, Atlanticasq; reliquas insulas quasi eiusdem materiae participes contineat. Eadem autem extra nostrum orbem esse dicitur, quia ut nostri orbis unus est, Atlanticae uerò insulae plures, et ab illo remotae: ita materiales res, cum in diuisionem cadunt, ab unitate illa intelligibili, indiuidueq; naturae seiunctae sunt. Item eandem illam insulam maiorem Africa et Asia esse dicit, quoniam ea quae longissime ab uno remouentur, ac potestate maiora sunt, quantitate augentur. Maior enim materiae uis magnitudinem efficit ampliorem, minor autem materiae pars minorem magnitudinem. Quia igitur per Africam et Asiam, atq; orbem nostrum habitatum, unitatē intelligibilis essentiae, per Atlanticam insulam magnitudinem materiae intelligimus: alteram alteri comparauit Plato. Quinetiam mare illud nauigabile tunc temporis fuisse inquit, quòd ab uniuersalibus ad singularia, et ab unitate ad multitudinem res progrediantur, materiamq; ipsam exornent: uiceq; uersa ab illa multitudine ad unitatem redeant, et quasi resoluantur. Quae sanè resolutio per digressionem ab illis insulis ad continentem oppositū intelligitur. siquidē omnia quae sunt, tum ab exiguis principijs enascuntur, tum in illa iterū redeunt. Iam uerò et secundo uideamus, quae nam Atlantiorum potentia illa fuerit. Quemadmodum in bello illo Titanico contra deos gesto, Titanes magna potestate coniurantes, inferiorem detentoremq; naturam praestantiori resistentem significare dicunt Theologi antiqui: ac ediuerso, deos magna uis eosdem illos opprimentes, praestantiores esse causas, quae ad suam agendi uim inferiora deducant: sic etiam per Atlantiorum uim, inferiorem, detentoremq; naturam intelligimus, quae multiplex cum sit, et mutabilis, superiori permanentiq; aduersatur. per Atheniensium autem collectam uirtutē, uniuersalis causae praestantiam, uimq; agendi in inferioribus, ipsaq; ad se conuertentem consideramus. Cuiusmodi repugnantiâ Timaeus in sequentibus docebit, de animi generatione loquens, cum diuiduam naturam quasi repugnantiē, à Deo artifice coniunctam esse indiuiduam, et eiusdē naturae dicit. Postremo insulam illam tremotu, inundationeq; submersam fuisse, Plato inquit: quia constituta iam rei generatione, mutationes uarias subinde fieri necesse est. Siquidem à generatione ad interitū res progrediuntur, et ab interitu rursus ad generationē, quemadmodum Aristoteles in libris de Ortu et interitu docet. Quòd autem insula illa amplissima tremotu, illuisioneq; fuerit submersa, terrae uniuersae mutationes

tatiões uarias fieri, et ut Aristoteles in lib. de Mundo ad Alexandrum, ac Meteoris inquit, ex cōtinenti mare, et ex mari continentē effici significat. Multas enim terrae partes in mare prorsus mutatas, aut in terras maria fuisse, Plinius lib. 2. testatur. Multas item ciuitates terrae motus et inundationes absorpsere: ut Helicem, et Buram, atq; hanc ipsam Atilanicam insulā, de qua Plinius lib. 2. cap. 90. id ipsum refert. Ex quibus omnibus fit, ut idem terrae situs perpetuō non maneat, partesq; mundi uariē mutantur, uniuerso semper permācente: ut initio sacerdos ille de diluuijs, incendijsq; dixit. Quin etiam terremotū sequi inundationes dixit: quoniam ut Aristot. lib. 3. Meteor. ait, terrae motus ex aere terris intercluso, magnaq; ui erumpente fit: ideoq; illuuiōnes aquarum illum sequi solent, quia terra tunc patetior est, mareq; si proximum sit, influere facilius potest: ut in duabus illis ciuitatibus Helice ac Bura contigisse, Plinius in eo libro testatur. Quapropter sermonem hunc à Solone habitum, Critias haecenus narrans, tandem cōcludit, multorum se partim obliuisci, partim recordari, propter temporis diuturnitatem, ex quo haec ille audierit ab auo suo Critia. Atq; eo sanē modo commemorata iam Athenarum antiquitate, ad breuem illam Socratis de rep. tractationem redit, cum se iam ciuitatē illam commemorasse inquit, quam idem Socrates instituisse. Sic enim ait: Ciuitatem quidē illam, Atheniensem hanc urbem esse: ciues quoq; quos ipse excogitabat, nostros illos maiores à sacerdote narratos fuisse censebimus. Hoc igitur sermone Critiae finito, cum pro Atheniensium more in illa Panathenaeorum solennitate, Socrates et Critias aliqua de re antea disputassent, eundemq; diē tertium, in quo Dialogi huius tractatio suscepta est, terrere huiusmodi sermonibus uellem: Timaeum etiam hospitem Critias et Socrates hortantur, ut ipse quoque aliquid ediceret: quando non solū astrologiae, sed philosophiae etiam

peritissimus sit. Qua in re de mundi ortu usque ad hominis generationem tractare illum iubet, ut cum ipse mundum atq; homines efformarit, in ciuitatem illos et reip. quam haecenus descripsit, inducat Socrates. Singuli ergo illorum priuato quodam munere in disputatione hac utuntur. nam Timaeus hominis generationem ostendit, Socrates institutionē, Critias actiones ac res gestas illorū, Hermocrates dicta et uerba eorundem colligit. id quod Plato ipse hoc modo declarat: Atq; ego deinceps suscipiens homines à Timaeo quidem genitos, à Critia uerō ut plurimum institutos, secundum Solonis sermonem, legemq; in iudiciū nostrū adducam. Atq; in isto sanē sermone sub Timaei persona Platonem loquentem intelligamus. ipsemet enim sententiam suam illius ore profert, quemadmodum in eius uita Diogenes Laertius affirmat. Quando uerō unicuiq; earum personarum singula munia Plato assignat, ita ut Socrates ciuitatem instituat, Timaeus generationem hominis tradat, Hermocrates uerba et sententiam colligat, triplicem philosophiae diuisionem intellige, quam Plato fecit: moralem, naturalem, et rationalem. Moralis enim tractationē, quae de hominis institutione differit, Socrati tribuit: naturalem, quae de mundi, hominisq; ortu, Timaeo: rationalem deniq; quae de sermone, Hermocrati. Quam quidem diuisionem, ut Cicero in Academicis quaest. ait, confirmatq; Diogenes Laertius, Plato idem fecit, eiusq; partes singulas, quae admodū Apuleius in lib. de Platonis dogmate scribit, à diuersis accepit philosophis: ut Moralem à Socrate, ideoq; illam merito huic tribuit: intelligibilem tractationem, quam Aristoteles τὰ μετὰ τὰ φυσικά uocat, et rationalem, quam is etiam nominat Metaphysicā, à Pythagora: sensibilem rerum rationem ab Heraclito. Atqui haecenus primam Dialogi partem exposuisse hoc modo, relictis prolixioribus allegorijs, satis fit.

SECVNDAE PARTIS TIMAEI ARGVMENTVM.

Utrum ordinem in philosophia Plato sequitur, ut primam cunctarum rerum causam in omnibus disputationibus inquirat, et ad hanc ueluti ad extremam, ultra quam nulla alia reddi possit, recurrat. Huiusmodi quidem causas reddendas esse semper, tum alijs in locis, tum in Phaedone Socrates, de physica incertitudine loquens affirmat: ideoq; hoc in loco Plato ab uniuersali omnium initio, nimirum Deo, mundi generationē auspicatur: quoniam is est doctrinae ordo, ut à cōmuniōribus ad singularia progrediamur, quod Aristoteles lib. 1. Physic. inquit. Itaque in secunda huius dialogi parte duo ponit rerum omnium principia: Deum, quem τὸ αἰὲν vocat: et essentiam rerum sensibilem, quam τὸ ὁρατὸν et nominat. Ex his duobus initijs cœlum, sidera, elementa, animalia, animam, uniuersam deniq; mundi, eiusdemq; partium naturam productam dicit, et ex iisdem initijs uniuersi constitutionem ostendit, ut in eius explicatione docebimus.

PLATONIS

PLATONIS TIMÆI PARS SECUNDA.



NAM cum omnes qui mentis quoquo modo cōpotes sunt, in operis cuiuslibet uel magni uel parui principio inuocare Deū soleant: quanto nos æquius est de uniuerso siue genitum sit, siue ingentū disputaturos, nisi fortē desipimus, inuocare diuinam opem? Ergo deos omnes, deasq; precamur, in primis quidē ut ea dicant à nobis, quæ illis placeāt: deinde ut nobis ipsi cōstemus. Quantum ad deos attinet, sic à nobis oratum sit. Sed quod ad nos spectat, poscendū est, ut & uos facile assequamini, & ego secundū mentis propositū rem ipsam, qua de agitur, transigam. Principiō ita mihi distinguendum esse uidetur, quid sit quod semper est carens generatione: quid uerō quod gignitur quidem, neque est unquam. Illud intellectu per rationis indaginē percipi potest, quū semper sit idem: hoc opinione per irrationalem sensum attingi, quum gignatur, & intereat, neque uerē unquā sit. Quicquid autē gignitur, ex aliqua natura necessariō gignitur. Sine causa uerō oriri quicquam impossibile est. Quando igitur opifex in operis alicuius constructione ad id quod eodem modo se habet semper aspicit, & huiusmodi quodā usus exemplo, ideam uimq; in opus educit, pulchrum fieri tunc opus omne necessariū est: quando uerō ad id quod factū est respicit, minimē pulchrum. Vniuersum igitur hoc, Cœlū, siue Mundū, siue quo alio uocabulo gaudet, cognominemus.

SEBASTIANI FOXII

Morzilli Commentarius in II. partem Timæi.

Rogatus à Socrate Timæus, ut de nature philosophia hoc loco diserat, quando ipsi antea de alijs disputant, initio huius sermonis ab inuocatione exorditur. Cum enim uniuersi auctor atq; opifex sit Deus, deq; uniuersitatis ortu naturaq; disferendū sit, meritō ab ipso huius artifice exordiū sumere oportet. Qui sanē mos non lege aliqua, ut ait Plato, traditus, sed natura duce omnibus insitus est. Nam cum à Deo, ut Proclus ait, essentiam omnē ac

dam acceperimus, æquum profectō est, ut ad nostrum prius parentem recurramus, et quasi eundē consulentes deprecemur. Atqui hoc ipsum Porphyrius elegantissimē monēs, orare nos Deum, utpote ipsius filios, docet, quādo is nostris rebus prouidet: quoniā enim uniuersi huius partes sumus, uniuerso ipso indigemus: siquidem conuersio partium ad totum, salutem ipsis affert. Quinetiam Iamblichus, Theodorus, Proclus, tota deniq; Platoniorum schola, ad eiusmodi preces nos hortatur: quod per eas dijs cōiungamur, similesq; ipsis efficiamur. Ipsi autem, inquit, parati, promptiq; nobis sunt ad preces exaudiendas, bonitatemq; suam beneficijs erga nos declarare semper uolūt. Hoc igitur Plato initio cuiusq; tractationis proponēs, ab inuocatione prius exorditur: ut in Atlantico, antequā Athenarū antiquitatem narret, Phœbum, Musas, Mnemosynemq; inuocat. In quarto item de Rep. libro, inuocandum prius esse Deum ad ciuitatis institutionem docet, ut is propitius, benignusq; adsit. In alijs denique locis Deum passim inuocat, eundemq; tractationis principium proponit. Quamobrem Timæus etiam, antequā tractationem de mundi ortu auspicetur, à Dei inuocatione orditur: ut uniuersali omnium causa sibi prius quasi conciliata, reliquam disputationē commodius persequatur. Nec mirum est, si Timæus ab inuocatione fuerit exorsus, cum Pythagoreus fuerit, præceptoq; Pythagoræ inuocandum esse prius Deum in omnibus cognouerit. idem enim, ut Iamblichus ait, huiusmodi uersu inuocandum initio Deum in omnibus præcipiebat:

ἀναγνῶντες μὲν πρῶτα τοὺς θεοὺς οἷς ἀσπένταται. Τίμαιος

Quam etiam sententiā poete omnes secuti, principio suorum operū ab inuocatione incipiūt. Quod Horatij quoq; in Arte poetica auctoritate confirmatur, qui in difficilibus tractationibus inuocari Deum præcipit. Quæ cum ita sint, rectē quidem Plato initio huius disputationis deos omnes, deasq; inuocat, ut quicquid in sermone hoc dicatur, eisdem illis gratum sit. Deinde uerō beneuolentiam à Socrate, Critiæ, Hermocratisq; persona captat, ut eorum attentione, promptitudineq; animi tractatio ipsa melius intelligatur. in quo certē aduertendum est, Platonem deos deasq; inuocare, quoniam in disputatione hac nō modo unicam primamq; causam, hoc est Deum præponi satis est, sed secundam etiam, ac diuiduam. Nam per deos quidem, ut Proclus inquit, primam omnium, indiuiduam, eodemq; modo se semper habentem causam intelligimus: per deas uerō secundam, diuiduam, et alterius naturæ. siquidem ex his causis duabus cunctarum rerum generatio, ut suo loco dicemus, constituitur. His ita propositis, ad reliquorum interpretationem accedamus. Principiō ita mihi distinguendum esse uidetur, quid sit quod semper est generatione carens,

e quid

quid uerò quod gignitur.) Quoniam in hoc loco disputationem ipsam de mundo Timeus orditur, eiusq; institutum est, ut antea dixit, initium mundi querere, sit ne ille natus aliquando, an principio caruerit: ordine quidem, distincteq; omnia explicanda nobis sunt, tum ut res melius intelligatur, tum ut prolixas obscurasq; aliorum interpretationes clarius afferamus. Qua de causa principio docendi ordinem à Platone hic usurpatum exponemus: deinde sententiam uerborum, resq; ipsas explicabimus. Duplicem docendi ordinem philosophi omnes tradunt: unum naturalem, quem omnes natura duce norunt, quoq; res omnes sensibus comprehendunt à singularibus ad uniuersalia: alterum artificiosum, et disciplinis tradendis accommodatum, ab uniuersalibus ad singularia. Hunc omnes qui artem aliquam docent, sequuntur: Timeusq; hic sequitur, et Aristoteles in libris de Physico auditu. ambo enim à communioribus, primisq; rerum principijs tractationes suas auspicantur, amboq; ad singularia usq; progrediuntur. Quapropter hic est Platonis ordo in hoc Dialogo, ut primò communem, primamq; omnium causam proponat: deinde secundas, et ab illa deductas, quo usque ad singulorum animantium generationem explicandam accedat. Quod etiam Aristoteles in libris de Naturæ philosophia fecit. nam in Physicis quidem uniuersales omnium causas tradidit, in reliquis autem secundas, et ab illis promanantes, ut cælum et elementa: postremo animalium historiam adiecit, tanquam totius naturalis scientiæ extremum. Hoc ita statuto, quid in illa entium distinctione Plato sibi uelit, explicemus. sic enim exorditur: τὸ δὲ πρῶτον αἰὲν ὄν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐκ τινος, καὶ τὸ γινόμενον μὲν, ὅπερ αἰὲν ὄν ἐστὶν αἰὲν ὄν. Aliqui diuisionē entis fieri à Platone hic putant, ita ut cum ens confusum, ambiguumq; sit, distinguatur in suas partes. Proclus tamē, atq; alij, nullam hic fieri diuisionem affirmant, sed distinctionē potius: ut cum aliud sit ens æternum et unum, aliud uerò caducum, et ab illo primo deductum, alterum ab altero prius distinguatur. id quod in Parmenide Plato fecit. Nam cum de unico illo ente intelligibili disputet, seorsū de ente, quod uerè non est, quodq; ab illo priori pendet, differit, nec ullam ibi eorū que sunt, diuisionem facit. Quod etiam rationi magis consentaneum est: quando diuisio in æquales, et eiusdem essentia partes fieri debet. in hac autem entium distinctione cum eadem, æqualis uel nō sit ueri entis et non uerè entis essentia, sed diuersa prorsus, eadē minime posse diuidi manifestum est. Cum itaq; distinctio hæc entium (hoc enim uocabulo res melius explicatur) à Platone fiat, quid nam sit τὸ αἰὲν ὄν, et quid ὁ δέσποτις ὄν, uideamus. Essentiā omnem Plato duplicem esse, ut Apuleius in lib. de Dogmate illius testatur, dixit: unam, quæ intelligibilis, æterna, primaq; est, ut Deus, mens, idæ rerum separate: alterā ensilem, et mutabilem, ab illa priori productam,

ut est mundus, eiusdemq; partes omnes. Atque illam quidē τὸ αἰὲν ὄν, id est ens semper, solāq; ratione cogitationeq; comprehensum: hanc τὸ ὄν ὁ δέσποτις, id est uerè non ens, sensibile, et in opinionem cadens nominat. quoniam Deus, intelligibilisq; omnia semper sunt, principioq; caret, et ex ipsis reliqua pendunt: mundus uerò, sensilisq; cuncta principio aliquo constant, uerèq; non sunt, si cum illorū essentia conferatur. Itaq; primum potissimumq; rerum omnium principium, unicum et ratione comprehensum, ac æternum, Deus est: secundum uerò in sensum cadēs, à primo illo productum, est totius mundi uniuersitas, cuius ortum in hoc libro inuestigamus. Huiusmodi etiam entis distinctionem in eodem Parmenide Plato fecit, cum ens unum, æternum, immobile, indiuisibile, infinitum, cunctarumq; principium, hoc est Deum, et ideam, in illo sitam posuit: alterum autem uerè non ens, mutationibus obnoxium, finitum, mobileq; adiunxit, id est inferiorem hanc materiā rerum corporearum. Hinc igitur constitutum iam sit, quid sit τὸ αἰὲν ὄν, id est uerè semperq; ens: et τὸ ὄν ὁ δέσποτις, id est non uerè ens. Nunc id restat explicandum, cur alterum semper ens uocet, alterumq; non ens, et factum. Quo exposito, causarum genera à Platone tradita, ipsdem duobus principiis adiungamus. Deum à Platone τὸ ὄν αἰὲν, id est semper ens uocari, tū Proclus Platoniciq; alij affirmant, tum Iustinus Martyr in Parænesi ad Græcos testatur, cum uerba illa Platonis τὸ αἰὲν ὄν Deum significare, eaq; ex Mosis uerbis his, Εγὼ εἰμι ὁ ὄν, id est, Ego sum qui sum, manifestè desumpta esse inquit. Ratio uerò cur Deum siue primam omnium causam τὸ αἰὲν ὄν uocet, ea est, quod ultra ens nihil sit: primum autē ens non esse minime potest, sed semper ab æterno est, nullōq; constat principio. intelligibilis enim, primaq; causa æterna est, alioqui prima non esset. Iam uerò τὸ ὁ δέσποτις ὄν uocat secundam causam, ut mundū ipsū, materiam, ac formam: non quod hæc unquam esse desierint, factaq; aliquando sint, sed quia uerè entia non sint, si cum primo illo ente conferantur: maiorem siquidem essentiā intelligibiles res habent, Platoniorum sententia, quàm corporeæ. Idem etiā factum ens dicitur, quatenus principium aliud se præstatum, à quo seruatur, et generatur, ante se habet, quatenusq; tempore transigitur: id quod Apuleius de dogmate Platonis, Proclusq; affirmant. Quamobrem hætenus quidem duplex rerum omnium principium Deum, et rerum generatarum essentiā Plato constituit, illū quasi principem, efficientemq; causam, hanc ueluti subiectū rerum effectarū. Qua in re cōsiderandum est, Platonem, ut Apuleius, Plutarchus, alijq; asserunt, tria posuisse rerum principia: Deum, materiam, ideam. quorum illa duo τὸ ὄν αἰὲν uocat, hanc uerò τὸ ὄν ὁ δέσποτις. Itemq; causarū genera, ut de illo omnes scribunt, hæc cum attulisse constat: Efficientem, exemplarem, et finem, quæ in Deo artifice collocat: materiam, formamq; quæ in

in mundo hoc sensibili. Vtrasq; uerò causas et principia sub distinctione illa entis prius facta intelligit. Materiam etiam duratione, non cause modo aequè eternam, ac Deum ipsum facit: quamuis ediuerso Bessario lib. 2. in calumniatorem Platonis, multis testimonijs confirmet, Platonem non censuisse hanc coeternam cum Deo esse: cui tamen Plotinus, ac Gregorius Nyssenus aduersantur. Exemplar autem siue ideam in Dei mente ponit, finemq; efficiendi eidem adiungit. Ex quo intelligitur, Platonem ab Aristotele 10 tele parum differre, cum easdem causas et principia collocet, exemplari solum siue idea excepta. Quametsi ab Aristotele tradi, probare hic possemus, in alium locum tamen disputatio hæc relinquatur: aliquando enim utriusq; philosophi consensionem, si per tempus atq; otium liceat, dabimus. Atqui hæc breuiter ita exposuisse, omnis alijs rebus, quæ ad interpretationem parum conducunt, satis sit. Illud intellectu per rationis indaginem percipi potest, cum semper sit idem, hoc opinione per irrationalē 20 sensum attingi, cum gignatur et increat, neq; uerè unquam sit.) Quo pacto principia illa duo, τὸ αἰδῶν, et τὸ ἐκ τῆς ἀδύνατος, intelligamur, in his ostendit: ad illorum uim naturamq; explicandam. ait enim, illud τὸ αἰδῶν, ratione intelligentiæq; solum percipi: hoc uerò τὸ ἐκ τῆς ἀδύνατος, sensu et opinione comprehendendi. Quod ut nos etiā declaremus, quo pacto intelligibilia percipiātur, et quomodo sensilia prius uideamus, deinceps Platonis uerba explicemus. Opinio, ut Alcinoüs de Platonis dogmate scribēs ait, 30 est conexio quedam memorie cum sensu. nam cum res sensibus capimus, eius imago statim in memoria insculpitur, et ex hac rei perceptæ recordatione fit opinio: quæ tum uera, tum etiā falsa esse solet, prout res sensibus comprehensa, dijudicataq; ratione fuerit. Cuiuscunq; tamen modi fuerit opinio, ex sensibus eam gigni perspicuum est. ut Aristoteles in lib. de Anima, Platoq; multis in locis docent. Opinioni contraria est intelligentia, quam διάνοια Plato uocat. eadē enim cognitio quedā animi ad seipsum 40 conuersi, et ex se rem intelligentis est. Atq; illam quidē συμπληρωματικὴ καὶ ἀσύνετος Plato definiit, hæc uerò τὸν τῆς ψυχῆς διὰ λόγον πρὸς ἑαυτὴν. Cum igitur hæc ita sine, duplex est intelligendi seu cognoscendi modus homini proprius: unus rerum intelligibilium, alter sensibilium. atq; illam scientiā siue intelligentiam Plato nominat, hunc uerò opinionem. Ideoq; cum res intelligibiles, stabiles immo 50 lætæ maneat, in intelligentiam solum cadunt: res autem sensiles, quia mobiles infirmæq; sunt, opinione quasi cognitione incerta cognoscuntur. Atq; ea de causa multis in locis Plato, ut in Phædone, Parmenide, alijsq; libris, intelligibilium diuinorumq; contemplationem ueram esse scientiam ac sapienciā definiit, sensilium uerò et corporearum opinionem dixit esse. Idem in Phædone Socrates confirmans, ueniam in hac uita ueram scientiam tenere posse in-

quit, cū nihil nisi per sensus possit cognoscere in futura tamen, cum intelligibilis omnino nature sunt homines, assequi eam affirmat. Hæc ergo de causa ubiq; Plato ad intelligibilium rerum contemplationē omnes hortatur, horumq; ueram esse scientiam prædicat: hoc Plotinus in lib. de Contemplatione et uero, hoc Porphyrius, hoc denique Platonici omnes confirmant. Quapropter ne plura huius distinctionis testimonia ex Platone, Proclo, ceterisq; philosophis afferamus, hoc ita statum sit, scientiam, intelligentiamq; permanentium, intelligibiliumq; rerum esse: opinionem autem, rerum mutabilium, et caducarū. Quam etiam distinctionem cum alijs in locis, tum lib. 5. de Rep. Socrates facit, cum opinionem inquit mediam inter cognitionem et ignorantiam esse, scientiam autē circa ea quæ uerè sunt uersari. Ea igitur de causa τὸ ἐκ τῆς ἀδύνατος, hoc est sensilia, quia facta sunt, et ex partibus composita, in opinionem sine ratione cadere, inquit. at uerò τὸ αἰδῶν, hoc est intelligibilia, quoniā simplicia, æternæq; sunt, cogitatione solum cum ratione intelligi. is enim Platonis modus loquendi frequens est, quod in eius uita Diogenes Laërtius annotat, ut rem sensile τὸ ἐκ τῆς ἀδύνατος, id est, non ens, et opinabilem uocet: quoniā ut in Theæteo idem ait, rerum essentiam, causasq; sensus intelligere nequit, res uerò intelligibiles uerè entia nominet, eaq; solum in scientiam cadere dicat. In quo tamen minime putes, Platonem uelle tollere scientiam hanc, quæ per sensus adepta ratione consistit: sic enim cognitionē omnem ueram tolleret. sed eandē eo magis laudat, quo longius à rebus sensilibus differat, menteq; magis stabilita fuerit: ut in Theæteo, lochq; alijs affirmat. Hinc tamen dubiū uideri posset, cur Plato ueram cognitionem intelligibilium rerum, sine sensibus, sola cogitatione percipi dicat: cum cognitio omnis per sensus fiat, nihilq; sit mente comprehensum, ut Aristoteles ait, quin sensu prius fuerit perceptum. Cui quidem obiectio ni, omnis Platoniorum quorundam longissimis 40 questionibus, breuiter respondebimus: sed in primis tamen, quo pacto intelligibilia cognoscamus, cum in sensum non cadant, explicemus. Duplicem hominis uitam Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorum, Plotinus, Proclus, Platoniciq; alij ponunt: unā totius animantis, quæ cum corpore communis est: alteram ipsius animi propriam, quam idem à corpore sese extricans, corporeis omnibus affectibus uacuus degit. Huiusmodi uita est mentis diuina contemplantis, eademq; contemplatione res sensum fugientes intelligere possumus. Quæ admodum enim formam materiamq; à se inuicem separatas adulterinā quadam ratione, ut Plato inquit, intelligimus, cum earum neutra in sensum cadat: sic etiam res diuinae et intelligibiles cognoscere quodammodo possumus, non ut ueram illorum notitiam habeamus (ita enim et nos prorsus intelligibiles essemus) sed ut quandam adumbratam cognitionem. Quapropter ele-

ganter Porphyrius in lib. de Causis ad intelligibilia nos ducētibz, hoc modo (inquit) id quod mēte nostra superius est, intelligi, si uacuitate quadam intelligentia, intelligentia nostra praestantiori, illud cōsideremus, ac rem quandam omnibus materiae ue stigijs purgatam puramq; cogitemus. Quod aper tius Iamblichus confirmans: Si uis, inquit, diuinorū formam comprehendere, rationalis animae ultimae, & à corpore omnino separate naturam cogita, & eandem longē perfectiorem diuinis attribue. nam cognitio diuinarū essentiarum, in alia animi nostri parte simpliciōri, sinceriori q; est, quā in ea qua reliqua cognoscimus. Quo nomine, ut ad Platonis uerba redeamus, uerē ens intelligentia cum ratione percipitur, quatenus nihil sensibile, nihilq; corporeū imaginamur: sed quidquid cogitamus, sola ratione, intelligentiaq; inuestigamus. Atq; ideo cognitio illa, rationalis animi à corpore separati propria est. cōtrā tamē nō uerē ens opinioe sine ratione percipi dicitur, quatenus in eo cōsiderando, irrationali ho minis parte, id est sensibili utendum est, infirmāq; cognitio per sensus acquiritur, nisi ratione confir metur. Atq; ea de causa, quia mens una est, & sim plex, intelligibilem naturam, quae unā eodemq; sem per modo se habens ac pura est, percipit: quia uerō opinio est multiplex, perq; uarios sensus efficitur, sensibile naturā, quae gignitur atq; interit, id est, in perpetuo generationis interitūq; motu uersatur, solum comprehendit. Atque hanc sententiam Plato, ut Philoponus lib. 2. in Proclum de eternitate mun di testatur, confirmatq; Aristoteles lib. 1. Metaph. ab Heraclito mutatus est. Hic enim nullam esse re rum sensilium ueram scientiam asserbat, quoniam omnia perpetuo fluxu, decursuq; mutarentur, nec certus esset sensuum status, aut terminus. Qua etiā de causa sensilia omnia uerē non esse, atq; opinione solum sine ratione comprehendendi, hic inquit. Haec tenus igitur duorum principiorum naturam uerē entis, et uerē non entis explicuisse, hoc modo sat est, plura si quis desideret, in prolixis illius Platonico rum libris tanquam in Oceano fluctuans requirat. Quidquid autem gignitur, ex aliqua causa necessa rio gignitur.) Cum in his Timaeus inuestigaturum se dixisset de mundo, esset ne aeternus, an principio aliquo constans, duoq; totius tractationis principia proposuisset: nunc demum tractationem ipsam au spicatur, in qua uelut Pythagoricus, & geometriae studiosus, ordinem Geometrarū, ut ait Proclus, se quitur. Quemadmodum enim Geometriae initio de finitiones, hypothesesq; proponunt, deinde theore mata ex ijs probant: sic etiam in hoc libro Timaeus principio definitiones quasdam, & hypotheses uni uersales ponit, deinceps totam de mundo tractatio nem subiungit. Definitiones autem, quae tractatio nis huius fundamenta sunt, à Proclo haec dicuntur esse: Aliquid semper uerēq; est, siue principium ali quod uniuersale atq; aeternum est: Item, aliquid ra

tione sola comprehenditur: Quicquid factum est, sem su opinioneq; cognoscitur sine ratione: Quidquid sit, ab aliqua causa fit: Quicquid ab aliqua causa non productum est, factum non est: Cuiuscunq; e xemplar aeternum est, id pulchrum necessariō est: Cuiuscunq; exemplar est factum, id minime est pul chrum: Vniuersum cōelum mundus uocatur. Ex his igitur principijs, totius tractationis probatio stabilitur, eademq; tum in precedentibus, tum in his Plato proponit, cum hoc loco, Quicquid fa ctum est (inquit) ab aliqua causa fieri necesse est, nihil enim sine causa fit: & si fit, efficiens aliqua causa praecessit. Quo fit, ut cum effectus & causa ad se mutuō referamur, naturāq; simul esse debeāt, si effectus est, necessariō causa aliqua anteceffit, quamuis ediuerso ratio non ualeat, Si causa est, ergo & effectus. Quapropter cum in hoc loco Plato efficientem, necessariāq; causam omnium, hoc est Deum uelut proponere, meritō quidem di xit, Quicquid sit, ab aliqua causa fit: siquidem cau sa ui sua efficiēs necessariō agit, ut Deus, anima, & uniuersales cause. Quod axioma Platonem à Pythagoricis accepisse, Proclus refert: quoniam ipsi, quaecunq; sunt, ab aliqua causa necessariō fieri di xerunt, ita ut in Deo efficiendi uim necessariam col locarint. Sed haec quidem hactenus, ad loci huius explicationem. quamuis enim aliqui causarum om nia genera hic adducant, satis est unumquodq; ge nus suo loco ostendere, cum causas omnes antea nos proposuerimus, nec eas opus sit iterum repetere.

Quando igitur opifex in operis alicuius cōstitu tione, ad id quod eodem modo se habet, semper re spicit, & huiusmodi quodam usus exemplo, ideam uimq; in omnibus educit.) Efficienti cause adiun gitur exemplar: ideoq; Plato secundo loco de illo post Deum disserit. Nam cum causarum, quae in rei effectione considerantur, quaedā subiectae, effectūq; rei tribuātur, ut materia, forma: quaedā uerō efficiē ti, ut efficiendi uis ipsa, & exemplar quod in efficiē do illa sequitur, & finis cuius gratia efficit: rectē quidem efficienti cause exemplarem adiunxit. sed quoniam exemplar ipsum efficienti accommodatur, si efficiens est aeterna & pulchra, exemplar etiam erit eiusmodi: si uerō illa facta ab alia quadam, de formisq; sit, tale quoq; erit exemplar. Ex quo fit, ut cum Deus aeternus, ac pulchrum quoddā ens & bonū sit, exemplar illius simile necessariō sit. Quo nomine, ut nos haec distinctius aperiāmus, primō quid sit idea, siue exemplar hoc à Platone traditū, & ubi nam sit, quo ue pacto consideretur, explicemus: deinceps Platonis, Aristotelisq; sententias de eodem ipso proferemus. Per magna enim, diffici lisq; admodum inter Philosophos quaestio est, siue ne usquam ideae: aut si sint, ubi nam sint, & quales. Ideam Plato definiuit formam quandam aeternam, incorpoream, à materia separatam, & in Dei men te positā. Hanc, ut Diogenes Laertius ait, tū adu tum

eum *νοῦς*, tum etiam *παράδειγμα*, *ἀρχὴ*, et di-
 versim nominat, diversis in locis. Ex eadē ipsa tanquā
 substantiali principio formas rerum corporeas de-
 sumit aut nec tamen rerum omnium ideas esse putat,
 ut in Parmenide docet: sed eorum solum, quae in re-
 rum cadum essentiam. Quae de causa exemplar esse
 illam, ad cuius imaginem rerum corporearum for-
 mae inducantur, dicit. Quia enim efficiens causa,
 quotiescunq; agit, aliquam certam efficiendae rei no-
 tionē habet, nec eam temerē efficit: exemplaria esse
 ideas formarum substantialium affirmat. Ideo ideam
 Alcinoi cum Platone definit, *παράδειγμα τῶν κα-
 τὰ φύσιν αἰώνιος*. Iam uerō ideas non in aere uola-
 re, aut extra res aliquas per se existere, ut ineptē
 quidam fortasse putant, sed in Dei mente sitas esse,
 nec ab eodē ipso Deo differre docet: idq; non in hoc
 loco solum, sed in Parmenide quoq; latius. Duplex
 enim ibidem ens facit: unum eternū, immobile, cum-
 storum principium, quod uerē semperq; ens uocat,
 hoc est ideam: alterum mobile, uerēq; nō ens, id est
 materiam forma carentem. quod Themistius expli-
 cans, ideam à diuina mente non separat. Hoc ipsum
 testatur Plutarchus lib. 1. de Placit. phil. de natura-
 libus principiis loquens, cum Platōē inquit his uer-
 bis in Dei mente ideam posuisse: *ἰδέα δὲ νοῦς ἀσώ-
 ματος οὐ τοῖς νοήμασι καὶ ταῖς φαντασίαις τοῦ θεοῦ*.
 Quod alio loco confirmans, sic etiam ait: *συνράτνει
 καὶ πλάττει χωρὶς τῆς ὕλης νοῦς τὰς ἰδέας ὑπὸ
 λαμβάνει οὐ τοῖς νοήμασι, καὶ οὐ ταῖς φαντασίαις
 τοῦ θεοῦ, τούτῳ τοῦ νοῦ ὑπερῷον*. Quinetiam Plo-
 tinus in libro de Pulchro, mentem, quam eandem
 cum Deo facit, ideas omnes completi, ipsamq; om-
 nium ideam universalem esse affirmat. Hoc Proclus
 in commentariis, hoc Iamblichus, hoc Seneca li-
 bro 1. Epistolarum, hoc deniq; Platonici omnes, po-
 stremoq; Diuus Augustinus lib. 83. Questionum,
 quaestione 46. testatur. Quae quidem sententia nō
 modo à plerisq; bonis philosophis admittitur, sed à
 Christianis etiam cōfirmatur. Nam prae-ter id quod
 ab illis philosophis, quot citauimus, asseritur, Theo-
 logi quoq; nostri ideas agnoscunt: easdemq; princi-
 pales quasdam formas, incommutabiles, separatas à
 materia, in Deiq; mente sitas, per quas Deus omnia
 cognoscat, quatenus in idea cuncta habet, esse affir-
 mant. Quo nomine cum ideas esse, easdemq; in Dei
 mente existere omnes fateantur, rectē quidem Plato
 exemplar siue ideam inter causas retulit, ad cuiusq;
 imaginem factum esse mundum asseruit. Sic enim is
 argumentatur: Quicquid factum est, ab alio necessa-
 riō est effectum: ergo quod effecit, causa illius facti
 extitit. Sed efficiēs causa exemplar aliquod effectio
 nis sequitur, ad illiusq; similitudinem efficit: igitur
 exemplar etiam causa rei effectae est. At si res effecta
 pulchra eternaq; est, et ad sui simile exemplar fuit
 facta, necesse est, exemplar illud eternū, pulchrumq;
 fuisse. Sed quando ideam esse, ac in Dei mente col-
 locari cōstat, illud nunc inuestigemus, quo pacto ea-

dem cōsideretur. Quemadmodum pictor, aut arti-
 fex alius, cum rem aliquam efficiendam suscipit, no-
 tionem quandam eiusdem animo impressam habet,
 eandemq; sequitur, atq; ad eius imaginē mente con-
 ceptam rei figuram exprimit: sic etiam Deus, dum
 mundum reliquaq; construit, intelligibilem quan-
 dam earum rerum formam in se positam cōtemplā-
 tur, ex eaq; cuncta producit. Itaq; quod in nobis in-
 telligentia, imaginatioq; rei efficiendae est, in Deo
 ipso est idea. Differunt tamen inter se longissimē,
 quod notio illa in Deo eterna est, infinita, pulcher-
 rima, cuncta producēs, atq; eadem demū cum ipso
 Deo: notio uerō nostra finita est, caduca, mendax;
 accidentaria, nihilq; uisua efficiens. Quae similitudi-
 ne nostrae mentis utimur quidem nos, quia nulla re
 alia idea illa in mēte Dei posita explicari magis po-
 test. Verūm ut rationes Platonis, quibus ideam in
 Dei mente sitam, eternam, et per se cuncta efficien-
 tem, ac eandem deniq; cum Deo esse probat, adduca-
 mus, Alcinoi Platonici testimonio in eam rem utā-
 mur. Is ergo rationibus his idem illud cum Platōē
 docet. Primō quidem statuit, Deum ipsum memens
 puram esse, in qua quicquid ponimus, essentia eius
 sit, eternum, infinitum, immobile, et cunctorū prin-
 cipium: quaecunq; deniq; in nobis accidentia sunt, in
 Deo essetia ipsius est. Hoc statuto: Si Deus, inquit,
 est mens, et in mente eterna quaedam notiones, sta-
 bilesq; sunt, à quibus rerum forme producuntur:
 ideas quoq; in mente sitae, deus ipse erunt. nihil enim
 in Deo, uti diximus, est, quod non sit eius essentia.
 Item si materia per se indefinita est, et ab alia quadā
 re materiei ex parte, nimirum forma, determinatur,
 profectō ideas esse à materia separatas est necesse.
 Atqui prima forma, siue Deus, materiā semper in-
 format: ergo in illo est idea, seu potius ipsemet idea
 est. Deinceps si mūdus ab aliqua determinata causa,
 et nō temerē est factus: et quicquid efficit, aliquod in
 efficiēdo propositū sequitur, nec temerē agit: ideam
 esse in Deo, qui ita efficiat, concluditur. Vltimō, si
 intelligentia ab opinione uerē differt, intelligibiliaq;
 priora ijs quae in opinionem cadunt, sunt, ideas esse
 intelligibiles, easq; in causa illa prima intelligibili
 positas relinquitur. Ex quo fit, ut ideas non solum
 esse, sed in Dei quoq; mēte collocari, his rationibus,
 alijsq; multis, Plotini, Plethonis, aliorumq; Platonī-
 corum, quas hic omittimus, conuincamur. Iam uē-
 rō, ut ad Aristotelis, aliorumq; hac de re sententiae
 tandē ueniamus, solus quidem Plato, et Pythago-
 rici, à quibus ille, auctore Laertio, id accepit, ideas
 esse separatas, in Deiq; mente sitas agnouere. Epicu-
 rei tamen eandem sustulere: Stoici in humana mente
 illas collocarūt, minime tamē ab ea seiunctas. Aristote-
 les, Peripateticisq; multi easdē prorsus sustulere,
 minimeq; separari à materia posse asseruere: quod
 multis locis Aristoteles affirmat. Sed si rem melius
 contemplari uolumus, ex ipsius etiam Aristotelis
 uerbis ideam esse à formis substantialibus diuersam
 probare

probare possumus. Nam cum duplicem ille formam proponat lib. 2. *Physic.* alterā separatam ac primā, ex qua singulares formę pendem: alteram cuiusque rei propriam, illam quidē separatā, exemplaremque esse intelligit, hanc uerō à corpore minimē separabilem. Quo fit, ut cum Aristoteles ideas tollit, minime quidem tollat primam illam formam reliquariū procreatricem, sed eas que cum materie adiunctę sint, separari posse dicuntur. is enim substantiales cuiusque rei formas à materia se iungi negat, quod Plato etiam admittit. at uerō primam illam formam separari etiā posse, cum Platone intelligit. Quam quidem Aristotelis interpretationē, ne à nobis fictam, ac sine ratione adductam quisquā putet, Simplicii lib. 2. *Physic.* legat, qui hanc nostram sententiā multis rationibus, testimonijsque confirmat: quanuis ex aduerso Philoponus lib. 1. contra Proclum de eternitate, hanc Simplicij interpretationem improbet. Sed de his omnibus satis hæc sine. Vniuersum igitur hoc, Cælum, siue Mundum, siue quo alio uocabulo gaudet, cognominemus.) Postremum axioma eorum que suprà retulimus, à Platone hic proponitur. Cum enim antea definitiones præcedemes, ut totius tractationis fundamenta protulisset: nunc hanc quasi mundi definitionem adiicit, cum uniuersitatē omnem cælum siue mundum uocari inquit. Quam sanē descriptionem, ut Proclus annotat, ad rem magis explicandam adducit, ne quis nominum uarietate fallatur, cum uniuersitatē hanc tum cælum, tum mundum uocari audiat. Quod etiam imitatus Aristoteles lib. 1. de Cælo, quot modis cælum dicatur, prius explicat, quàm de illius natura disserat. Sic enim αἰθερὰ μὲν ἢ τὸ πᾶν ἢ τὸ πᾶν λέγεμεν, τὴν ὅσιν τὴν τῆς ἐστὶ τοῦ πάντος περίφορᾶς, ἢ τὴν μαρτυρῶν τὸ ἐν τῇ ἐξ ἑκτῇ περίφορᾳ. Idem in lib. ad Alexandrum de Mundo, ac Plinius lib. 2. cap. 1. faciunt. prius etenim nominis significationem explicant, quàm ipsam disputationē ingrediamur. Quare apud omnes iam constitutum id est, uniuersitatē ipsam communi uocabulo *εὐκόςμου*, id est mundum, *εὐρανόν*, id est, cælum nominari. Hoc ita statuto, tractationē ipsam de mundi ortu Plato ingreditur, in his que statim sequuntur.

De quo primùm cōsideremus, quod in quaestione de uniuerso ante omnia inuestigari debet: Vtrū ne semper fuerit sine ullo generationis principio, an genitum sit ab aliquo principio sumēs exordium. Id profectò cernitur, tangiturq̃, & corpus habet. Omnia uerò huiusmodi sensus mouēt. quę sensus mouent, opinione per sensum percipiuntur. Hęc uerò talia esse constat, ut gignantur & genita sint. quicquid autē gignitur, ab aliqua causa necessario gi-

gni asseruimus. Opificem quidē & pa-
trem mundi inuenire difficile, & cum
iam inueneris prædicare, eloqui uulgo
impossibile est. Rursus cōsiderandum
est, utrū mūdi faber sit imitatus exem-
plar: id ne quod idem semper & simi-
le est, an id quod genitū fuerit. Atqui
si pulcher est hic mūdus, & opifex mū-
di bonus, sempiternum certē exemplū
maluit imitari. Sin secus, quod ne di-
ctu quidem fas est, generatum exem-
plar est pro æterno secutus. Cum uerò
& mundus omnium genitorū pulcher-
rimus sit, & eius autor causarum om-
nium optimus, dubium non est quin
sempiternum sit secutus exemplū. Sic
igit generatus, ad id est effectus, quod
ratione & sapientia sola comprehendi
potest, & immutabile permanet. Ex
quo efficitur, ut necesse sit hunc mun-
dum alicuius simulacrum esse.

Aristoteles in libris Posteriorum Analyticorum, initio cuiusq; disputationis hunc ordinem seruari iubet, ut primò an res sit quærat, deinceps quid sit eadem, postremò qualis sit. Hoc ipsum Plato in hoc libro faciens, primò an mundus sit æternus, nec ne, querit: deinde uerò in sequentibus quid sit, et qualis, explicat. Quo nomine post communes illas totius physice definitiones, hanc principiò questionē proponit, utrum mundus æternus sit, an principio aliquo productus, cum ait: Vtrum ne semper fuerit sine ullo generationis principio, an genitum sit ab aliquo principio sumens exordium.) Quæ quidem in questione primò nos sententias philosophorum quorundam, Platonicorum præsertim, producamus, ut ueram Platonis sententiam explicare melius possimus. Aristoteles, Peripateticique omnes, æternum esse mundum, nunquamq; incitūrum affirmant: quamvis in lib. de Mundo ad Alexandrū is contrā sentiat. Huic sententiæ quasi ex altera parte Plato repugnare uidetur, cum originem mundi tradit, natumq; ipsum esse affirmat: quod tamē quia obscurum, dubiumq; adhuc inter Platonicos est, alijq; natum esse mundum à Platone dici asserunt, alij uerò negant, utrorumque nos sententias conscruiamus. Cramor, antiquissimus Platonis interpres, mundum esse factum dici ait, eo quòd ab alia causa pendeat, nec per se ipse generatus existat. Plotinus, Porphyrius, Iamblichus, ac Proclus, æternum etiam esse illum asserunt. dici tamen generatū, quoniam ab alia præstantiori causa suam cōseruationē accipiat, ab illaq; semper gignatur. Plutarchus in lib. de Platonis *Λογοποιίας*, atq; Atticus, oriū quidem in tempore aliquo illum dici hic à Platone aiunt, ideoq; inquiri, sit ne æternus, an non. Hi ergo

omnes, excepto Plutarcho, & Attico, eternitatem mundi confirmant: fieri tamen ipsum dicunt, quate-
nus à Deo fluit, semperq; generatur. In hanc senten-
tiam Plinius lib. 2. cap. 1. ut, cum æternum, ingeni-
tumq; mundum appellat. Eandem confirmat Apu-
leius in lib. de Platonis dogmate, atq; mundi eter-
nitatem à Platone confirmari: quantum natus ab illo
dicatur, non quod aliquando incepit, sed quia ips
rebus constet, quibus reliquæ ortæ res constituun-
tur. Quinetiam Alcinoi aperte id fatetur, cum
ait mundum à Platone genitum vocari, non quod
esse unquam desierit, sed quia semper in generatio-
ne sit, aliq; causa ipso præstantior appareat. Po-
stermo Simplicius lib. 3. Physic. ac lib. x. de Cælo,
Platonem inquit cum Aristotele consentire, planeq;
mundi eternitatem concedere: contra Philoponi
sententiam, qui lib. 6. contra Proclū de Aeternitate,
nullum esse Platonis testimoniū affirmat, in quo ille
mundum esse æternum asserat: quinimo naria ipse
testimonia in sententiam suam adducens, mundi or-
tum ex Platonis sententia confirmat: adductis e-
tiam Tauri philosophi, ac Porphyrii testimonijs.
Plerique igitur Platoniorum id ipsum affirmant,
nobisq; sententia ista magis probatur. Soli autem
ibi, Plutarchus, Severus, Atticus, Diogenes La-
ertius ac Pletbon Platonius, & ex Latinis Cicero,
natum dici mundum à Platone docent. Sed ut nos
ueram Platonis sententiam exploremus, quid ille
uerè hac in re sentiat, quibusq; rationibus eternita-
tem mundi confirmet, uideamus. Primò quidè Pla-
to materiam atque animum æterna esse dicit, princi-
pioq; carere: quemadmodum Plutarchus in lib. de
Animi generatione, in Timeo Proclus, Plotinus,
Alcinoi, alijsq; affirmant. deinde etiam substantiā
ex inordinata in ordinem deductā à Deo, hic in-
quit. Præterea initio huius translationis duo ponit
universalia omnium initia, τὸ αἰὲν hoc est Deum,
& τὸ ὅρ ἄκρον, id est universam substantiam rer-
um, quam eiusdem eternitatis cum Deo facere ui-
detur. Item initio huius Dialogi, & in Critia, infini-
ta fuisse diluvia, magnaq; mundi exitia, de Athe-
narum antiquitate loquens, refert. Ex quibus om-
nibus intelligitur, eternitatē mundi à Platone con-
cessam. Nam si ueram eius sententiam explicare uo-
luimus, is professio mundum æternum, nulloq; prin-
cipio natum, cum Aristotele sensit. Cum enim mun-
di essentiam æternam dicat esse, Deum inquit illam
non denuò producere, sed informare, atq; in ordi-
nem redigere, dum inordinata sit, quatenus corpo-
ra omnia cōposita ex simplicissimis partibus sunt,
nihilq; constitutionis suæ causa esse poterit, fieri e-
nim potest, ut à Deo mūdus æternus fuerit creatus,
ab eoq; processerit, uelut à sole splendor prodians si-
milis est cum sole ipso. Quod si apertius intelligere
uelis, Platonem ipsam dicentem audias. Atqui si
pulcher est hic mundus, & opifex mundi bonus,
sempiternum certe exemplum maluit imitari.) 15

quo sanè æternum esse mundum uult, quoniam cum
exemplar æternum sit. Nam si exemplar (inquit)
æternum est, & mundus est æternus. quod si uerò
exemplar est factum, & mundus eiusmodi erit. at-
qui exemplar est æternum: ergo mundus itidem æ-
ternus est. Quo etiam argumento usus ad eternita-
tem mundi tuendam est Proclus: sed cum tamen re-
fellit Philoponus, in eo ipso libro qui aduersus illū
scriptus est, de mūdi eternitate. Hanc ergo Plato-
nis sententiā Aristoteles lib. 1. de Cælo recitans, Pla-
tonem quidem reprehendit, non quod mundum na-
tum esse, nunquam tamen interitum dixerit: sed
quia ipsum ab æterna substantia ortum asseruerit.
ait enim, mundum quidem omnes genitum dixisse,
sed quosdā tamen æternum esse genitum asseruisse:
quatenus aliam prius formam substantiæ mundanæ
fuisse, quàm eam quæ fuit post natum mundum, dixē-
runt. quos non minus reprehendit, quàm illos qui,
genitus cum sit mundus, futurum æternum dixerat.
Atq; hoc modo Aristotelem Simplicius interpreta-
tur. & ne hanc nos sententiam Platoni falso adscri-
bere putes, id ipsum confirmat Proclus in commen-
tario, Platoniciq; alij quos suprà retulimus. Inter-
rim tamen, cum Plato mundum æternum esse sen-
tiat, querendum illud est, Cur eundem genitum esse
dicat: hæc enim inter se maximè pugnare uidentur.
Cum duplex à Platone rerum essentia dicatur
esse: una simplex & intelligibilis, semperq; existēti
altera cōposita, & in sensum cadens, uerèq; non enst
mundus sanè, quia cōpositus ex partibus est, ac sen-
sibilis, per se ipsum esse, quin ab alia causa pendeat,
minimè potest. Quod si uerò per se esse non potest,
utq; ab alio pendet, factus necessariò est. Nam quic-
quid cōpositum est, ab alio fuisse cōpositum est
neceße, cum nihil suæ compositionis causa esse po-
tuerit. Atqui ante mūdū est Deus æternus, ac sem-
per ens: igitur ab eodem est factus. Sed obijcies tu
adhuc, quo pacto mundus æternus esse possit, si fa-
ctus est: aut si æternus, quomodo factus? Certè subie-
ctum ipsum, & essentia mundi æterna est, & initio
quasi rudis deformisq; fuit, si ad corpoream consti-
tutionem spectes: postea tamen cum à Deo est in or-
dinem redacta, informataq; generata esse dicitur,
quatenus corporum constitutio non à se, sed ab alio
sit. Quo fit, ut nihil sit aliud mundum generari,
quàm formam denuò, ordinemq; accipere. Nam uel
ante factum cælū substantia uniuersi erat, licet in-
cultæ & inordinatæ: tempus quoq; minimè distin-
ctum, determinatumq; tunc extabat. Generato uerò
mundo, & tempus unā cum cælo est ordinatum, &
motu eius distinctum. Atque hæc Platonis in lib. de
Aeternitate ac tempore, Procli in Comment. cate-
rorumq; Platonis interpretū est sententia, quam ex
ipsis etiam Platonis uerbis cognoscere quiuissimè po-
tuit. Sic enim in his argumentatur: Mundus corpora-
tus est, ac in sensum cadens: Quicquid autem cor-
porum est, ac in sensum cadit, generatum, cōpositumq;
tumq;

tumq; est: Igitur et mundus generatus est. Quae in re hoc conuenit Platoni cum Aristotele, quod uterque mundum esse aeternum dicit. Differunt tamen illi, quod Plato mundi esse etiam inquit omni tempore produci, semperq; mundum à Deo gigni: Aristoteles uero eundem semper manere, nunquamq; mutari affirmat. His ita in uniuersum explicatis, Platonis uerba exponamus. Id profecto cernitur, tangitur, et corpus habet: omnia uero huiusmodi sensus mouet: quae sensus mouent, opinione percipiuntur: haec uero talia esse constat, ut gignatur, et genita sine: quidquid autem gignitur, ab aliqua causa necessario gigni asseruimus. Quoniam mundum factum esse, fieri q; semper eo modo quo diximus, Plato affirmat, rationem, cur factus sit, reddidit. cuius fundamentum est illud axioma superius traditum: Quicquid in sensum cadit, estq; opinabile, factum est. Hoc statuto, sic argumentatur: Quicquid cernitur, tangitur, sensibusq; percipitur, quia est corporeum, et compositum, factum est: sed mundus in sensu, opinionemq; cadit, estq; corporeus: igitur est factus. Quod si uero factus, ab aliqua causa fieri necesse fuit. Sed prima omnium, aeterna q; causa est Deus: ergo ab eodem est factus. Quo sane argumento probare uult, composita omnia ex materia et forma per se minime coponi posse, quin ab alia causa prius componantur. Esse uero compositum mundum, inde probat, quod cernatur, tangatur, sensibus percipiatur, cadatq; in opinionem. siquidem opinabile et sensibile apud Platonem idem est, compositumq; corpus ex materia et forma, concretumq; significat. Atq; haec est Platonis argumentatio breuiter collecta, quae Plotinus etiam lib. de Caelo utitur, cum nullum inquit corpus ex Platone perpetuum indissolubileq; esse posse, quando compositum est, sed in continuo fluxu se uersari, quia nihil sensibile ac factum aeternum esse ualeat. Eandem quoq; rationem Proclus ita colligit: Quicquid factum est, ab aliqua causa fieri est necesse: siquidem imperfectum est, ab aliq; perfici debet, cum ex natura sua nihil se posse perficere: ergo id quod perficit, prius praestantiusq; est perfecta re. Atqui mundus compositus et corporatus cum sit, à seipso perfici non potest: igitur ab alio praestantiori. Sed ante mundum est Deus: ergo ab illo perfectus, compositusq; est. Haec Platonis ratio ad mundi ortum asserendum sic habet, quae tamē eiusdem aeternitatem non tollit, quamuis factus dicatur. Nam factus quidē dicitur, quasi denuo informatus, et ex inordinato in ordinem adductus: aeternus uero, quasi essentiam suam ab aeterno habēs, ac nunquā esse desinens. Igitur cum aliud sit esse rei cuiusq;, aliud autem bene esse, mundus quidē suum esse aeternum in se habet: bene autem esse, id est pulchrum, ornatum, et compositum, à Deo accipit. Ideo cum ortum esse mundum dicimus, tempus non tollimus, ut aliqui putāt, sed duplex esse tempus asserimus: unum inordinatum, certoq; motu non distin-

ctum, quale fuit ante ortum mundum: alterum uero ordinatum, distinctumq; caeli motu, quale est post natum mundum. Opificem quidem, et patrem mundi inuenire difficile: et cum iam inueneris, praedicare, eloqui q; uulgo impossibile est. Cum factum esse mundum in superioribus conluserit, omneq; factum ab aliqua efficiente causa necessario fieri debuisse dixerit: ad ipsam iam causam efficientem sese conuertit. quam cum inquirere, quae nam esset, aut qualis, uelit, difficile esse inquit, eandem inuestigare posse: aut si inuestigarit, in uulgus efferre nefas esse. Quae in re difficilem Dei cognitionem docet, deq; illo multa proferre nefas esse inquit. quia Deum quidem esse, nationes omnes uel natura duce agnoscūt: quid autem, aut qualis sit, nemo unquam hominum aut nouit, aut nosse in hac uita poterit: quando nec animum nostrum, qui eiusdem imago est, cognoscere facile possumus. Quo nomine reprehendendi meritiū ij sunt, qui tam audacter de Deo pronuntiant, quasi uel ipsi soli naturā illius nosse potuerint, uel si norint, cognitio illa magna sit. Commodius igitur ac decemius erit, cum Platone Deum auctorem omnium, conseruatoremq; agnoscere: in eum autem natura inquirēda moderatos, minimeq; curiosos esse. Nam etsi diu multumq; cogitaueris, nihil amplius inuestigare poteris, quam Simonides ille, qui rogatus ab Hierone tyranno de Dei natura, postquam triduo multum cogitaret, tanto uideri rem obscuriorē dicebat, quanto eam cōsideraret diutius. Quod sanē non modo hic Plato sub Timaei persona docet, sed multis etiam locis eiusdē nominis Socrates affirmat. Ceterum ne, dum nos in quorundam temeritatem digredimur, Platonis interpretationem omittamus, explicandum quidē hoc loco est, cur patrē, auctoremq; Deum uocet: aut quis nam ille ipse sit. Porphyrius, Platonicusq; alij, τὸν πατέρα et πατέρα τὸν θεόν differre inter se dicūt: quatenus pater, uniuersae causae dicitur: auctor uero, quatenus mundi, eiusdemq; ordinis est effector. uel quod pater ex se uniuersum gignat, auctor uero materiam ab alio accipiat perficiendam. Cui interpretationi, Procli sententia preponēda, meo quidem iudicio, est, qui nullam eorum nominum distinctionem facit, sed utrumque nomen et parentis et auctoris, eidem antuerfuitatis Deo artifice sub una ratione conuenire dicit. Cum enim Deus cuncta, uti diximus, effecerit, aliud quidem non fecit quatenus pater, aliudq; quatenus auctor, sed una eademq; ratione omnia produxit. Quae de causa Deum quidem Plato parentem, auctoremq; mundi uocat, quoniam uniuersa prouidentē effecerit, effectaq; conseruet et foueat. At uero quis nam auctor ille uniuersi sit, Platonicumulti querunt. siquidem alij alium esse definiunt; uariisq; de illo sententias proferunt. Etenim Numerius triplicem Deum facit, patrem primum, auctorem secundum, effectum ipsum tertium, qui et mundus est. Arpocraton etiam in eadem fuit sententia.

tia, qui triplicem quoque facit Deum: ac primum coelum & Saturnum vocat, secundum Iovem, tertium denique mundum. Atticus ad ipsum bonum omnium opificium redigit, ac mentem, quam *ταχιδι* vocat, uniuersi auctorem dicit esse. Plotinus duplicem esse opificem mundi ait, unum intelligibilem, alterum uniuerso prestantem. idemque in lib. de Tribus subsistentiis trinitatem quandam uidetur asserere. Amelius triplicem quoque deum inducit, tresque mentes, ac reges tres: *τὸν ὄντα*, id est ipsum ens: *τὸν ἔχοντα*, id est habentem: *τὸν ἰσχυρὸν*, id est perspicentem. Porphyrius supramundanum animum opificem mundi uocat, eiusdem uero mentem exemplar esse dicit. Iamblichus intelligibilem mundum, artificem inferioris huius esse inquit. Theodorus tres artifices uniuersi adducit, unumque uocat substantialem mentem, alterum intelligibilem essentiam, tertium animarum fontem. Proclus unum mundi artificem, ultimum intelligibilem diuinorum, omnia continentem, & in extremo caelo habitantem posuit. Omnes igitur ergo quodammodo ad indiuiduam Trinitatem, quam nos in Deo colimus, alluserunt: quauis errore obcecati, nihil certi attulere. Nec enim aliquis ethniconum omnium, ut doctissime Beſario lib. 2. in calumniatore Platonis scribit, diuinam trinitatem agnouit, quamuis eandem uisi sine attigisse. Nos deum, qui Deum unum, trinum, eternum, infinitum, & ineffabile agnosimus, uniuersi auctorem esse hunc non coniectamus, sed certo per fidem sci-
mus. Hunc igitur Deum inuestigare quid nam sit, quae ne sit eius natura, difficillimum Plato iudicat: & quamuis inuenta sit, eandem publicari nefas esse.

Rursus considerandum est, utrum mundi faber sit imitatus exemplar, id ne quod idem semper & simile est, an id quod genitum fuerit. Quoniam efficienti cause adiunctum esse exemplar, sine ideam, diximus, eiusdemque efficientis difficillima sit cognitio, ad ipsam nunc mundi constitutionem Plato redit, ut quando eandem illam causam per se nosse non possumus, quin per productarum rerum contemplationem ad illius notitiam quodammodo perueniamus, ex ipso potius mundi opificio, effectiōnisque natura, artificis in efficiendo uim inuestigemus. Nam Dei quidem consilium, efficiendique modum agnoscere minime possemus, nisi ex hac eius effectiōne, animi intuitu illum intelligeremus. Qua de causa, cum ex effectū natura efficientis Dei noscatur, causam, rationemque nati mundi Plato explicat. Primò enim à consequentibus, quale sit exemplar illud mundi querit: & ex ipsa mundi natura exemplar, ex eodem uero exemplari artificem ostendit. sic enim argumentatur, hoc prius statuto: Vel exemplar mundi est eternum, uel factum aliquando: item, Aut mundus est pulcher, aut non. Si pulcher, inquit, est mundus, ad alicuius eterni exemplar est factus. Quod si uero deformis, ad exemplar aliquod factum constructus est. Atqui pulcher est, ut sensus etiam do-

cent: Igitur ad eterni exemplaris similitudinem est effectus. Ex quo fit, ut quia mundus pulcher est, & pulchritudo eius ad eternum exemplar est expressa, eundem quoque eternum esse fateamur. Atque huius certe rationis uis in eo consistit, ut pulchrum omne, non quatenus in re pulchra inest, pulchrum dicatur, sed quatenus pulchri exemplaris ideaeque particeps sit: quemadmodum in Phaedone Socrates, atque in Phaedro testatur. Itaque cum pulchritudo mundi ad pulchri exemplar referatur, nec ipsum ex se pulchrum esse, sed quatenus particeps illius est, fateamur: merito quidem Plato eternitatem mundi ad ideam refert, & ex eius eternitate durationem illius ostendit. Ideoque duplex rerum exemplar, unum eternum, alterum factum ante rei effectiōnem ponens, mundum, quando factus est, ad illorum alterutrum expressum esse necessario docet. Nam si ad eterni exemplaris similitudinem est factus, igitur eternus est mundus: quia imago exemplar suum quoad potest, semper imitatur. Si uero ad exemplaris alicuius creati imaginem, absurdum profecto est, ante hunc mundum, creatum fuisse aliud mundi exemplar, dicere. Sic enim in infinitum mens progredere tur, semperque in alia atque alia exemplaria mundi facta incideret. Quo nomine cum nullum sit exemplar mundi genitum, sed eternum, mundusque ad illius imaginem est effectus, profecto eternum esse ipsum concluditur: id quod Plato his uerbis infert: Atqui si pulcher est hic mundus, & opifex mundi bonus, sempiternum certe exemplar maluit imitari, si secus, quod ne dictum quidem fas est, generatum exemplar est pro eterno secutus. Cum uero & mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & eius auctor causarum omnium optimus, dubium non est, quin sempiternum sit secutus exemplum. In qua profecto ratione duo haec quasi axiomata ponit, quae initio nos retulimus: Cuiuscunque exemplar est factum, id pulchrum non est: & cuiuscunque exemplar est eternum, est pulchrum. Ex his duobus concludit, mundum eternum esse, quia pulcher sit, & ad pulchri exemplaris imaginem factus. Sed quia in his adhuc difficile est scitu, utrum exemplar illud eternum, & ante mundum natum fuerit, & cur ad mundi originem exemplari causa uti oporteat, postremo quid in ea re Plato sentiat, singula quidem ordine explicetur. Ideam siue exemplar in Deo esse, antea retulimus: nunc uero eandem eternam, & ante mundi ortum Deo insitam affirmamus esse. nam si artificem opificio priorem esse, & efficientem causam effectum precedere constat, mundi quoque artifex Deus prior est ipso mundo, idea etiam Deo insita prior erit eodem mundo. At si queras, quid nam fuerit ante ortum mundum? Cum Platone equidem respondeo: tria haec, ens, locum, & generationem, eademque confusa inordinataque; tunc extitisse, quae tamen ab artifice Deo postea distincta ordinataque sunt. Iam uero, si quae fuerit idea mundi
f roges?

rogas? Platonicorum diuersas sententias subiiciam, ut ex ijs ueram Platonis opinionem colligas. Iam blichus exemplar uniuersi ab eo ente, quod ratione comprehendi diximus, distinxit, atq; idem ipsum unum esse statuit: ens uerò quasi illi adiunctū posuit. Porphyrius animum uniuersi artificem adducens, mentē illius esse ideam siue exemplar aseruit. Theodoros trinitatem effectricē mundi posuit, et unamquāq; ipsius partem αὐτοζωον, id est ipsummet animal dixit esse, ad quod ueluti in exemplar mens ipsa respiceret. Plotinus artificē Deum ideam omnium continere affirmat. Longinus post ipsum opificem exemplar posuit. Proclus demum exemplar in artifice Deo ponens, priorem esse ideam artifice dixit, quatenus ad illam prius inspexit, quā ui efficiendi uteretur. Sed nos eorum nullam sententiam rationi magis consentaneam esse confirmamus, quā Plotini, qui ideam in Deo posuit, Deumq; ipsum ad se respicientem creare omnia dixit. Cui etiam Trismegistus asenitur in Asclepio, cum mentem inquit mundi creatricem, ideam, archetypumq; mundum esse. quod Christiana Theologia confirmat, quae Deum et ideam idem esse docet: quoniam omnia quae Deus fecit, ad suae perfectionis exemplar fabricatus est. Iam uerò cum ideā esse docuerimus, illud nunc inquiramus, nam ad mundi constitutionem idea opus sit: aut si sit opus, quo pacto ipsam consideremus. Quoniam ideam notionem quandam Dei eternam, quam in mundo efficiendo secutus est ille, esse diximus, nihilq; ratione à quoquam fiat, quin aliquem certum efficiendi modum et exemplar sequatur, mundum etiam ad alicuius optimi exemplaris imaginē structū esse affirmamus. Nam si Deus, aut mens, ut Platonici uocant, quaecumq; efficit, summa ratione consilioq; efficit, aliquam in efficiendo rationem, et quasi propositum sequatur necesse est. nihil enim temerē, consilioq; uacuuū efficit. Atqui cum mundum fecerit, notionem aliquā, quam in efficiendo sequebatur, ante habuit: ergo ideam esse manifestum est. Siquidem uel ipse quid faceret ignorabat, uel sciebat. ignorare minime poterat, quando ipsemet ratio ac mens est: ergo sciebat, rationeq; utebatur. atq; ideo ratio illa et efficiendi praescriptus ordo in Deo, exemplar et idea cum factorū est. Quod sanē, quemadmodum in hominibus imaginationem alicuius rei efficiendae cogitamus, quam ille in agendo sequatur: sic etiam in Deo ponentes ideam rerū esse definimus, quae cum in eterno sit, eterna etiam est, atq; adeo eadem ipsa cum Deo. Quia in re hoc conuenit Platoni cum Aristotele, quod efficiens omne rationem efficiendi sequi asserit. differt tamen, quod rationem illam efficiendi ideam esse seu exemplar Plato dixit, Aristoteles uerò minime: quodq; rationem eandem opifici omnium Deo tribuit Plato, Aristoteles autem naturae, quam ratione et ob finem aliquem lib. 2. Physic. agere asseruit. quāquā Ammonius, ac Simplicius lib. 1. de Caelo Aristote-

lis, Deum non modò finem, sed effectricē mundi causam ab eodem Aristotele dici affirmant. Quapropter ideam quidem in Deo ad efficiendū mundum cum Platone ponimus: quoniam ratione summa, summoq; consilio ipsum uniuersa producere cognoscimus, eandem quoq; illam eternam, pulchram, bonam, atq; eandem denique cum Deo ipso esse affirmamus. mundum uerò, quia illius imago sit, pulchrum itidem et eternum statulumus. ideoq; Plato ad ostendendam mundi eternitatem: Si ad imaginē, inquit, eterni exemplaris et non facti mundus est constructus, igitur eternus est: siquidem agens omne sibi simile efficit. Quod autem mundus ipse ita factus uideatur, ex eius praestantia possumus intelligere. nam et is rerum omnium productarum praestantissimus est: auctor uerò ipsius perfectissima, primaq; omnium causa extitit: quae cum bona, praestansq; sit, similem effectum produxisse necesse est. Quo enim praestantior est causa, eo melior effectus. Atqui haec omnia ex immensis Platonicorum tractationibus breuiter desumpsisse satis est.

Rationem uerò originis naturaliter explicare difficillimum est. Ideo de simulacro & exēplo sic distinguamus. Rationes utique cum his rebus quas exprimunt, cognitionē quandam habere uidentur. Ergo cum de re firma & stabili & mente comprehendenda disferitur, stabiles similiter immutabilesq; & quā maxime fieri potest inexpugnabiles rationes esse oportet. Cum uerò de ipsius rei firmæ stabilisq; simulacro disputatur, uerisimiles rationes sufficiūt, quae ita se ad superiores habeant rationes, ut simulacrum ad exemplum. Nempe quod est ad generationem essentia, id ad fidem est ueritas. Cum ergo, ô Socrates, multa de dijs mundi generatione à multis dicta sint, ne mireris obsecro, si rationes de ijs probatissimas exactissimasq; afferre nō possim. Satis enim factū putare debebis, si non minus probabiles quā quouis alius rationes attulerim. Aequū est meminisse, & me qui disseram, & uos qui iudicabitis, homines esse: ut si probabilia dicentur, nihil ulterius requiratis. s o c. Scitē loqueris, ô Timae. quare nos ut iubes agendum putamus. Exordium quidem hoc orationis mirifice approbauimus. Sed age deinceps disputationem perage. t i m. Dicamus igitur, quam ob causam ille rerum auctor generationem & hoc uniuersum constituit,

constituit. Bonus erat. Bonus autem nulla unquam aliqua de re inuidia tangitur. Ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi, quantum fieri poterant, simillima fieri uoluit. Si quis hanc gignendi mundi causam praecipuam a prudentibus uiris acceperit, rectissime profecto accipiet. Itaque cum uellet Deus bona omnia fore, nihil uero quod natura pateretur malum, quicquid erat quod in cernendi sensum cadere posset, assumpsit, non tranquillum & quietum, sed temere agitatum & fluctans, idque ex inordinata iactatione redegit in ordinem. Hoc enim iudicabat esse praestantius. Fas autem neque erat, neque est, quicquam nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus. Cum igitur excogitasset, inuenit nihil eorum, quae secundum naturam aspectui subiecta sunt, si expers intelligentiae sit, intelligente alio, totum toto pulchrius unquam fore, intellectum uero alicui sine anima dari non posse: hac ratione mentem quidem animae, animam uero corpori dedit: totumque ita mundum constituit, ut pulcherrimum natura opus, optimumque foret. Quocirca sicut ratio nobis haec probabilis persuadet, dicendum est, hunc mundum animal esse, idque intelligens, reuera diuina prouidentia constitutum.

Quoniam ad mundi eternitatem tuendam non admodum firmis rationibus fuisse usum Platonem quisquam iudicaret, huic quasi tacite obiectioni ipse respondens, cuiusmodi rationibus utendum hoc loco sit, docet. Ideo duplicem rationum distinctionem fieri debere inquit, alteram rerum stabilium, alteram mutabilium: atque illarum quidem rationes firmissimas querendas esse praecipit, harum autem uerissimiles duntaxat. Quo nomine cum de mundo, hoc est re mutabili et corporea, hic differatur, uerissimilibus uti rationibus satis esse inquit, nihilque aliud ab eodem ulterius postulandum. Quam rem ut nos more nostro declaremus, primo cur Plato firmissimis rationibus in re stabili utendum esse dicat, aperiamus: deinde, cur uerissimilibus tantum in re mutabili. Naturalium rerum cognitio uel circa res corporeas et materiales uersatur, uel circa incorporeas et intelligibiles. illam quidem Physicam, hanc uero Metaphysicam nominamus: ideoque Plato, cum in rebus corporeis probabilitas solum rationis queratur, in rebus autem incorporeis firma certaque scientia, in mundi quidem origine probabiles se solum

rationes reddere uelle inquit: in opificis uero Dei inquisitione, sapientiam, siue ueram scientiam inuenire. Id quod in Phaedone latius demonstrans Socrates, Naturae (inquit) philosophiam, quam Physicam nominant, utpote incertam, probabilemque solum se contempsisse: ad rerum autem intelligibilium contemplationem, in quibus uera est scientia, sese potius contulisse. Qua de causa discrimen hic facit rationum Plato, ut Proclus annotat: quoniam ut inter Physicam et Metaphysicam cognitionis magna est diuersitas, ita inter scientiam ueram et probabilitatem magnum sit etiam discrimen. Haec cum ita sint, aduertendum quidem est, Platonem eam solum uocare scientiam, quae in rerum intelligibilium, eodemque se modo semper habentium contemplatione uersatur, quoniam per se mens minime fallatur, certamque comprehensionem rerum teneat. Unde Alcinoi sapientiam definit, rerum diuinarum cognitionem: ac Plato in contemplatione diuinorum ueram collocat scientiam. Ex quo fit, ut cum res omnes intelligibiles et incorporeae, firmas stablesque sint, nec ullis obijciantur mutationibus, illarum etiam cognitio firma sit, ac uera. quo enim magis a sensibus ad mentem res trahuntur, eo est illarum firmior comprehensio. Atque ita fit, ut Metaphysica, Mathematicae artes, reliquaque omnia quae in mentem solum cadunt, firmissimis scientiae sint, quam illa quae sensibus percipimus. Iam uero, cur mutabilium rerum infirma esse scientiam, probabilitatemque solum inde peti dicat? Quoniam res corporeae, ut mundus, eiusque partes, perpetuo quodam fluxu conuertuntur, generantur, alterantur, ac demum tempore, quod in motu est, transiguntur: scientia uero rerum huiusmodi nulla est. eadem enim firma cum sit et immutabilis, firmarum etiam rerum est. Igitur mutabilium rerum, nec eodem modo se semper habentium cognitio, quia cum re simul mutatur, probabilitas solum dici poterit: quando a sensibus petitur, in eoque certa est, qua ratione concipitur. Ex quo sequitur, ut sensibus Plato in Phaedone quasi parum fidens, illorum perceptionem non tanti faciat, atque animi et mentis contemplationem: ac philosophum etiam corporis mortem, hoc est discessum a corporeis ad intelligibilia expectere iubeat, quoniam in illis error et opinio sit, in his autem stabilis certaque scientia. quod itidem in Epinomide clarius demonstrans, ab ijs disciplinis quae sapientem reddant hominem, physicam reiecit, diuinorum autem et intelligibilium contemplationem praefert. cui Aristoteles lib. 3. Metaphys. assentitur, uera quidem esse dicens, quaecumque mente percipiuntur, rationeque confirmantur: non autem, quae nobis apparent: qui etiam separatim rerum nullum esse errorem inquit. Quamobrem eleganter quidem Plato, de mundi natura tractaturus, probabiles duntaxat rationes asserre se inquit, ut rei mutabili infirmas competant rationes. Cum uero de intelligibili essentia, ut Deo, mente, ideis loquitur, firmas esse rationes

tiones adducendas inquit: quoniam rerum stabilium stabilis quoque sit cognitio. Sed hoc tamen in loco rectè inquit Proclus, cur nam primum mundi auctorem inuenire difficile iudicari Plato, nunc uerò rerum intelligibilium firmam esse scientiam dicat. Cui obiectioni facile respondetur, si aliud esse opificem ipsum mundi inuenire, aliud uerò res intelligibiles cognoscere dicamus. Nam eundem quidem illum nosse minime possumus, nisi omnino intelligibiles, eidemque similes efficiamur. at uerò rerum mente 10 cōprehensarū cognitionem facilius tenemus, quoniam illarum mens nostra capax est, diligentique inquisitione easdem comprehendimus. His igitur in uniuersum ita explicatis, Platonis uerba tandē exponamus. Rationem uerò originis naturaliter explicare difficillimum est, ideo de simulachro & exemplari sic distinguamus.) Exemplar Græcū sic habet: μέγιστον δὲ πάντων ἀξιοτάτου κατὰ φύσιν ἀρχήν. Cicero in libro de Vniuersitate illud sic transtulit: Difficillimum autem est in omni conquisitione 20 rationis exordium. Quæ quidem uerba rectius à Marsilio, quàm à Cicerone exprimuntur. nam cum in ijs Plato probabilitatem solum in mundi generatione sequi se dicat, quoniam difficillima sit originis mundi ratio, qualis nam fuerit, Marsilius interpretatus est, originis rationem difficilem explicatu esse: Cicero autem, exordium in ratione inuenienda difficillimum esse, id quod Platonis sensum non explicat, nec satis fideliter uersum est. Sed ut Platonis sensum declarem, cum de mundi ortu differere 30 ipse uelit, ad rei difficultatem magis explicandam, Difficile esse inquit, rationem causamque nati mundi querere: ideoque satis esse, probabilitate solum uti. Quod magis adhuc confirmans: Rationes, inquit, cum his rebus, quas exprimūt, cognationem quandam habere uidentur.) id est, Hæc quidem rationū habenda est distinctio, ut cum quadam firmæ ac stabiles sint, quædam uerò probabiles, stabiles quidem rebus intelligibilibus, & eodē se modo semper habentibus, siue ipsi exemplari accommodemur: probabiles rebus sensibilibus & imagini eiusdem exemplaris, id est, mundo. Nam ut exemplar mundi est intelligentia comprehensum, ita firmis rationibus comprehenditur: ut autem mundus exemplaris est imago, sic etiam uerisimilibus duntaxat rationibus declaratur eius origo. Qua de causa, ut inter exemplar & imaginem magnum est discrimen (illud siquidem intelligibile, hæc autē sensibilis est) ita inter scientiam & probabilitatem idem discrimen est: scientia enim ad exemplar rationem habet, probabi- 40 litas uerò ad imaginem, quod itidē his uerbis Plato refert: τὸ δὲ τὸ πρὸς μὲν ἐν εἰνὸ ἀπεινάδοντος, ὅντος δὲ εἰνός, εἰνός, ἀνάλογον τε ἐν εἰνὸν ὄντας, ὅ, τι πρὸς πρὸς γένειον ἰσία, τὸ πρὸς πρὸς ἀλλήλα. Quæ uerba Marsilius ita transtulit: Cum uero de ipsius rei firmæ stabilisque simulachro disputatur, uerisimiles rationes sufficiunt, quæ ita se ad superio-

res habeant rationes, ut simulachrum ad exemplar, nempe quod est ad generationē essentia, id ad fidē est ueritas. Cicero tamē sic est interpretatus: Cum autē ingressa est, imitata, & effecta simulachra, bene agi putat, si similitudinē ueri cōsequatur: quamū enim ad id quod ortū est, eternitas ualet, tantū ad fidem ueritas. Quæ profectō uerba (pace tanti uiri) malè trāsata, peiusque ab eo intellecta sunt. Siquidē 5 & ὁμοίαν eternitatem interpretatur: & alia etiam addidit, cōmutauitque, quæ Plato minime dixit. Nam si uerbum ē uerbo reddere uelimus, illud τὸς δὲ τὸ πρὸς μὲν ἐν εἰνὸ ἀπεινάδοντος, ὅντος δὲ εἰνός, εἰνός, sic transferri potest apertius: Existente quidem imagine, rei asimilate, ad illud nimirum exemplar, probabiles erunt rationes. ita ut à coniugatis Plato argumetur, cum ait, τὸς εἰνός λόγος, id est rationes probabiles, τὸ ἀπεινάδοντος πρὸς ἐν εἰνὸ, id est asimilate rei ad illud exemplar reddendas solum esse. In ijs enim uerbis hoc nobis significare uult, imaginis quidem, id est mundi, probabiles solum rationes esse reddendas, ipsius autem exemplaris firmas & stabiles. Quo nomine eam inquit proportionem inter rationes illas seruari, quæ inter exemplar & imaginem est. Nam ut exemplar ab imagine differt, quod illud stabile ac eternū est, hæc generata & mutabilis: ita fides à ueritate, siue scientia à probabilitate distat, quod illa firma & eadem semper est, hæc uerò infirma, & uariatur. Quod Plato ipse his uerbis indicat: ἀνάλογον τε ἐν εἰνός ὄντας, ὅτι ὁ μὲν πρὸς γένειον ἰσία, τὸ πρὸς πρὸς ἀλλήλα: hoc est, in illa quidē duplici rationis distinctione proportio hæc est, ut quemadmodū ad generationem substantia, ita ueritas ad fidem sit affecta. Igitur substantia exemplar ipsum est, generatio uerò est imago producta: inter quæ duo proportio seruatur ea, quæ inter sensibile est, & intelligibile. Itemque fides ad imaginē refertur, quoniam infirma scientia est: ueritas autem ad exemplar ipsum, quia certa & stabilis. Quamobrem hæc quidem ad 40 Platonis intelligentiam proposuisse satis sit: in quo considera magnam illius modestiam, ut nihil arroganter, uelut alij, affirmet, sed probabiles rationes sequi se uelle dicat, cum homo sit, fallique faciliē possit: quod in Phædone etiam, alijsque locis facietur, cum probabilitate solum rationum contentum esse se inquit, nihilque constanter asserere. Dicamus igitur, quam ob causam ille rerum auctor generationem, & hoc uniuersum cōstituit. Bonus erat: Bonus autē nulla unquam aliqua de re inuidia tangitur: Ergo cū liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi, quamū fieri poteram, similia fieri uoluit.) Quæcumque haftenus dicta sunt, ad artificem causam, exemplarque ipsum referri oportet: idque tum ueris certisque rationibus, tum probabilibus explicatum est. Nunc principio iterum sumpto, ad eundē ipsum auctore mundi redeamus, quo melius ortū illius enarremus. Itaque cum & mundum esse factum, & Deum illius opifi-

cem extitisse intelligamus: illud nunc cum Timæo inquiramus, quæ nam causa illum impulerit, ut mundum uoluerit creare, aut quis nam finis creandi eius fuerit. Igitur efficiendi quidem mundi causam inquirens Timæus, bonitatem inquit Dei fuisse. sic enim argumentatur: Quicumque bonus est, id quod facit, non rei alicuius æmulatione facit, sed bonitate sua, alioqui bonus non esset: At Deus bonus est, seu potius bonum ipsum: igitur bonitate sua mundum procreavit, non æmulatione mundi alicuius iam facti. Quo fit, ut mundus iste ad similitudinem Dei bonus sit factus. Hæc cum ita sint, ad Platonis sententiam melius explicandam, singula ordine doceamus. Deum Plato tum mentem, tum ideam pulchri ac boni, tum ipsum bonum uocare solet: ut in Parmenide, ac Sophista. id autem bonum, causam aliorum esse affirmat, reliquaque illius participatione bona fieri aut. Ideo cum Deus sit ipsum bonum, mundumque is construxerit, mundus quidem ex se malus est, utpote corruptioni, generationique subiectus: participatione uero illius boni, à quo est factus, bonus est. Quod Trimegistus in Pimandro aperte confirmans: 20 Vnum inquit et bonum in nullo præterquam in Deo poni, imò uero ipsummet Deum esse: mundum uero ex sua natura malum, boni illius participatione bonum fieri. Idem testatur Plotinus in libro de Primo bono, Proclusque, ac ceteri Platonici. Iam uero illud ipsum bonum siue Deum Plotinus idem, ac Trimegistus, unum esse definiunt, cunctorum principium, boni datorem, omnia in se bona posita habentem ex sua natura, non ex aliqua actione, nullam re indigentem, omnia denique bonitate sua bona efficien- 30 tem. Hic igitur Deus bonus cum sit, mundum ad sui similitudinem bonum fecit, quatenus ex inordinata rudique effrenia, pulchritudinem summam eius effecit. Nec in ea quidem bonitate clargienda auarus fuit, sed liberalissimus. cum enim ipsum bonum, ut Aristoteles ait, sui profusum sit, cunctisque impartiri se velit: Deus etiam, qui bonum ipsum est, bonitatem suam mundo communicauit, nec illum tanto munere priuare noluit. Quia etiam bonum illud, cuius causa mundum construxit, finis est in ipso mundo, in Deo uero est exemplar. quatenus enim Deus idem ad sue bonitatis ac perfectionis similitudinem effecit mundum, bonitas illa exemplar est: quatenus uero bonitatis gratia eundem fabricatus est, eadem illa bonitas finis exiit. Nec mirum quidem id est, quando bonum, ut Plotinus in libro de Primo bono, ac Aristoteles lib. 1. Ethic. aiunt, id est, quod omnia expetunt, et ad quod uniuersa referuntur. Quicquid enim sit, non temere, sed aliquo fine statuto sit: finis autem uel bonus semper est, ut Aristoteles idem inquit, uel bono similis. Ex quo efficitur, ut cum Deus bonum ipsum sit, suaque causa mundum effecerit, potissima efficientis mundi causa extiterit bonum ipsum. Quare hic sanè causarum mundi generationis ordo est à Platone traditus, ut primò Deus artifex ef-

ficiens causa proponatur, deinde exemplar, tum finis mundi construendi, postremò subiectum ipsum, ex quo sit factus mundus. Quem etiam ordinem Seneca libro 8. Epistolarum ad Lucilium declarans, bonitatem inquit à Platone causam finalem uocari. Bonum siquidem, uti diximus, finis est, quem omnia expetunt, et cuius gratia boniunt, cunctaque aliquid agunt. nam si Deus, aut natura, ut Aristoteles libro 2. Physic. inquit, nihil temere faciunt, sed aliquem semper finem efficiendi sibi proponunt: profectò bonum ipsum, finem esse construendi orbis fatendum est. aut temere, casu uel aliquo constructum esse illum concedemus, quod maxime est absurdum. Igitur constituendi quidem mundi finis bonitas Dei est, bonitate enim sua cuncta is effecit: quemadmodum et sacra docet scriptura, cum initio mundi creationis Moses, Vidit Deus (inquit) quod essent valde bona, quæ fecisset. His ita propositis, Platonis uerba explicemus. Cum uellet, inquit, Deus bona omnia fore, nihil uero quod natura pateretur, malum: quicquid erat, quod in cernendi sensum cadere posset, assumpsit, non tranquil- 20 lum et quietum, sed temere agitatū et fluctuans, idque ex inordinata iactatione redegit in ordinem. Id est, Cum finem condendi mundi bonitatem suam deus proposuisset, eundemque perfectissimum, quoad eius natura pateretur, efficere uellet, substantiam corpoream inordinatam ac deformem assumpsit, eandemque in ordinem formamque adduxit. Quæ in re modum generationis à Platone traditum attentè considera. Primò enim efficientem causam, nimirum Deum proponi: postea finem animo cogitatum, hoc est bonitatem: postremò sensibilem ipsam substantiam. quoniam cogitato sine prius, efficiens subiectum informat, sibi que simile efficit, quod illius exemplar est. Ideoque Deum efficientem causam uocat: bonitatem illius tum exemplar, tum finem: exemplar quidem, quatenus ad eius imaginem factus est mundus: finem autem, quatenus illius gratia mundum fecit. subiectum denique id nominat, quod in sensum cernendi cadere posset, temereque agitatum fluctuat. Sed hoc tamen subiectum materiam primam omni forma carentem esse, ne intelligas: materia enim cum corporea magnitudine careat, fluctuare, inordinataque esse nequit: siquidem nihil incorporeum inordinatum esse, aut fluctuans potest, cum hæc corporum inco- 30 positum accidentia sint, materia uero accidentibus sit nuda. Quin potius illam ipsam, quam nos supra Platoni tribuimus, sententiam hinc collige: Ante natum mundum substantiam ipsam inconditam extitisse, postea uero in ordinem fuisse redactam. Cuius rei causam esse inquit Simplicius, lib. 1. Comment. in Aristot. librum de Cælo, quod cum res omnes mundi, non solum elementa, sed mixta etiam corpora ex partibus constituta sint, eorumque discriminis dignosci non possit, nisi in partes simplicissimas prius fiat resolutio, ad rei constitutionem expli- 40 candam

candam Plato ex inordinata inquit essentia in ordinem redacta fuisse factum mundum, non quod uere inordinatio illa præcesserit, sed quia res magis sic intelligitur, si ad explicandam totius compositionem, partium inter se diuersarum resolutio prius fiat: quemadmodum et ad mundi naturam explicandam, natum fuisse illum Plato dicit, quatenus ex materia formaq; et causis suis constat, cum tamē eternum esse illum affirmet. Hanc Platonis sententiam Aristot. lib. 1. de Cælo reprehendēs, fieri nō posse inquit, ut generatio hæc mundi, de qua Plato loquitur, fieret sine temporis transmutatiōe aliqua, uel ut ex inordinato ordinatum quicquam redderetur, quin prius aliquo tempore inordinatio illa præcessisset: alioqui et inordinatum et ordinatum simul quicquā tunc esset, quod ratiōe caret. sic enim Aristoteles ipse ait: ἐξ ἀτάκτου γὰρ ποτε τεταγμένα πασι γινώσκου, ἀμὰ δὲ τὸ αὐτὸ τεταγμένων εἶναι, καὶ ἀτάκτου, ἀδιύδατον, ἀλλὰ ἀνέσθην γόνεισι πρὶν εἶναι τὸν κόσμον, καὶ γόνον. Porro cum Plato dicat, mundum à Deo factum bonitatis suæ causa, ne mali quicquam in eo esset: illud nunc denuò inquiramus, utrū malum aliquod sit, et quid sit: atq; num omnia bona sint, an mala sint etiā: postremo, quo pacto boni auctor, mali uerò expulso, Deus dicatur à Platone. Quid esset bonum, aut quale, diximus in superioribus: nunc diuersa ratiōe, quia bonū malo aduersatur, malum etiam esse uidetur. repugnantia enim inter contraria est, contraria uerò simul natura esse necesse est, ideoq; malum alicubi existere uidebitur. Sed reuera malum nusquam est. nam si esset, ut Aristoteles inquit, seipsum interimeret, nunquamq; cōsisteret. idem autē priuatione boni esse dicitur: quando enim bonum deest, accidentariò inest malum, nō autem ut forma aliqua. Quod Plotinus in lib. *Quæ* et unde sint mala, prolixè docēs, Malū inquit per se esse non posse, sed ex boni defectu: ideoq; materiam forma priuatam malum esse, non quia tali sit malitia prædita, sed quatenus nulla qualitate cōstat. *Quæ* cum ita sint, materiam quidem, siue inordinatam essentiam malum esse Plato intelligit, eamq; bonitate Dei adductam in ordinem dicit, ne mali quicquam mundus haberet, quatenus informata ab illo est. Hinc igitur manifestè constat, malum nunquā esse per se, sed ex formæ absentiā, ut in priuatione, quemadmodum ait Aristoteles. At uerò inquires tu rursus, num omnia bona sint, quando malum nusquam est? Huic equidem obiectioni cum Plotino ac Proclo respondebo, bonum per se solū existere, malum uerò minimè, omniaq; natura sua esse bona, quando facta à Deo sunt: malum uerò esse propter illius boni absentiā accidentariò, ac non per se. Multa enim in hoc mundo mala uidemus, ut interitum, mutationesq; rerum: quæ tamē ex natura sua mala non essent, nisi bonum ipsis deesset. Quare malum istud materiæ et formarum carentiā, rectè ab Aristotele priuatio nominatur, ac inter naturalia

principia refertur, quatenus materia formis suis spoliatur. Atq; eandē formæ absentiā in materia Plato in Parmenide, ut Aristot. in fine lib. 1. Physic. notat, cōfirmatq; Themistius ac Simplicius, priuationem esse existimauit. ibi enim, dū materiā nudā non ens uocat, priuationē intelligit. Age uerò, nū Deus mali auctor est, quando res interire, mutariq; permittit? Minimè sanè: imò boni causa est semper, quæ admodū in Theæto Plato refert. Nam omnia quidem bonitate artificis Dei bona sunt, ut in libris de Repub. idem ait, confirmatq; Plotinus. *Quo* fit, ut per se semper is bonum faciat. etenim si facit Deus quicquam, necessariò bonum id efficit: accidentariò autem malum fit, non quod ille causa sit mali, sed quatenus destituta res eius auxilio et conseruatione, natura sua interit, et ad malum, hoc est priuationem tendit. Quod idem Plato in sequētib; docet, cum ad iuniores deos loquitur, dicens: Quoniā estis geniti, immortales non estis: non tamen dissoluemini, uirtute mea seruati. Quod etiam explicās Plotinus: *Quæ* cumq; à Deo, inquit, proueniunt, bona sunt: ex materia uerò nondum informata, malum ipsum exoritur. Atq; hæc est Platonis sententiā breuiter explicata. Quicquid erat, quod in sensum cernēdi cadere posset, assumpsit. Cum singula Platonis uerba in hoc libro magnum habeant momentum, quamuis generatim hæc omnia superius declarauimus: nunc ordine cōuerso eadem enodatiùs explananda sunt. Initio huius Dialogi Plato duo posuit æterna rerum initia, τὸ αἰὲν ὅν siue Deum, et τὸ ὄν ὁλόν ποτε, id est mundi substantiam. atque hanc quidem factam, uereq; nō esse dixit, quoniam à Deo penderet. quemadmodū, impresso uestigio, simul est pes cum illo, cum tamē ille sit prior: sic etiam natura sua prior est Deus, mūdus uerò simul cum ipso: qua de causa æternum esse illum cum Platone dicimus. Nam factus quidē ab eo mundus dicitur, quatenus naturæ ordine ab illo procedit: naturæ æternitate, uelut è sole lux oritur. Hæc cum sit Platonis sententiā, ut initio diximus, substantiam ipsam mundi inordinatam, fluctuantemq; fuisse ante mūdi ortum asseruit: quatenus corporea omnia et sensilia ex se minimè ordinari, informariq; possunt, quin à Deo prius informemur. Atq; inde fit, ut ad mundi generationem explicandam, incultam fuisse mundi substantiam dicat: non quod eiusmodi aliquando fuerit, sed quod corpora omnia initio talia sint, postea uerò informantur. Prius enim inordinata res est, quàm ordinata sit, et simplices particule compositionem amecedunt. In hac sententiā Porphyrius, Iamblichus, Proclusq; suere: ac ijs omnibus, Platonēq; prior Trismegistus, qui sententiā eandem in Asclepio habuit. ibi enim duo mundi principia ponit, Deum, et ἔλν, id est materiam. atq; utrumq; æternum esse affirmat: materiam uerò generabilem dici ait, quod naturam generandi, transmutandiq; se habeat, cum tamen ex se sit ingenerata et æterna. *Quæ*

na. Quam sententiā longius exponēs, iisdē ferē uerbis, quibus Plato, sic tandē concludit, ut Apuleius transulit: ὅλα αὖτ, uel mūdus, omniū est receptaculum, omniumq; agitatio, et frequētatio: quorū Deus gubernator, dispēsans omnib. rebus humanis, quantum cuiq; necessariū. Ecce igitur et Trismegistus, et Plato, substantiā mūdi inordinatā, agitatāq; temerē fuisse ante mundi ortum, dicunt: quatenus ex se illam agitationem habet materia, nisi à Deo informetur, quatenusq; nihil corporeū natura sua informari possit, nisi ab alio prāstantiori. Quare Platonis quidem sententiā breuiter collecta hac sit, mundum eternum esse, itemq; illius essentiam: eandem tamen generari, oririq; quatenus corporeum est, et in continua transmutationis agitatione uersatur, semperq; à Deo informatur. Quod hinc clariū intelliges, quod hanc ipsam mundi substantiā in sensum cernēdi cadere, fluctuareq; dicit Plato, ad eius naturam corpoream explicandam. nam si corpus non esset, cerni fluctuareq; non posset. Cum uerō huiusmodi accidentibus prādicta essentia illa dicatur ante mundi ortum fuisse, perinde est ac si dicat, eandem semper corpoream substantiam existisse: tamen natura sua agitabilem, ut corporeā, et concretam ex qualitatib. fuisse. Atqui hac hactenus satis sine reliquam enim disputationem de materia, in tertiam Dialogi partem differemus. Cum autem excogitasset, inuenit nihil eorum quae secundum naturam aspectui subiecta sunt, si experti intelligentiae sit, intelligentiae alio, totum toto pulchrius unquam fore, intellectū uerō alicui sine anima dari non posse. Quoniam ad sui imaginem, exemplarq; Deus mundum, ut diximus, effecit, nō modō illius substantiam informare, et in ordinem adducere uoluit, sed animum etiam ipsi addere: quoniam prāstantius est, mundum animatum esse, quā inanimem, siquidem animatum inanimato excellit. Ideoq; Plato ad mundi effectiōnem, prāstantiamq; explicandam, post informatam ordinatāq; mundi essentiam, inditam à Deo illi animam dicit, sicq; animatū esse mundum. Nos autem, ut hac distinctius explicemus, primō nūm cōelum seu mundus animatus sit, nec ne, doceamus: ac si animatus sit, cuiusmodi anima constet. postremō breuiter Platonis rationē, sententiamq; explicemus. Plutarchus lib. 2. de Placitis philosophorum, mundum inquit esse animatum plerosq; asseruisse, ac prouidentia administrari. Epicurum autē, ac Democritum, nec esse animatum, nec prouidentia administrari: Aristotelem deniq; nec animatum omnino illū, nec sentientē, nec rationālē, nec intelligentem, nec prouidentia gubernatum dixisse refert, sed cōelestia solū ijs omnibus prādicta esse: quoniam orbis animati uiuentēsq; sūnt, inferiora uerō ac terrestria nihil eorum habeāt. Cicero lib. 2. de Natur. deor. sub Lucilij persona et animatum esse mūdū, et ratione mentēq; prāditum, ac Deum planē nominauit cum Platone, nullis rationibus. Trismegi-

stus in Asclepio, Plotinus in lib. de Cōelo, Platonici demum omnes idem senserunt. Postremō Aristoteles lib. 12. Metaphysic. quemadmodum et de illo Proclus refert, eternum animal mūdū uocauit: siquidem animantes omnes dextra et sinistra habent, stirpes uerō sursum ac deorsum, et dextrum sinistrūq; mundum autem, cum illa omnia habeat etiam, animatum definiuit, ita ut mens mundo prāsident, ipsumq; mouens, atq; undique permeans, anima mundi sit. Idem lib. 2. de Cōelo his uerbis cōfirmat: ἡμοῖν δ' ἐπειδὴ ὡρεῖται πρῶτόν, ὅτι οὐ τοῖς ἔχουσιν ἀρχὴν κινήσεως αἱ τοιαῦται δυνάμεις οὐκ ἀρχαί, οὐδ' ὁ βραχὺς ἐμφύχως, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχὴν. Igitur non solum Plato animatū dixit mundum, sed Aristoteles etiā, aliq; permulti. Hec cum ita sint, quibus nam de causis animatus dicatur ille, uideamus. Quicquid à seipso mouetur, et non ab alio, animatum est: mundus à seipso mouetur, quod αὐτὸ κινῆτον dicitur: igitur animatus est. Item, Si cōelum perpetuō mouetur, principiumq; illud motus internum habet, animatum esse concluditur: cum si ab alio moueretur, priuari motu posset, sicq; desineret aliquando moueri. Deinde, si mundus recte instruitus à Deo est, et quod anima cōstat, rectus est eo quod illa caret: mundus itidem anima cōstabit, quādo rectius illum instruere Deus uoluit, quā si anima careret. Postremō, si ad imaginem eterni diuiniq; exemplaris in Deo siti, quod αὐτοῦσαν, id est ipsummet animal per se dicitur, cōelum est factum: et quicquid sit, à simili suo sit: mundus ergo animatus est. His atq; alijs huiusmodi rationibus, cōelū esse animatū, Platonici probant. Sed cum animal à Platone mundus uocetur, cuiusmodi animal sit, inquiramus. Quicquid uiuit apud Platonem animal esse dicitur, quoniam propria animae actio uita est: ac si anima desit, uiuere nihil potest. contra tamen, nō animal omne anima cōstat, apud eundem: siquidem rationalis et intelligibilis animans plus quā animam habet. nam anima inferior est animali intelligibili, ut Proclus annotat: quod ex Trismegisto in Asclepio sumptū uidetur, qui omne id quod uim motricem habet, animā habere dicit: quicquid uerō animam et corpus habeat, animal esse. Quod cum ita sit, recte sanē mundus animal dicetur, quod uita constet, animamq; sibi conuenientem sortiatur. Sed cuiusmodi nam animal esse Plato inquit? Certē mobile, ratione memeq; utens. nam ut Iamblichus ait, animal dicitur mundus, quatenus uitam in se habet: animatum uerō, propter propriam animarum participationem. omnes siquidē animae participes mundanae animae à Platonicis dicuntur. Sed si Proclum sequi uelimus, animans mundus uocatur, quatenus imago est illius exemplaris αὐτοῦσαν, quod dicitur: animatus uerō, quoniam animam ei prāsidentē, quae ipsum administret, habeat. Ergo cum animal à Platone dicitur mundus, haud intelligendum est, mundum esse animal quoddam ingens, qualia animantia

hac

hæc nota sunt, ut ineptè aliqui putant: sed quia, ut animus principium est motus in animalibus, quo moueantur: ita etiam in mundo est quidam animus, nō qualis est reliquorum animantium, sed diuersus, qui mundum ipsum ciet. Et ut Proclus itidem annotat, propter consensionem partium suarum, quam *συμπάθειαν* uocat, animal dicitur mūdus: propter internum uerò motus principium, animatus. deniq; propter ordinem, quo est compositus, quoq; mouetur ratis cursibus, intelligens nominatur. Quamobrem, quia mentis atq; anime propriū est, uitam corpori præbere, mouere, ordinēq; motum illum ciere: mundus sanè, quia hæc omnia habeat, animal intelligens, uiuensq; à Platone dicitur: id quod tum Proclus in Comment. tum Plotinus in libro de Motu cœli confirmat. ait enim, cœlum ab anima sibi indita moueri, quemadmodum et animalia ab anima interno motu impelluntur. Quamobrem uera quidem Platonis sementia est, ut Proclus, Plotinus, ac ceteri Platonici asserunt, mundum esse animatum, quatenus à se ipso mouetur, et non ab alio: intelligentem uerò, et rationalem, nō quod ratiocinetur aut intelligat, ut nos ipsi, sed quoniam ordine, compositoq; motu impellatur: quemadmodum et naturam inquit Aristoteles ratione uti, non quod illa animal rationis particeps sit, sed quod prouidēter cum illa administret, certoq; ordine moueat. Quia in re Plato cum Aristotele consensit, tum quod animatum mundum dixerit, tum quod id ipsum animam mundi uocat, quod Aristoteles naturā. Nam ut natura insitum est principium rebus, mouendi se, et quiescendi: ita anima mundi nō modò singula interna ui mouet, sed uniuersum etiam. Quod Plotinus in lib. de Motu cœli fâctetur, cum id ipsum naturam esse inquit, quod ab uniuersi anima ordinatur. idemq; Proclus in Comment. docens his uerbis testatur: ὅ ἡ πλάτων, ὁ δὲ μὲν ἢ το ὁμοῦ ἀδελφός, ὁ δὲ τὸ σῶμα, ὁ δὲ τὰς διωκόμενους τὰς φυσικὰς, ἢ καὶ αἰσθητὰς ἐκείνους ἐκείνους ἀφ' οὗ καὶ τὸ αὐτὸν αὐτὸν ὄντα προσεγορεύοντα, ὃν μέσῳ δὲ ἀμφοῖν τῶν δόξαν αὐτῶν θέμιος. His ita explicatis, singula Platonis uerba iam exponamus. Cum excogitasset igitur, nihil inuenit eorū quæ secundū naturā affectui subiecta sunt, si expers intelligentiæ sit, intelligente alio, totū toto pulchrius unquā fore, intellectu uerò alicui sine anima dari non posse: hac ratione mentē quidem animæ, animā uerò corpori dedit, totumq; ita mundum constituit, ut pulcherrimum natura opus, optimūq; foret.) Hoc est, Cum Deus ad sui exemplar mundum facere uellet, ipsumq; exemplar mente animoq; constaret, seu potius mens ipsa esset, mundum quidem similem illi, hoc est animatum et intelligentem fecit: quoniam prestantius est quod ratione menteq; constat, quā id quod ea caret. Cum autē mens ipsa artifex et exemplaris in imaginem suam mundum mentem aliam includere uellet, nec mens absq; anima posset esse, mentem sibi similem in mundi ani-

mam inclusit, animā uerò in corpore uniuerso. Ex quo intellige, à Deo mentē effluxisse, à mundo uerò corporeo propter mentis aduentū, animam ipsam: quæadmodū in humano corpore, adueniēte rationali animo, corpus sortitur animam irrationalē, quasi imaginem ac lucem illius. Atqui hæc sanè ex Trifido in Pimandro manifestè Plato desumpsit. is enim de mundi ortu loquens, æternitatis inquit animam esse Deum, animam uerò mundi æternitatem, animam deniq; terræ esse cœlū: ideoq; in mente concludit Deum esse, mentem uerò in anima, animamq; in materia corporea. Ergo consecutione quadam ex mentis aduentu, quæ simplex et incorporea est, anima cōstituitur parim corporea, parimq; incorporea, propter corporis connexionem. Constituta demum anima, corpus animatum efficitur, atq; ita est animal. Qua de causa mundum inquit animal à Deo factum ad Dei sui exemplar fuisse: ita ut mens, quæ uera est Dei imago, in animam includeretur, anima uerò in corpus: ex quo fit, ut animatus sit mūdus, ideoq; pulcherrimus. Hoc deniq; ijs uerbis Plato intelligēs, dum animatum esse mundum dicit, descendum animatum in corpus nobis ostendit, de quo nos prolixius in sequentibus. Sed hæc uerba cum aliquid habere difficultatis uideantur, Græcè, ut apud Platonem sunt, efferantur, quo melius eorū uis noscatur: λογισάμενος οὐρ σύρσινον ἐκ τῶν κατὰ φύσιν ὁρατῶν ὅσον ἀνέκταρ, τὸ νῦν ἔχοντες, ὅλον ὅλον καὶ ὅλον ἐσεῖν αἰ ποτ' ἐργον. Id est: intelligēs igitur, inuenit quidem ex ijs quæ natura cernuntur, nihil intelligentia carens intelligente uniuersum uniuerso opus unquam fore pulchrius. quasi diceret: Nihil in natura sensibile (id enim est ὁρατῶν apud Platonem) pulchrius esse illo, quod ratione intelligentiāq; constet. siquidem quod est intelligens, pulchrius est eo quod non intelligens: etiam uniuersum alio uniuerso pulchrius esset, si intelligentiā cōstaret. Atqui hic est Platonis uerborum sensus, quæ tamen Cicerō eleganter ac propriè sic translatit in lib. de Vniuersitate: Cum rationem igitur habuisset, reperiēbat nihil eorum esse, quæ natura cernerentur, non intelligens intelligente in toto genere prestantius. Qua in re Platonis uerborum proprietatem considera, quomodo Deo, qui mens est, intelligentiam solam tribuat, cum ait, λογισάμενος, id est ratione intelligens. proprium enim illius est λογίσαι, ut Proclus refert: siquidem Deus, ut Iamblichus, Proclus, aliq; dicunt, intelligendo efficit. Iam uerò cum ait, Nihil eorum quæ natura cernuntur, sensilia intellige, quando sensilia, ut antea diximus, Plato tum ὁρατὰ, tum ἀσφατὰ nominare solet.

Hoc posito, quod sequitur uideamus, ad cuius animalis similitudinem Deus mundum cōstituit. Vni cuidam propriæq; animalium speciei similem fecisse, ne arbitremur. Nam si imperfe-

cto

eto animali similis esset factus, pulcher
 certe non esset. Imò uerò illius anima-
 lis eum simillimum esse dicamus, cuius
 animalia cetera & singulatim & gene-
 ratim partes sunt. Illud siquidem uiuen-
 tia omnia, quæ sola mente percipiun-
 tur, in seipso cõplectitur: quemadmo-
 dum mundus hic nos & cetera quæ
 cernuntur animalia continet. Volens
 itaq; Deus omnium quæ intelligi pos-
 sunt pulcherrimo, & undiq; absoluto
 mundum hunc simillimum reddere, a-
 nimal unū ipsum effecit, aspectui sub-
 iectum, animalia cuncta naturæ suæ
 conuenientia intra suum limitem con-
 tinens. Proinde recte ne mundum u-
 num diximus: an rectius plures innu-
 merabiles: ue dici oportuit? Vnū pro-
 fectò, si modò ad unius similitudinem
 fit formatus. Quòd enim uiuentia om-
 nia quæcunq; intelliguntur continet,
 socium alterum habere non potest. A-
 lioquin aliud animal, quod hæc duo
 cõtineat, esse oporteret, cuius duo hæc
 partes sint: nec illorū, sed tertij huius,
 mundus hic simulachrum rectius dice-
 retur. Vt igitur hic mundus esset ani-
 mali absoluto simillimus, ex eo quòd
 solus atq; unus esset, idcirco neq; duo,
 neq; innumerabiles procreati sunt, sed
 unus mundus, unigenitusq; factus est
 & erit. Quoniam uerò corporeus spe-
 ctabilisq; & tractabilis erat futurus, ac
 sine igne uideri nihil potest, nihilq; si-
 ne solido tangi, & solidū absq; terra ni-
 hil, ideo in operis huius exordio Deus
 ignē primo terramq; creauit. Sed duo
 sola absq; tertio quodam commodè co-
 harere non possunt, mediūq; aliquod
 uinculum utrorumq; desiderant. Vin-
 culorum uerò id est aptissimum atque
 pulcherrimū, quod ex se et ex ijs quæ
 astringit, quàm maximè unum efficit.
 Hoc maximè proportio ratioq; alter-
 nã comparationis assequitur. Quan-
 do enim in tribus numeris aut moli-
 bus aut uiribus mediū ita se habet ad
 postremum, ut primum ad mediū, ui-
 cissimq; ut postremum cum medio, ita
 mediū cum primo congruit, tunc
 quod mediū est, & primum fit et po-
 stremum, postremum quoq; & primū

media fiunt. Ita necessitas cogit, ut om-
 nia quæ sic deuincta fuerint, eadem in-
 ter se sint. Eadem uerò cum facta sint,
 efficitur ut omnia sint unum.

Quando mundū factum esse animatū Dei pro-
 uidentia, et intelligētem Plato statuit, ad exempla-
 rem iterum causam recurrit, quemadmodum in his
 omnibus facere solet: ut cum primò an res facta nec
 ne sit quesierit, deinceps ad cuius exemplaris imagi-
 nem sit facta inquirat. quod idem hic faciens, cui nã
 animalis generi, aut cui exemplari similis sit factus
 mundus, inuestigat. Animalium alia perfecta sunt,
 quæ partibus suis omnibus cõtstant, ut homo, equus:
 alia imperfecta et inchoata, ut conchyliã et inse-
 cta. Horum ergo cuius nam imaginem sequutus est
 Deus in mundo efficiendo? perfectorum ne, an im-
 perfectorum? Certè nullum eorum. nam cum mun-
 di exemplar æternum sit, animalia uerò producta,
 nullius sanè facti animantis imaginem imitatus est
 Deus, ne factum esset exemplar, sed æterni potius.
 At uerò quod nam est æternum illud animal, ad cu-
 ius exemplar factus est mundus? Idea mundi Deo
 insita, quam Iamblichus ac Plotinus mundum intel-
 ligibilem uocat. hæc enim nō solū æquè æterna cum
 Deo est, sed animata etiam, ac intelligibilis, ut Deus
 ipse: ideoq; si mundus est animatus, et ad alicuius
 sibi similis exemplaris imaginem factus, idea mundi
 animata seu intelligibilis erit, quod animatum supe-
 rat. Nam mundi idea intelligibilis in Deo est, in hoc
 autem mundo sensibili animata solum: siquidem re-
 rum formæ in Deo sitæ, ut Plethon ait, maiorem ha-
 bent essentiã, quàm in seipsis. Ex quo fit, ut si mun-
 dus in se animatus est, multo magis in idea Deo insi-
 ta sit animatus, ac prorsus intelligibilis. Illa itaque
 idea mudi intelligibilis, in Deo sita et æterna, quam
 Plato, ceteriq; Platonici αὐτοζώον, et mundum in-
 telligibilem, et exemplar mundi, ac primum ani-
 mal uocant, est animal istud, ad cuius imaginem fa-
 ctum esse mundū Plato refert. Et ut mundus iste in-
 ferior sensilia omnia animantia complectitur, ita il-
 lud ipsum primū animal intelligibilia: hoc est, ideas
 omnes singularum animantium formarum. Nam si
 totum partes suas præcedit, et in Deo totius mun-
 di est idea, in eodem etiam animantiū omniū ideas
 erunt intelligibiles, et æternæ. Quare cum Deus
 hunc mundū facere uoluit, animaliaq; omnia pro-
 ducere, ideam illam intelligibilem mundi et anima-
 lium secutus est. Eadem autem in Deo una est, quia
 ipse unus est etiam: itemq; tota et ante suas partes
 existēs, quia in Deo cuncta unum sunt, in sensili ue-
 rò natura multa fiunt, ut Plotinus in lib. de idearū
 multitudine docet. Quare mundum istum sensibile,
 cuius partes sunt singulæ animantium formæ, imagi-
 nem illius intelligibilis in Deo siti, qui ideas om-
 nium animalū cõplectitur, Plato esse asserit. quod
 his uerbis confirmans, sic concludit: Volens ita-

dem ad unitatem artificis et exemplaris recurrit, et ex eius unitate (ut Theophrastus Platoni ascribit) unum esse mundum concludit. cui etiam Trismegistus in Asclepio ipse ferè verbis ascribitur, cum corpora omnia, qualitatesque omnes unum quoddam compositum efficere inquit, sicque unum esse mundum omnia corpora, omnesque formas complectentem, unam animam, unumque Deum, à quo virtus infinita emanet. Hoc ipsum confirmat Plotinus in libro de Bono et uno, aliisque in locis, in quibus unam esse omnium essentiam, quamvis diversis ex partibus constitutur, in omnibusque unitatem esse aliquam velut principium et connexionem reliquorum, fatetur. Igitur ut mens una est, unumque genus animalium: ita etiam unus mundus, unusque animans reliqua omnia continens. Atqui haec est Platonis sententia de mundi unitate, breuiter explicata: quae itidem Aristoteles lib. 1. de Caelo, rationibus alijs, eodem tamen sensu tueretur. Quod enim Plato primae causae, exemplarisque unitati tribuit: Aristoteles materiae, totique corporeae naturae assignat. Sed Alexander Aphrodisaeus in illum ipsum Aristotelis locum scribens, Platonem reprehendit, quod mundi unitatem ab exemplaris unitate haud rectè probarit: cum eadem ratione multi esse mundi possem, quando multae sint ideae. Cui tamè Simplicius subtiliter respondens, rectè ait Platonem mundi unitatem probasse, quoniam omnium formarum non solum sublunarium, sed caelestium etiam, una sit solum forma, unumque exemplar: quemadmodum unus homo, unus equus, unaque singularum formarum species est. ita enim sit, ut quantis diuersae sint in mundo rerum formae, una tamen illarum omnium uniuersalis forma sit. His itaque sic declaratis, Platonis uerba exponamus. Unum profecto, si modo ad unius similitudinem sit formatus.) Id est, si exemplar mundi unum est, et ad eius imaginem is est constitutus, uti diximus: igitur unus est mundus. Quam quidem rationem ita confirmat: Quod enim uiuentia omnia, quaecumque intelliguntur, cominet, socium alterum habere non potest: alio qui aliud animal, quod haec duo contineat, esse oportet, cuius duo haec partes sint: nec illorum, sed tertij huius mundus hic simulacrum diceretur.) Hoc est, si animal intelligibile, ac exemplar, quod *αὐτοῦ* nos diximus, in quo uiuentium, id est animantium omnium ideae intelligibiles sunt, unum non esset, sed socium alterum haberet, duoque essent exemplaria: primum iam illud non esset, sed ab alio priori contineri debuisset, atque ita illud prius duo haec exemplaria contineret, mundusque non prioris illius continens imago esset, sed tertij huius ultimi contenti: ex quo fieret, ut plures essent dii, aliisque ab alijs continerentur. Ex quibus omnibus concluditur, unum esse mundum, quando illius exemplar Deus unus est, et non duplex. Atqui huiusmodi ferè ratione usus fuisse Aristoteles uidetur lib. 3. Physic. et 12. Metaphysic. cum unitatem primi motoris, primi que caeli confir-

mat, quoniam in mouentibus ac motis non sit progressus in infinitum, sed necessariò ad primum aliquid, quod omnia contineat, sit deueniendum. Quoniam autem corporeus spectabilisque, et tractabilis erat futurus, ac sine igne uideri nihil potest, nihilque sine solido tangi, solidum absque terra nihil: ideo in operis huius exordio, Deus ignem terramque primò creauit.) Post explicatam mundi originem, unitatemque ipsius confirmatam, ad eius nunc substantiam explicandam sese Plato conuertit. antea enim eternum esse mundum, genitum tamen ad Dei exemplar, atque unum dixit: nunc uerò ipsum sensibilem, et ex qualitatibus compositum esse, docere uult. Quae in re tria sunt, ut Proclus annotat, quae mundo hic tribuuntur à Platone: mens, anima, corpus. ac mens quidem aeterna est, corpus uerò genitum semper: anima demum naturae mediae, hoc est, partim corporea, partimque incorporea. Itaque cum de membris opificio dictum sit haecenus, in his quae sequuntur, de corpore, animaque mundi dicendum est: in primisque de corpore ipso, quomodo mundus corporatus, sensibilis, et ex qualitatibus compositus sit. Quoniam igitur mundum esse factum Plato dixit, quatenus corporeus constructusque partibus est, corpusque omne sensibus comprehenditur: sensibile esse ipsum, corporeumque concludit. nam si corporeus non sit, in sensus cadere non potest: et si minime in sensus cadat, factus non erit. Ex quo fit, ut si factus est mundus, idemque corpore constat, sensu etiam comprehendatur. Quo nomine constitutionem mundani corporis ostendens nobis Plato, qualitates ipsius declarat, easque à sensuum iudicio probat: quoniam sensus qualitarum corporearum indices sunt, qualitates uerò corporeae constitutionem indicant. Ergo ut initio huius sermonis Timaeus mundi substantiam opinabilem, sensibilem, uereque non ens appellauit, ad corpoream naturam magis explicandam: ita quoque corporeum omne, ac sensibile factum esse dicit. *ορατὸν* enim, et *αἰσθητὸν*, uti diximus, pro sensibili capit. Quare huiusmodi sanè axioma, ut Proclus annotat, Plato uiuitur, quo mundum corporeum esse factum probet. Quicquid factum est, in sensum cernendi tangendi que cadit: hoc est, sensibilis corporeaeque naturae est. Hoc ita statuto, corpoream mundi naturam ex uisus tactusque sensu probat esse. Si tangitur, inquit, ac cernitur, constat itidem qualitatibus, quae in sensus illos cadant, proindeque corporeus est. At uerò cur nam cerni, tangi que mundum Plato dicet, ex igne terra que ipsum constare affirmat? Aut si ijs duobus elementis constat, quo nam modo illa mundo sunt insita? Huic profecto questionì cum Proclo, ceterisque Platonis respondentibus, dicimus: sensuum quidem obiecta esse corpora omnia, nullumque corpus nisi à sensu posse comprehendi: ideoque quaecumque in sensus cadant, corporea esse oportere. Atque ita mundum, quoniam cernatur, tangatur, atque adeò sensibus percipitur, corporatum esse. Nam si cernitur, colorem habeat ne-

esse est: si tangitur, est etiam solidus. his autem duobus sensibus corporea omnia esse potissimum deprehendimus, ac mundum qualitatibus ijs compositum intelligimus, quas ijs sensus percipiat. Nam uisus obiectum color est, atq; adeò lucidum omne obiectum: uerò tactus, est soliditas: atq; eo de nomine quæcunque colorata, solidaq; sunt, corporea esse necesse est. At huic sententiæ Theophrastus id obijcit, Num alijs etiam sensibus ad corpoream mundi naturam cognoscendâ utamur? Cui sanè Proclus rectè respondens, uti nos alijs sensibus in mundo cognoscendo negat: quoniam cernimus quidem illum, et tangimus, non autem audimus, odoramus, olfacimus. Igitur, ut Platoni placet, cum mundus his sensibus, uisu et tactu potissimè percipitur, uisusq; obiectum sit ignis, hoc est lucida corpora, et colorata, tactus uerò sit terra, hoc est solida omnia, ex igni et terra constare mundum dicit. Atq; huiusmodi ratione corporatum esse, qualitatibusq; componi illum, probare uult. Plotinus tamen in libro de Cælo, ex igne terraq; factum dici mundum ait, quòd coloratus seu lucidus, ac solidus sit. luciditatem enim et colorem ab ignea natura mundus habet, soliditatem à terra. Nam corpora omnia primò soliditatem, deinde autem colorem habent: hæc siquidem potissima corporum accidentia sunt. Quòd uerò luciditas et color ab igne proueniant, in causa illud est, quòd colores omnes qui uisus obiecta sunt, luminis participes sunt uel maioris, uel minoris: lux uerò ab ignea ui prouenit. Etenim si clarissimus sit splendor, et lux corporis, albus efficitur color: si minus autem, pro ratione adherentis lucis ita color efficitur. Si etiam nulla sit lux corporis, priuatio illius, hoc est niger color fiet. Iam uerò sensus omnes, ut Aristoteles lib. 2. de Anima inquit, corporei cum sint, proprias habent accommodationesq; sibi qualitates: ut uisus ignem, seu pelluciditatem corporis, ut eidè placet, auditus et odoratus aerem, gustus humorem, tactus terram. atq; inde fit, ut quicquid sensibus ijs capimus, aliqua qualitate corporea cõstet. Quamobrè Plato ad ostendendam mundi compositionem ex qualitatibus, duos sensus uisum et tactum extremos, maximeq; distinctos accepit: ut duas itidè extremas qualitates, igneam et terram, quibus cõstat mundus, ostenderet. Quinetiã cum corporeum esse mundum constet, num constat ijs solum duobus elementis igne et terra, an ceteris etiam? Profectò omnibus quatuor. nam ut Alcinoüs de doctrina Platonis scribit, confirmatq; Trismegistus in Asclepio, et Apuleius, mundus ex igne, aere, aqua, terraq; componitur. hæcq; corpora proportionem inter se deuincta, unum quoddam uniuersale corpus constituunt. Plato tamen extrema illa duo, ignem ac terram, sumit: quoniam uisus et tactus, quibus eadem percipiuntur, extremi sensus sunt, ex quibus corporea uis omnis potissimè percipitur: corpora item omnia ex colore soliditatemq; maxime cognoscuntur, quoniam nullum corpus compositum carere ijs

qualitatibus potest. Nam ut Plotinus in eodè libro de Cælo inquit, cum elementa omnia, atq; adeò uniuersa corpora solida esse necesse sit, soliditatem quidem illam à terrea natura habent: cum item omnia lucida colorataq; sint, ut aspectu percipiantur, colorem illum ab igne sortiuntur. Quamobrè hæc satis sint ad corpoream mundi naturam explicandam, quando in sequentibus de qualitatibus elementorum, mixtioneq; ipsorum, latius est dicendum. Sed duo solum absq; tertio quodam commodè coherere non possunt, mediumq; aliquod uinculum utrumq; desiderant. Quando mundum ex quatuor elementis compositum esse diximus, duosq; extrema primò Plato sumpsit, ut ex ijs intermedia componi doceat: nunc mathematicis rationibus, nulla duo extrema sine cõnexionem aliqua colligari posse inquit, necessarioq; medium aliquod quasi uinculum, extrema illa ipsa elementa desiderare. Nam dualitas cum generationi apta sit, coniungi sine uimento non potest: si quidem contraria duo mutuò colligari inter se nequeunt, quin se ipsa prorsus interimant. Quid sit, ut duo extrema sint ignis et terra: ille ut mas, hæc ut femina. utriusq; autem uinculum et cõnexio sit analogia, quam Cicero tum rationem, tum proportionem interpretatur. Hæc tria rei generationem perficiunt, quoniam duo principia per se sine medio cõnecti nullo modo possunt: atq; generatio omnis, ut Proclus ait, à dualitate ad triadem fit, quandoquidem cuncta ternario numero cõstant. Omnia enim auctorem suum, quoad natura potest, imitamur. Et ut in Deo tres sunt persone, unitate coniunctæ: ita in rebus naturalibus tria sunt, materia, forma et cõnexio utriusq;. Quapropter cum duo illa elementa ignis et terra, cõnecti sine uinculo ullo nequirent ad mundi corpus perficiendum, proportionem quædam quasi uinculo cõnexa sunt, ut Plato dicit: sicq; corpus unum constituitur. Vinculorum uerò id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se, et ex ijs quæ astringit, quàm maxime unum efficit: hoc maxime proportio ratioq; alterne comparationis assequitur. Quando contraria duo uinculo quodam, hoc est analogia cõnecti dixit, quid nam eadem sit, iam explicat. Analogiam quidem habitudinem quandam diuersarum rationum, quæ unum quoddam compositum ex ijs faciat, esse definit: indeq; mundum corpus quoddam unum ex diuersis qualitatibus constitutum, probare uult. Analogia autem in omnibus non est, sed in ijs solum quæ sub eandem cadunt rationem: ut quemadmodum hoc ad illud affectum est, ita illud ad hoc uice uersa. Quæ de causa analogiam Euclides lib. 5. sic definit: *ἀνάλογια δὲ ἴσιν, ἢ τῶν λόγων ομοιότης*. hoc est, Analogia uerò est, rationum inter se similitudo. Itaq; res esse eiusdem generis debent, ut in ijs proportio sit aliqua. nec enim inter lineam et punctum est ratio, sed inter lineam et lineam. Quinetiam analogia una est ex diuersis rationibus collecta: non tamen quod

sum

sunt rationes in diuersis terminis, totidem erunt analogie. Quemadmodum 3 ad 5, sic 5 ad 7 affecti sunt: ibi quidem ratio una est ternarij ad quinarium, altera uerò quinarij ad septenarium, sed utriusque rationis habitudo una est, analogiaq; dicitur. Quamobrem in elementis etiam eadem analogia est, quae cuncta connectit, et unum efficit. quemadmodum enim ignis ad aerem, et aer ad aquam, aquaq; ad terram sese habet: ita ediuerso terrae ad aquam, aqua ad aerem, aerq; ad ignem. Ergo communis illa omnium rationum proportio, unum quiddam compositum efficit, quod mundum appellamus. Quando enim in tribus numeris, aut molibus, aut uiribus, medium ita se habet ad postremum, ut primum ad medium, uicissimq; ut postremum cum medio, ita medium cum primo congruit, tunc quod medium est, et primum fit, et postremum. postremum quoq; et primum media fiunt: ita necessitas cogit, ut omnia quae sic deuincta fuerint, eadem inter se sint: eadem uerò cum facta sint, efficiuntur, ut omnia sint unum.) Quibus in rebus sit analogia, uel quo pacto consideretur, in his ostendit Plato. ait enim, in tribus terminis ad minus analogiam omnem semper spectari, eandemq; habitudinem quandam ex omnibus terminorum rationibus ad se inuicem collatis esse, quae unum quiddam ex ijs ipsis constituat. Verum ut nos haec apertius exponamus, quotuplex analogia sit, et in quibus cernatur, dicamus: demceps ad physicam rationem id accommodemus. Tres sunt proportionem, seu medietates magnitudinum, ut Nicomachus in Arithmetica, et Boetius, ceteriq; docent: Arithmetica, Geometrica, et Musica. Arithmetica proportio est, quando aequalis in omnibus terminis excessus seruatur: ut 1 2 3 4 5 6. In ijs sanè omnibus numeris aequalis unitatum est excessus. sequentes enim, priores superant unitate semper. Geometrica est, cum aequalis proportio in omnibus terminis seruatur, siue ea sit dupla, siue tripla, siue alia quaeuis: ut 2 4 8 16. in illis quidè omnibus una et eadem dupla proportio est. Musica demum, quando sic se habet maximus terminus ad minimum, ut differentia maximij et medij, ad differentiam medij et minimij: uelut 3 4 6. Senarius quidem maximus est, ternariumq; superat media sui parte: differentia uerò 6 ad 4, est tertia senarij ipsius pars, hoc est binarius: differentia deniq; 4 ad 3, est quarta pars sui, hoc est unitas. itaq; ut 6 superat 4 binario, et utriusq; discrimen est 2, ita 4 superat 3 unitate, differentiaq; est unum. Ergo differentiae utriusq; dupla est proportio, quemadmodum et 6 ad 3 est eadem dupla. Ex his igitur tribus proportionibus sola Geometrica uerè analogia dicitur, si Proclo et Psello credimus: ceterae uerò potius medietates appellari debent, siquidè illa unam et eandem proportionem in omnibus terminis efficit. Quae proportionis unio ad mundi unitatem explicandam accommodatissima est. Haec demum tres

proportionum formas in ijs uerbis Plato intelligit:

Quando enim in tribus molibus, aut numeris, aut uiribus mediū ita se habet ad postremū.) Nam per moles, siue ὄγκος, Geometricam analogiam indicat, quae coniunctarum magnitudinum propria est: per numeros Arithmetica, quae numeris tribuitur: per uires, siue δυνάμεις, Musicam, quae in graui, acuto, alijsq; eiusmodi tonis cernitur. Iam uerò, cū quotuplex analogia sit, dixerimus, quibus nam in rebus, aut quomodo spectetur, dicatur. Analogia omnis, ut Euclides lib. 5. docet, in tribus saltem terminis cernitur. nam si sit in pluribus, quatenus relatio inter tres sit, consideratur. Quod ipsum Plato nobis ostendens, inter tres (inquit) magnitudines siue coniunctas, siue deuinctas, siue sonoras, analogiam omnem inueniri, ita ut eodem modo affectus sit prior terminus ad secundum, et secundus ad tertium, quo tertius ad secundum, ac secundus ad primum. haec enim singulorum trium communis habitudo, unam edit proportionem. Sed nos haec demonstratione quadam clarius exponamus, ut Platonis uerba melius declaremur. Sint hi numeri inter se dupla proportionem connexi, 3 6 12. ex his rationes omnes, quaecunq; sunt, colligamus. Quemadmodum 3 ad 6 est affectus, ita 6 ad 12. haec est prima ratio. Item ordine retrogrado, quemadmodum 12 ad 6, ita 6 ad 3. haec est secunda ratio: in utraq; autem primus numerus, et ultimus, tum primi, tum ultimi sunt. primus quidem sit 3, quando ab illo rationem colligere incipimus, desinimusq; in 12. idem autem 12 sit ultimus. Postremus idem sit ille 3, quando uiceuersa ab illo 12 incipimus, desinimusq; in 3. Hac igitur ratione uterq; numerus extremus diuersis cōparationibus tum primus, tum ultimus sit. Quinetiā 6, qui intermedius est, ad utrumque extremum collatus, primus et ultimus fit, hoc modo: Sicut se habet 6 ad 3, ita idem 6 ad 12. Ecce in ea collatione duo extrema medij iam fiunt, medius uerò 6 fit primus et ultimus: primus, quando rationis initium ab illo sumimus ad extremos: ultimus, quando ab extremorum alterutro in illum terminamus rationes. Atqui hanc Plato rationum collationem analogiam uocat, eandemq; unam esse dicit in ijs uerbis, quae supra retulimus. Age uerò rationem physicam, et mundi constitutioni accommodatam ex eadem analogia doceamus. Mundum esse unum, et ex quatuor qualitatibus proportionem quadam compositum, non modo Plato, sed alij quoq; multi affirmant. Proportio uerò illa qualitates ipsas complectens, ac sub mundi unitate continens, anima mundi est, ut Plotinus in lib. de Caelo, Proclusq; testatur. eadem enim corpus tuetur ac retinet, ne pars aliqua effluat, ingruat ue, qua mundus eruatur. Item numeri, terminiq; in quibus proportio illa cernitur, qualitates elementorum, formaeq; rerum corporearum, rationes demum inter numeros eosdem diuerso modo collectae, qualitatum communionem significat. Ignis enim, quatenus ta-

et percipitur, cum terra conuenit: terra cum igne, quatenus colorata est, ac in sensum cernendi cadit: quatenus autē eadem illa humoris, frigiditatisq; aliquid admixtum habet, cum aere aquaq; conuenit. Itaque fit, ut quamuis singula elementa proprias habeant, peculiareq; qualitates, tamen in unoquoque ipsorum permixtę sint aliorum qualitates, quibus cum conueniunt: quemadmodum Plotinus idem testatur.

Quod si uniuersi corpus latitudinem habere debuisset, nullam uerò profunditatē, unum sanē tum ad seipsum, tum ad extrema uincienda interiectum medium suffecisset. Sed cum soliditatem mundus requireret, solida uerò non uno, sed duobus semper medijs copulenter, inter ignem & terram Deus aërem aquamq; locauit, eaq; ita inter se inuicem, quoad fieri poterat, compa-
rauit, ut quemadmodum ignis ad aërem, ita aer ad aquam: ut aer ad aquā, sic aqua ad terram congruē cōferatur.

Quomodo mundus constructus ex quatuor qualitatibus sit, in his Plato nobis ostendit, simulq; connexionem elementorum declarat. Siquidem tractationis huius finis est, mundi ortum exponere, quo pacto genitus sit, quod ad eius corporcam naturam attinet, cū alioqui eternus à Platone dicatur. Ideo coniugationem elementorum inter se Plato declarans, geometricis demonstrationibus id probat. Nā cum unum esse elementum duntaxat non possit, quē admodum lib. 1. de Elementis Galenus docet, principiāq; rerum contraria sint, necesse est contrariarum qualitatū coniugationem aliquam fieri. Quam quidem rem ut apertius nos exponamus, primò cur Mathematicis demonstrationibus ad mundi ortum, rerumq; naturalium generationem explicandam utatur, aperiamus: deinde, ipsas demonstrationes huius loci interpretationi accommodatas, subiiciemus: postremò elementorum connexionem illis demonstrationibus respondentem, explicabimus. Magnam esse Physicę cum Mathematicis consensionē, non solum Plato ubiq; docet, sed Aristoteles etiam, aliq; philosophi. Ambo enim illi in plerisq; tractationibus Mathematicorum demonstrationibus utuntur: et subiectum utriusq; facultatis id ipsum magis declarat, quando hoc differt Physicus à Mathematico, ut Aristot. lib. 2. Physic. tradit, quòd ille corporis naturalis essentiam, accidentia, constitutionemq; considerat, hic magnitudines à corpore separatas: sed ambo circa idem subiectū uersantur, quamuis diuersum sequamur finem. Quo nomine Plato, utpote Mathematicarum peritissimus, in naturalibus tractationibus Mathematicas demonstrationes affert, tum ut firmiorem rei propositę fidem

faciat, tum ut magnam utriusq; discipline communionem declaret. Quod sanē cum in locis alijs, tum maxime in hoc loco facit, ut ex ijs quę sequuntur, apparet. Sed ut demonstrationes iam proponamus, et ex Geometrie preceptionibus desumptas huius loco accommodemus, illud nunc explicandum uidetur, quomodo duo corpora solida non uno, sed duobus uinculis colligari dicat, duo uerò plana unico tantum uinculo contenta esse. Ergo ut rem alius repetam, magnitudo omnis cum una eademq; sit, ratione tamē distinguitur: alteraq; coniuncta est, quę in re aliqua coniuncta cernitur, ut linea, superficies: altera diuincta, quę in re diuisa spectatur, ut numerus. Sed tamen numeri quamuis diuinctę magnitudinis per se sim, similitudine quadam cōiuncti dicuntur: proindeq; lineares, plani, solidiq; etiam sunt. Nam cum naturali ordine ab unitate in multitudinem disponuntur numeri, lineares dicuntur, ut 1 2 3 4 5 6. quoniam ut à puncto in infinitum linea produci potest: ita ab unitate, quę puncti rationem habet, in infinitum numerum multitudo potest congeri. Iam uerò et plani sunt numeri, quemadmodum et plana corpora, si in se ducantur: uelut si 6 in 3 ductus efficiat 18. tunc enim linearis numerus in se ductus, superficiē efficit. Eadem quoq; ratione numeri solidi sunt, ijsq; omnium figurarum: ut pyramides, quadrati, cubi, triangulares, eiusmodiq; alij, de quibus prolixius Nicomachus, et Boetius. His ita uelut fundamentis iactis, plana corpora, ut numeri plani, sunt, quicunq; longitudinem, latitudinemq; solum habent, quemadmodū Euclides definit. Eadem quoque plana, quę triangula dicuntur à Gręcis, unum duntaxat medium habere dicuntur, quia duo solum interualla habent: nec enim in planis corporibus differentię plures sunt, quàm duę, antē, ponē, uel dextrorsum et sinistrorsum. Inter duo itaq; interualla una tantū medietas, connexioq; est. At uerò in solidis corporib. quoniam præter superficiem, crassities est etiam, non modò duo illa interualla, sed tertium etiam aliud, quod crassitiei sit proprium, interūt. Igitur duorum solidorum duo sunt interualla, quia unumquodq; ipsorū tria quoq; habet, duo quidem propria, tertium uerò commune alterutri. Sed hæc nos demonstrationibus apertius explicemus. In planis corporibus unam esse solum medietatem, sic apparebit. Sint hi duo numeri quadrati, planiq; 4 et 9. ij enim, quia quatuor equalia latera habent in longitudine ac latitudine, quadrati sunt. Horum unū esse medium duntaxat, siue mediam proportionem utriusq; unam esse dicimus: nimirum 6. nam 4 ad 6 eandem habet proportionem, quam 6 ad 9, hoc est sesquialteram: ergo cōmunis utriusq; quadrati medius est 6, alius uerò minimē. si enim 7 sit medius, erit inæqualis in utroq; extremorum proportio: siquidem 4 ad 7 sesquiter tiam habebit proportionem, 7 uerò ad 9 sesquialteram. Ex quo fit, ut duorum planorum unica tantum sit me-

fit medietas, quae utrumque extremum connectat. Sed ad inueniendam duorum planorum quadratorum medietatem utriusque communem, latera illorum multiplicanda in se mutuo sunt, productusque ex ijs numerus communis erit medietas: ut quaternarius latus est 2, nouenarius uero 3. Quod si 2 in 3 ducas, proueniet 6, commune utriusque medium. In quo tamen numerum illum medium continere proportionis esse oportet, alioqui communis non erit. Hinc igitur Platonium illud theorema, Plana omnia unico tantum medio contenta sunt, demonstratum esse patet. cuius demonstrationis principium ex Euclide lib. 8. Prop. 18 pendet, in qua ille sic ait: *Δύο ὁμοίων ἐπιπλάτων ἀριθμοῦν, εἰς μέσους ἀνέλκοντες ἐστὶν ἀριθμὸς, καὶ ὁ ἐπιπλάτων πρὸς ἐπιπλάτων διπλασίονα λόγος ἔχει, ἢ πρὸς ὁμόλογον πλὴν ὅτι πρὸς τὸν ὁμόλογον πλὴν ὅτι*. Quae quidem demonstratione geometrica figura, ut facit Chalcidius, hoc loco docere longum est: ideoque nunc omittatur, cum numeris illud explicatum iam satis sit. Praeterea duo solida corpora duob. medijs colligari, hinc potest demonstrari. Sint duo numeri cubi, 8 et 27. Iidem autem cubi dicuntur, quia superficie crassitieque constant, solidique sunt. illorum itaque duorum duo esse media dicimus, 12 et 18. eandem enim rationem habet 8 ad 12, quam 18 ad 27: hoc est, sesquialteram. Etenim sumatur latus octonarii 2, et latus illius 27, nimirum 3. ex his enim lateribus in se multiplicatis, duo illi cubi fiunt: ex binario nimirum quater multiplicato 8, et ex 3 nouies in se ducto 27. Quod si ergo duo illa latera utriusque cubi mutuo in se bis ducas, duae medietates prouenient. Nam bis 3 efficiet 6. atque iterum bis 6 multiplicatus faciet 12, qui ad 8 sesquialter, et continuae proportionis est. Eodem item modo alterum medium sic produces. Duc 3 in 2 semel, efficiet 6. iterumque duc 6 in idem 3, emanabunt 18, qui etiam proportionem eandem habet cum 27. Ergo utriusque cubi latera in se mutuo bis multiplicata ordine commutato, medietates duas producent, quae non modo continuae proportionis cum extremis cubis sunt, sed solidae etiam, et cubi. si quidem ex planis plana solum corpora, et ex solidis solida fiunt, ut Euclides lib. 8 demonstrat. Quamobrem haec erit solidorum illorum numerorum proportio et communis medietas, 8 12 18 27. quam ex lib. 8. Euclidis, Prop. 19. demonstrare facile est, in qua sic ille: *Δύο ὁμοίων στερεῶν, δύο μέσους ἀνέλκοντες ἐπιπλάτων ἀριθμοῦν, καὶ ὁ στερεὸς πρὸς τὸν ὁμοίον στερεὸν τριπλασίονα λόγος ἔχει, ἢ πρὸς ὁμόλογον πλὴν ὅτι πρὸς τὸν ὁμόλογον πλὴν ὅτι*. Sed aduertendum quidem est, non loqui hic Platonem de planis quibusque, uel de solidis etiam: sed de ijs solum quae habeant eandem proportionem, eamque continuam, ut Proclus explicat, et ex Euclide patet. nam Democritus in quatuor lineis duo media demonstrabat, quae tamē demonstratio ad hunc locum minime pertinebat. Atqui haec ultima solidorum corporum demonstratio mundo et eius partibus conuenit, quia

non planus est is, ut Plato dicit, sed solidus, ac rotundus, omniaque corpora eiusmodi trimam habet dimensionem. Vnde cum duobus medijs constare mundum propter soliditatem dicit, rotundae figurae interualla considera, quae duo sunt, unum in superficie, alterum in profunditate. Ex quo fit, ut cum mundus sit rotundus, atque etiam elementa superiori quidem parte illa, id est superficie contingant sese mutuo, superiora nimirum cum inferioribus, profunditate uero inferiora contingant: ut ignis superficie superiori contiguus est caelo lune, inferiori autem aere contingit, eodemque modo reliqua elementa. His igitur demonstratis, physicam harum proportionum, medietatumque rationem doceamus. Cum superius duo elementa ignem ac terram Plato posuerit, mediaque alia interiecta totum mundum corporeum efficere dixerit, hac nunc demonstratione id ipsum declarat. Duo sunt solida corpora, ignis et terra. sunt enim extrema, propter magnam naturae diuersitatem: solida uero, quia corpora omnia mundi trimae constant dimensione, solidaque sunt, ut Plotinus in lib. de Caelo docet. Inter illa igitur duo extrema, esse duo alia media dicimus, cum Platone, aere et aqua, quae eandem habent proportionem et inter se ipsa, et ad extrema sua. Nam ut ignis ad aerem, aer uero ad aquam, aqua ad terram sese habent, ita uiceuersa terra ad aquam, aqua ad aerem, aerque ad ignem. Et ut Macrobius lib. 1. in Som. Scip. ait, quaternarius numerus duas medietates primus omnium sortitur, ijsque totum corpus deumctum stabilitur, firmumque est. ideoque Pythagorici in quaternario plenitudinem, tum mundi, tum animi ponebant. indeque quatuor uidemus elementa, quatuor qualitates, quatuor humores, quatuor corporum constitutiones, quatuor denique anni tempora. Ex quo intelligitur quaternarii perfectio. Igitur quatuor elementa eo sunt inter se uinculo connexa, ut unum mundi corpus constituant, propter qualitatum inter se rationem. singula enim binas habent qualitates, quarum alteram quidem cum altero communem habent, alteram uero repugnantem: ut terra cum aqua conuenit frigiditate, repugnat siccitate: aqua item cum aere consensit humore, diffemuitque frigiditate: aer denique cum igne communem habet calorem, contrariam uero siccitatem. Atque eandem etiam rationem uiceuersa ab igne ad terram peruenientes demonstrare possumus. Ceterum ut ipsam demonstrationem Mathematicam apertius in elementorum connexionem declaremus, eorundem qualitates prius exponamus. cum magnam esse Mathematicam cum Physica communionem dixerimus, Platoque semper naturalia Mathematicis demonstraret, quaternarii numeri soliditate mundi constitutionem in his nobis ostendit: et cum res omnes corporeae numero, pondere, ac mensura constent, his Mathematicorum terminos comparat. Nam per solida, mixtorum corporum qualitates, naturalesque uires significat: per plana, substantiales

tiales rerum formas: per mensuras, corporū illorū magnitudines ijs formis accommodatas. Atq; inde fit, ut cū duo plana unico solū medio cōnecti dicit, duas formas substantiales unico medio formali cōtemas esse intelligat. Cum aut duo solida duob. medijs ligari inquit, duo naturalia cōposita duobus medijs cōnecti, uno quidē formali, altero materiali significat: si quidē elementa per formales qualitates mutuō inter se cōnectūtur. Hęc cum ita sint, per solidorū corporum medietates, cōmunes elementorū qualitates nobis ostendit Plato. elementa enim solida corpora sunt, hoc est, ex forma materiaq; cōposita: qualitates uerō, ut plani numeri uel superficies sunt. Igitur cū alij duas unicuiq; elementorū qualitates tribuāt, ut igni calorem et siccitatem, aeri calorem et humorem, aque humorem et frigiditatem, terre frigiditatem et siccitatem, quorū ē numero fuit Aristoteles: alij unicam solum qualitatem, ut igni calorem, aeri frigiditatem,

tem, aque humiditatem, terre frigiditatem: Plato quidem sub Timæi persona, quemadmodū Proclus explicat, triplicem unicuiq; elemēto qualitatem tribuit: atq; earum unamquamq; à substantia, uirtute actioneq; ipsorū sumit. Itaq; igni subtilitatem, acumen, mobilitatemq; tribuit: aeri subtilitatem, obtusitatem, ac mobilitatem: aque crassitatem, obtusitatem et mobilitatem: terre crassitatem, obtusitatem, immobilitatem. Hoc igitur modo singula elemēta tribus his cōstare qualitatibus. Proclus refert, et earundē duas esse cuiq; cōmunes cum alijs dicit, unā uerō ipsi propriā. Nam ut solida omnia corpora trimā habent dimensionem, ita etiā elementa tres habent qualitates. duas uerō solū habere non posse, tum ex eorum actione, tum ex natura probat. Sed harū nos qualitatum coniugationes in elemētis demonstremus huiusmodi figura, in qua ignis et terra quasi duo extrema sint, media uerō aer et aqua, quorū coniugationes simul explicabūtur.

	ab essentia	à uirtute	ab Actione
Ignis	Subtilis	acutus	mobilis.
Aer	subtilis	obtusus	mobilis.
Aqua	crassa	obtusa	mobilis.
Terra	crassa	obtusa	immobilis.

Ecce igitur, ignis ac terra qualitates omnino contrarie sunt. nam ignis subtilis, acutus, et mobilis: ex diametro aduersatur terre, crasse, obtuse, ac immobili. sed aer tamen et aqua medie inter illos nature sunt, cum unoq; conueniunt qualitate aliqua, ab alteroq; differunt. Nam aer cum igne cōuenit subtilitate ac mobilitate, differt obtusitate: aqua etiā cum terra crassitie obtusitateq; conuenit, mobilitate differt. Ergo extrema qualitates singulorū communes cum alijs extremis sunt, medie uerō differētes. Atqui ex hac elementorum dispositione proportionem, medietatesq; inuenire poteris: siquidem eandem qualitatum cōsensionem ignis ad aerem habet, quam aqua ad terram: in eaq; per duas illas habitudines medietates binas intelligat. Eodemq; modo, si rationum cōparationem ab intermedijs duobus in extrema deducas, totidem duas rationes medietatesq; inuenies. Nam ut aer ad ignem, ita aqua ad terram sese habet. sic enim tota elementorum series mutuis collationibus annectitur, unumq; corpus efficit. Hęc igitur hactenus ad Platonis sensum explicandū satis sint, omīssis alijs Procli, Iamblichī, Chalcidij, ceterorumq; Platoniorū interpretationibus longissimis. Interim tamen Plotinus circa hanc Platonis sententiam inquit in lib. de Cælo, num in naturalibus etiam ratio ea Mathematicorum ualeat, inter duo extrema solidorū rationem habētia, duo itidem media interponi debere? quando aquam terre sine medio aliquo misceri uidemus? Cui obiectioni respondens idem ipse, ait, elementa quidem proprias suas qualitates retinere, quod ad eorum natu-

ram attinet: interim tamen unumquodq; ipsorum particeps alterius qualitatis esse, ut sui sensum hominibus pariat, percipiūq; possit. Nam ignis, quatenus tangitur, soliditatem à terra mutuatur: terra etiam, quatenus cernitur, ab igne lucem accipit: omnia denum elementa impura sunt, aliorumq; qualitatum admixta, quemadmodū et Aristoteles alijsq; affirmant. Quæ cum ita sint, recte quidem Plato, ad ostendendam mundani corporis unitatem, elementorumq; connexionem, qualitates inter se colligari sub proportionum medietatibus indicauit, trimamq; unicuiq; elemēto magnitudinem tribuit: quoniam corpora omnia non solum simplicia, sed composita etiam, tres habeant interuallorum differentias, longitudinem, latitudinem, et crassitatem. Cui sententiæ Aristoteles lib. 1. de Cælo assētitur, cum tres solum corporum omnium dimensiones esse, nullumq; corpus solidum ijs tribus carere dicit: siquidem ternarius cōpositionis perfectionē obtinet, quem itidē quamuis diuersa ratione cælo, elemētisq; tribuit.

Qua ex coniunctione ita constitutus est mūdus, ut aspici tangiq; possit. Propterea ex huiusmodi rebus numero quatuor, mundi corpus conflatum est, ea connexum comparatione qua dixi. Ex quo seipsum amicitia concordi complectitur, atq; ita apte cohæret, ut nequeat dissolui ullo modo, nisi ab eodem à quo est colligatum. Quatuor igitur earum rerū quamlibet integrā mundus

mūdus accepit. Ex omni quippe igni, aere, aqua, terra, ipsius faber ita ipsum composuit, ut nullam cuiusquam istorum partem aut uim extrā relinqueret. Idq̃ ea ratione fecit, primum quidem, ut totū hoc animal quā maximē perfectum ex perfectis partibus esset: deinde ut esset unum, cum nihil extrā relictum fuerit, ex quo alterum generetur. Postremò, ne quis ipsum morbus aut senectus attingeret. Videbat enim eā esse naturam corporis, ut importuna caloris uel frigoris aliarumq̃ rerū nimis uehementium accessione lædatur, & in morbos seniuq̃ impulsus deficiat. Quam ob causam rationemq̃ unum totum ex omnibus totis & perfectis perfectum, morbi & senectutis exper-

tribuant. nam Saturnum frigidū ac siccū, Martem calidū & siccū, Iouem calidū & humidū esse, reliqua demum sidera proprias quasdam qualitates uires obtinere dicunt. Hinc etiam Pythagorici, ut Proclus Macrobiusq̃ referunt, in cœlo elementa ratione quadam ponebant, ante solem quidem uno modo, post ipsum uerò alio. nam Lunam terrā cœlestem, quod humida, frigida, & opaca sit, appellabant: Mercurium aquam, Venerem aerem, Solem ignem. Atq; hoc sanè post solem: ante ipsum autem, Martem uocabant ignem, Iouem aerem, Saturnum aquam, firmamentum seu ἀνὰ τὴν τὴν γῆν. Quæ nō immeritò cœlestibus sideribus tribuebantur, quando similes earum qualitates ab ijs infundi, experientia doceat. Eandem ob causam Alcumistæ unicuiq; siderum metallum aliquod assignant: ut Lunæ argentum, Saturno plumbum, Ioui stannum, Marti ferrū, Veneri æs, Mercurio argenti uiuum, Soli; aurū. Ex quibus omnibus, diuersam nō esse cœli naturā ab inferioribus qualitatibus, constat. Sed si quæras, ecquæ nam Platonis sententia uera sit? dicam cum Proclo, ceterisq̃ Platonici: igneæ naturæ cœlū ab eo dici, ita ut ignis ille purissimus, diuersusq̃; ab inferiori isto sit, quatenus summam formæ perfectionem habet: lucidumq̃; omnino, & aspectabile sit. nam ut ignis splendor, in idea artificis est: ita in cœlo positus uisibilis fit, inferioremq̃; mundum illustrat. Cui seminiæ, Numenius, Plotinusq̃; in lib. de Cœlo assemitur. ait enim hic, idcirco à Platone dici mundū siue cœlum ex igne terrāq̃; componi, quod multum habeat igneæ naturæ. uidemus siquidem magnā stellarum cœliq̃; lucem emicare, quæ ex ignea natura prouenit. Hæc ipsam seminiā prior omnibus Trismegistus in Pimandro habuit, his uerbis: Deus autē uerbo suo sancto, intellectuāli, & artifice inelamauit, Esto sol: simulq̃; dicto, ignis qui naturæ sublimi coherbat, dico nimirū purum sincerumq̃; illud, & luminosum, efficacius & fecundius natura suo ipsius spiritu attraxit, & in altum ex aqua sustulit. In quibus cum de sole loquitur, igneæ naturæ illum esse dicit. Postremò Aristoteles, ut Plutarchus lib. 2. de Placit. philos. testatur, cœlū esse igneæ naturæ dixit, non quidem in his libris qui nunc extant, sed in alijs qui fortè interierunt. sic enim Plutarchus de illo refert: ἀριστοτέλης ἐν πέμπτῳ σώματος πύρρος, ὃ ἐν θεοῦ καὶ ψυχῶν φύσεως. Sed tamē ut Platonis Aristotelisq̃; seminiā planè cōseruientem exponamus, quid de cœli essentia Aristoteles iudicabit, quā breuissimè proponatur. Aristoteles lib. 1. de Cœlo, alijsq̃; locis, cœlū quintam quandā naturam ab elementis diuersam, ingenitā, nullis mutatio- nibus obnoxia, sed eodem semper modo permanentē esse dixit. Ex quo aliqui ineptè interpretantur, differre ipsum à Platone: quoniā ex quatuor elementis cōpositū esse mundū Plato dixerit, Aristoteles uerò minimè. quorū sanè sententiæ non modò inter se nō differre, sed easdē prorsus esse, probabimus. Primò

Ex mutua elementorum connexione constitutum esse mundum, unumq̃; effectum, Plato in his dicit: in quo non tantum mundi constitutionem declarare nobis uult, sed eius etiam essentiam. Quæ de causa cum duplicem esse mundi regionem, alteram elementarem, alteram cœlestē, Aristoteles in Meteoris dicat, dubium est, an utraq̃; regio eiusdem naturæ sit, nec ne: aut si sit, qualis nam eadem sit. Quæ ut nos distinctè declaremus, ueram Platonis, Aristotelisq̃; ea in re sententiam subiiciamus. Vniuersum mundū non solum cœlestem, sed elementarem etiam, ex quatuor elementis compositum, Pythagorici ac Platonici omnes affirmant, ac de inferiori quidem parte, quæ sub luna est, nemo est qui dubitet: quando sensibus percipitur, experimenq̃; id cōpertū est. Cœlum autem ex iisdem elementis compositum esse, sic probant Platonici. Primò, quod in mundi artifice Deo elementorum idæ sint, in mundo uerò sensibili formæ eorūdem substantiales. Deinde, quod uniuersi eadem materia est, quanuis diuersæ sint partiū eius formæ. Tum in cœlo ipso elementorum omnes qualitates non mixtæ, sed perfectæ sunt. & cœlestis quidem ignis, quo ipsum constat, essentia idem est cum inferiori isto: differt tamē, quod is nullo alimēto indiget, uelut iste: quodq̃; gignit potius, quā corrūpit. Iam uerò & sic argumētantur, dum qualitates elementorū in cœlo esse probant: Si cœlum, inquit, uirtutem aliquam inferioribus corporibus infundit, illaq̃; regit, regere influereq̃; aliquid non potest, si uiribus elementorū caruerit: atqui magnam uidemus è cœlo uim corporibus inferioribus impertiri: ergo & elementorum uirtutes cœlum habet. Si enim non haberet, nullam uim habere posset: cum nihil ex eo præstet, quo ipsum careat. Atque huic seminiæ Astrologorū rationes astipulamur, qui stellis similes inferiorum corporum qualitates

quidem

quidem Plato (ut Diogenes Laertius in eius uita, & Alcizous, docens) constare cælum ex quatuor qualitatibus dixit, hac ratione, quod quatenus aspestabile est, igneæ naturæ dicatur: quatenus uerò solidum, ex terra. Quatenus itaq; soliditas, colorq; lucidus connectuntur, ex aere, aquaq; quasi uinculis cõstituantur. Atqui hanc sententiã Platoni eidẽ tribuunt Plotinus, Proclus, & Simplicius. Quod cum ita sit, cælum quintam esse quandã essentiam ab elementis diuersam, illorum tamen uirtutes in se habentem, Plato manifestè dixit cum Aristotele: quẽadmodum Simplicius lib. 1. Comment. in lib. illius de Cælo multis argumentis confirmat. Quin potius in Commentarijs Proclus, Aristotelẽ inquit à Platone id accepisse, ut cælum quintam naturã uocaret: cum Plato prius quintum elementum illud nominasset. Sic enim refert de Aristotele: καλεῖται καὶ τὸν ὕμνον πέμπτον ὁσίαν. τί γὰρ διαφέρει, πέμπτος οὐ καὶ πέμπτος, ὁ πέμπτος λόγος, καὶ ὅτι πέμπτος, ὡς ὁ πλάτων ἐκάλει; Quod etiam ipsemet Plato

his uerbis confirmat: Qua ex coniunctione ita constructus est mundus, ut aspici, tangiq; possit.) Hoc est, ex quatuor quidem elementis constitutum esse mundũ, unumq; factũ, ratione illa, quam diximus, cõstat. tangitur enim, nõ quod terreus sit, sed quia solidus: cernitur uerò, quia lucidus, non quod igneus uerè sit. Ex quo seipsum amicitia concordi complectitur, atque ita aptè coheret, ut nequeat dissolui ullo modo, nisi ab eodem, à quo est colligatum.) Explicata in uniuersum mundi constitutione, singula Platonis uerba, quæ difficultatis aliquid habent, explicentur. Constitutis iam quatuor elementis, & analogia quadam connexis, unum esse mundum factum, cõcordi amicitie uinculo constructum, ita ut dissolui nisi ab artifice Deo non possit, Plato ijs uerbis dicit. In quibus considerandum est, mundi ortum (ut Proclus & Macrobius aiunt) ab unitate ad quaternitatem prouenire. nam si totum mundum æternum & indissolubile resolueret in simplicissimas partes cogitatione uelimus, eiusq; ortum doctrinæ gratia cum Platone explicare, inuenimus quidem, quaternarium elementorũ numerum mundi constituendi principium esse, ipsaq; quatuor elementa proportionem qualitatum inter se deuincta, unum quoddam corpus efficere. Quare proportio qualitatum unitatem mundi efficit, unitas amicitia & concordia. neq; enim aliud per amicitiam illam à Platone hic dictam intelligere oportet, quàm sympathiam omnium mundi partium, ex analogia elementorum prouenientem. Vnde fit, ut in mixtis cor-

uenire inde dixit. quod etiam Plin. lib. 2. alijsq; locis exprimens, sympathiam, & antipathiam in rebus naturalibus ponit, ad illaq; rerum causas reducit, ex Empedoclis sententia, qui concordiam & discordiam, naturalium rerum principia statuebat. At uerò, cur nam idem mundum indissolubilem esse inquit, ab eius autem artifice Deo dissolui posse? Certe si Plotino, Procloq; credimus, hoc modo mundus dissolui potest, nec tamẽ dissoluetur aut à se, aut ab eius artifice. Primò, quicquid corrumpitur, uel ex sua natura corrumpitur, uel ab alio: atqui mundus ex sua natura non potest: igitur ab alio potest duntaxat. Quod autem ex se dissolui nequeat, hinc liquet, quia cæli forma præstantissima est, materiamq; suam superat, ita ut immutari non ualeat. Nam cum materia formam superat, res corrumpitur: cum uerò præstantior est forma, quam ut possit immutari, perpetuò inheret. Idcirco cælum, quoniam præstantissima constat forma, mutari ex se nequit: quinimò anima illius ipsummet corpus uniuersum semper cõtimet, nihilq; aliunde ingruere, excedere uel ab eius substantia, quò ipsum intereat, permittit. Igitur cum ex natura sua mundus interire, tum propter corporis naturã, tum ob animæ uim nequeat: restat, ut ab eius artifice dissolui solum possit. At nec ab hoc etiã dissoluetur mundus: nam si eius dissolutio malũ est, (à forma enim ad priuationem tendit) atq; opifex nullius mali est autor, ergo nullo modo artifex mundũ dissoluet. si enim dissoluat, mali auctor iam esset: quod ab eius natura est alienũ. Quare his, alijsq; rationibus huiusmodi, mundi durationem Platonici cõfirmant. Quod uerò Plato inquit, à nemine dissolui posse mundum, præterquam ab eo, à quo est factus, quando eius uoluntate æternus est: ita Proclus interpretatur, ut artificis uim in ijs declaret. nam si qui rem cõstruit, potest eam erueret, si uelit: Deus etiã, qui mundũ fabricatus est, eundẽ dissoluere poterit, dum uoluerit. Ex quo intelligitur, mudũ ab alia causa priori, præstantiori: contineri, quæ ipsam effecerit, dissolueretq; possit. Nec tamẽ ita putes, causam illam mundum uelle erueret, ut aliquando eruat: sic enim æternus non esset: sed quod ad mundi naturam, utpote compositã, attinet, id ipsum dici. Deus enim artifex, minime quidem erit mali, hoc est dissolutionis, auctor: nec modò hoc, modò illud uolet, sed idem semper. Quatuor igitur earum rerum quamlibet integram mundus accepit: ex omni quippe igni, aere, aqua, terra, ipsius faber ita ipsum composuit, ut nullum cuiusq; istorum partem, aut uim extrã relinqueret.) Mundus cum ex quatuor elementis compositus quodammodo à Platone dictus fuerit, unusq; ac uniuersus sit, nihil extra se positũ habet, sed in se cuncta complectitur: alioqui uniuersitas non esset. nam si quid esset, alius fortasse mundus extra illum foret, eodemq; modo plures essent mundi: quod Plato in superioribus, & Aristoteles lib. 1. de Cælo, negat. Quæ de causa ex uniuersa, in-

quæ

quit Plato, elementorū natura mundum Deus fecit, nihilq; extra reliquit, quo perfectior esset. nā si quid esset extra relictū, perfectus nō esset: et ex parte illa relictā mundū aliū fieri posse, facile quis affirmaret: ideoq; istum interire, cum pars aliqua effluere ex eo posset. Ex quibus omnibus perspicuū est, mundum uniuersum esse, uniuersaq; completū, totaq; corporea substantia constare. Atqui hec ipsa Platonis uerba lib. 1. de Caelo Aristoteles hoc modo transcripsit, cum nullum extra mundum corpus relictum esse di- 10 cat: *φανερὸν τοίνυν ἐν τῷ εἰρημένῳ, ὅτι πτεῖ ἐστὶν ἔσω, ὅτι ἐγγὺς ἔστι γονιῶν σώματος ὁ γονὺς ἄλλος, ἐξ αἰσῶντος γὰρ ἐστὶ τῆς οὐκείας ὅλης ὁ πᾶς κόσμος. ὅλη γὰρ ἐν αὐτῷ τὸ φυσικὸν σῶμα, καὶ αὐδατόν. ὥστε πτεῖ τὸν εἰς πλείους ὕφαντοι, ὅτι ἐγόνοντο, ὅτι οὐδέχεται γονιῶν πλείους, ἀλλὰ εἰς καὶ μόνος καὶ τέλειος ὅτος ὁ ὕφαντος ἐστὶν.* Hoc ipsum Trismegistus in Asclepio cōfirmans, mundana omnia intra mundum contineri, nihilq; extrinsecus relictum esse inquit. At si quaeras, quid nam extra mundum sit? Cum Ari- 20 stotele lib. 1. de Caelo, ac 12. Metaphysic. responde- re possum, neq; corpus, neq; locum, neque uacuum, neq; tempus, sed eternitatem, diuinitatemq; maxi- mam. Idq; ea ratione fecit, primum quidem ut to- tum hoc animal quāmaximē perfectum ex perfe- ctis partibus esset: deinde ut esset unum, cum nihil extra relictum fuerit, ex quo alterum generetur.) Cum nihil extra mundum relictum esse Plato dixe- rit, causas nunc reddit, cur id ita sit. Eadem autem, ut Proclus annotat, tres sunt: unitas, eternitas, et 30 perfectio. quae omnes ita sunt in mundo coniunctae, ut neutra earum desit. Nam si perfectum est id, cui nihil deest in suo genere: ac mundū perfectum esse, atq; ad perfecti imaginem factum dicimus: nihil ex eius natura deerit. proindeq; cuncta in se, extra ue- rō nihil habebit. Quod si uerō extra ipsum esse ali- quid dicamus, unus iam non esset, sed multiplex: quando materia extra mundum posita, nuda esse nō posset, sed in alio quoquam mundo esset. Ex quo fie- ret, ut unum non esset exemplar. Item quia nihil ex- 40 tra mundus habet, uniuersus est, et eternus: quan- doquidem à nullo alio corpore dirui potest. nam si quod unum idemq; semper est, eternitatem habet: habebit etiam mundus, quia unus est, et ad Dei ima- ginē factus. Præterea mūdus intra se cuncta cōple- ctitur, perfectusq; idcirco est, et à nullo alio interi- ui potest. Quo fit, ut cum unus sit mundus, ex omni- bus sui partibus perfectus, seipsum conseruans, et eternus, nihil extra se habeat: sed integer ac totus semper manēs, nunquā senescat, intereat ue. Atqui 50 eo de nomine Plato nihil extra mundum relinqui dicit, ne morbo intereat, senescat ue: quoniā cor- ruptio omnis propter abscessionis, accessionis ue mutationem fiat. et si mundi pars aliqua extrinse- cus esset relictā, uel accedere aliquid mundo posset, quod ipsum augeret, et immutaret: uel abscedere, quod imminueret. Quam etiā sententiā cōfirmās,

nullam inquit partem extra mundum esse: quia cor- pora omnis natura, frigoris, calorisq; acceptione, decessione ue, alteretur, et senescat. Nam si corpo- rea illa substantia externa caliditate, frigore, alia ue qualitate uehementi uim suam ad mūdum transfun- deret, immutare illum posset, eademq; ratione inte- rimere: uel si etiam ab eodē qualitatis uis aliqua ue- hementior deccederet, eodem quoque modo propter abscessionem mutationibus obnoxius esset mundus.

Quae cum ita sint, nihil extra mundū ex eius sub- stantia relictum esse constat. Inter haec tamen hic no- tandum est, Platonem retulisse potissimum qualita- tes illas duas, calorem et frigiditatem: quoniam ea- dem magnam efficiendi uim habeant. Ex qualitati- bus enim quaedam quasi patiuntur, ut humor et sic- citas: quaedam agunt, ut calor et frigiditas. Iam et illud considerandum est, eam Platonis rationem, quae nihil extra mundum relictū probabat esse, mu- tuo reciprocari. Nam si nulla, inquit, extra mundū pars posita est, sed ipse est integer: igitur eternus est mundus, cum à nullo alio mundo interimi possit, atq; uice uersa, si mundus est eternus, nec ab alio, nec à se dissoluitur: ergo unus est, nihilq; habet ex- tra se. Atq; hinc Aristoteles uidetur sumpsisse ratio- nes illas lib. 1. de Caelo, quibus mundum nec gene- rari, nec interire, nec augeri, nec imminui, nec alte- rari posse cōfirmat: quando unus sit, nullumq; aliud contrarium habeat, à quo patiatur: nullum deniq; ee 30 iusdem essentiae corpus, à quo augeatur. Quapro- pter haec quidē hactenus ad corporeā mundi natu- ram explicandā satis sint: ad reliqua progrediamur.

Cui & figuram maxime congruam & decorā dedit. Animal quippe hoc, quod intra suum ambitum erat anima lia omnia contenturum, eam figuram praecipue requirebat, in qua figure om- nes containerentur. Quapropter sphæ- ricum fecit, in quo omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur. quae quidem figura omnium perfectissima, sibiq; ipsi simillima iudicatur. Patabat enim simile dissimili multo pulchrius esse. Lenem præterea hunc globum ex- trinsecus undique expoliuit. Nec im- merito summa eum æqualitate torna- uit. Nec enim oculis indigebat, quia ni- hil extra quod cerni posset, relictum erat. Nec auribus, cum nihil superesset foris quod audiretur. Nec erant aere circumfusa extēna mundi, ut respira- tionem requireret. Nec membrīs qui- dem talibus opus erat, per quae noua alimenta susciperet, aut decocti cibi ex- cremēta emitteret: nulla decessio fieri poterat, nulla accessio. Nec enim erat

h 2 aut

aut quo, aut unde talia fieret. Ipsum enim se consumptione & senio suū ipsius alit. Ita nempe diuina arte fabricatus est mundus, ut omnia in seipso & à seipso patiat, & agat. Ratus enim est ille autor, mundum, si sibi ipse sufficiat, præstantiorem fore, quàm si aliorum adminiculis egeat. Nec ei manus necessarias esse duxit: quia neque capiendum quicquam erat, neque repellendum. Nec pedibus, aut alijs ad progressum statum uel membri opus erat.

Quemadmodum Aristoteles in lib. de Cælo, postquam multum de mundi natura disseruit, de corporis eius figura, magnitudine, motuque disputat: sic etiā in his Plato, hætenus de mundi essentia multa disseruit, nunc de figura ipsius loquitur. siquidem prior est natura rei, quàm sit eius magnitudo. Ergo mundi figuram rotundam esse, et in orbem moueri dicit. id autem diuersis rationibus demonstrat, quas ut nos breuiter colligamus, primò cur mundus sit rotundus, ex Platonis sententia declarem: deinceps Aristotelis ea de re iudicium subiiciamus. Rotundum esse mundum Plato probat, quia unus sit, et ad unius imaginem factus: quodque unitati similis figura conuenire debeat, nimirum rotunda. Nam ut mundus unus est, ita figura spherica una est, sui similis, et ab omnibus diuersa. siquidem figurarum alie rectilinee sunt, ut triangula, quadrata, parte altera longiores, pentagona, atque adeo relique omnes quæ sub rectilineorum genus cadunt: una uero solum ex ijs omnibus sui generis est rotunda, quæ nullo sub genere cõinetur. Quo nomine, cum unus sit mundus, quemadmodum supra retulimus, et unica sit spherica figura, rotundum esse illum concluditur. Iam uero et alia ratione id ipsum confirmat, hoc modo:

Quoniam sensibilem hunc mundum ad ideam mundi intelligibilis Deo insitam factum esse dicimus, intelligibilisque mundus principio sineque caret, necesse est, sensibile tanquā illius imaginē infinitatē illā imitari. Sed cum nullū corpus infinitū sit, quemadmodum ab Aristotele in Phisicis demonstratur: infinitatem ipsam mundus nō in corporis magnitudine, sed in figure cõinuitate adeptus est. sic enim sit, ut rotunda figura principio sineque careat, et in se semper redeat. Quamobrē rotundus motus menti maximè accommodatus à Platone dicitur. ut enim mens una et eadē manēs in se semper redit, ita rotunda figura una est, semperque in se reuoluitur. Quare cum mundus sit unus, pulcher, et ad imaginē Dei factus: figuraque rotunda una, perfecta, pulchra, infinitatiq; similis: rotundus profectō erit. Atque hæc sunt Platonis rationes de mundi rotunditate. nam illam quæ ex corporis rotundi capacitatem sumitur, postea explicabimus. His quoque rationibus argumenta Claudij Ptolemæi lib. 1. Magnæ compositionis, rotunditatē

mundi asserētis, breuiter addamus, quæ huiusmodi sunt. Cælum, atque adeo mundum uniuersum rotundum esse constat, quoniam stelle ab ortu in occasum paulatim progressæ, tum mediū cœli occupant, tum declinant, semper tamen à terra equè distant: quod maximū rotunditatis indicium est. Item, uirga maior, ac minor, ceteræque septentrionales stelle, certa quadam ratione circa polum conuertuntur, circularēque motum efficiunt. ex quo sequitur, ut si orbicularis sit motus, rotundum sit corpus. Præterea, si planum esset cælum, stelle in nostro uertice maiores apparerent, quàm eæ quæ in remotioribus locis forent: quod tamen contrā fit. equalis enim earum magnitudo ubique cernitur, nisi quid aspectum impediat. Ex his igitur argumentis relinquitur, rotundum esse mundum, quando cælum ac terra rotunda sunt. Postremò ratio illa ab omnibus frequenter usurpata, quæ mundum esse rotundum propter spherice capacitatem docet, haud magnam uim habet, sed ex ea tamen mundi rotunditas etiam confirmatur.

Quoniam mundus uniuersum quiddam est, cuncta complectens, necesse fuit capacissimam illi figuram dari: at ex omnium figurarum genere nulla est capaciore, quàm rotunda: igitur rotundus est mundus. Quod autem spherica omnium capacissima sit, ratio quidem est, quod nullo habeat angulos, an fractus uel aliquos, quodque omnes sub se figuras alias cõplecti possit. Nam ut Archimedes in lib. de Sphæra et cylindro, eiusdemque interpretis Eutochius demonstrant, figurarum omnium, quæ æquales habeant mensuras, quæ *ισοσφαικέρως* uocant, capacissima est spherica: cuius rei demonstrationem, utpote prolixam, et ad hanc tractationem parū utilem, consultò omisimus. His ita expositis, argumenta Aristotelis breuiter colligamus ex lib. 2. de Cælo, eademque cum Platonis conferamus. Hæc ob causas Aristoteles rotundum esse mundum probauit: primò, quia spherica figura prima omnium sit, ideoque primo corpori, nimirum cælo conueniat. Esse autem primam figurā, à diuisione figurarū docet. Cum enim quedam rectilineæ, quedam circulares sint: atque illæ à multis imperfectisq; lineis conineantur, hæc uero ab unica, maximeque perfecta, nimirum peripheria, quæ uocant: circulus quidem, siue spherica perfectissime, primæque figure est, quando perfecta et simplicia priora sunt imperfectis et cõpositis. Præterea si circulari motu mouetur, inquit, cælū, et extra illud nihil inane est, necesse est ipsum rotundum esse. nam si nō sit, sed alterius figure, anguli illius motu suo circumuoluti partem aliquam inanem relinquerent, in qua prius fuerat corpus. quod quia falsum esse, ex superioribus demonstrauit, rotundum esse cælū concludit. Deinde sic argumentatur: Cœli motus mensura reliquorum motuum est: motus autem metiēs, quia uelocissimus, omnium est minimus. Sed minimū spaciū motus habent rotunda corpora: ergo cælū rotundum est. Postremò, quia aqua terraque rotunda sunt,

da sunt, idq; multis argumentis patet, cœlum etiam, atq; adeo uniuersum rotundum esse concludit: siquidem continens contentæ rei simile est. Huiusmodi ergo rationibus cœli rotunditatem Aristoteles confirmauit. Quarum priorem illam, quæ rotundam figuram primam esse omnium, maximeq; simplicem asserbat, ex priori Platonis ratione sumptam esse constat. Plato enim rotundum esse cœlum affirmabat, quoniam unum sit, et simplex corpus. figura uero rotunda cū una simplexq; sit, illi maxime conueniat. Quin etiam tertia Aristotelis ratio, qua probat rotundam figuram minimum motus spaciū habere, ideoq; cœlo conuenire, quod hoc minimo motu cōuertatur: ex illa etiam Platonis ratione deducta est, quemadmodū Simplicius annotat, in qua is capacissimam omnium figurarum esse rotundam dixit. Quamobrem hec ad mundi rotunditatē probandā satis sint: plura enim Cleomedes in libro de Circulari theoria, Ptolemæusq; ac eius interpretes Theon. Nunc Platonis uerba exponamus. Quapropter sphericū fecit, in quo omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur: quæ figura omnium perfectissima, sibiq; simillima iudicatur. In his omnibus mundi rotunditatem asserit Plato. antea enim propter congruitatem, capacitatemq; figuræ, rotundum esse mundum dixit. nunc à perfectione, similitudinēq; partium sphære, idem confirmat. atq; rotundam figuram unam, sibiq; similem esse, maximeq; perfectam: eamq; mundo, quia eiusmodi sit, conuenire. Itaq; cum sphericam figuram paribus à medio radijs attingi dicit, rotundæ figuræ proprietatem intellige, ut in ea lineæ omnes à centro ad ambitum æquales semper sint. siue enim circulum, siue sphaeram describas, multasq; à centro ad peripheriam lineas deduxeris, eadem semper æquales erunt. Ideoq; circulum Euclides lib. 1. sic definit: κύκλος ἐστὶ σχῆμα ἐπὶ πεδῶν, ὑπὸ μιᾷ γραμμῇ περιέχον, ἢ καλεῖται περιφέρεια, πρὸς ἧν ἅψ' ὅλος σηµείων τῶν οὐτὸς τὸ σχήματος καί οὐκ ἄλλου πᾶσαι αἱ ἐκ τοῦ κέντρου εὐθεῖαι ἴσαι ἀλλήλαις εἰσὶ. Sphæram autem, quoniam solidum corpus est, idem sic definit libro 11. σφαῖρα ἐστὶν, ὅταν ἡμικυκλίας μονόσσης τῆς διαμέτρου, περιονυχθὼν τὸ ἡμικύκλιον, εἰς τὸ αὐτὸ πάλιν ἀποκατασταθῇ, ὅθ' ἦν ἡρετο φέρεσθαι τὸ περιληφθὲν σχῆμα. Quare si figura rotunda æqualibus semper lineis à medio attingitur, quemadmodū omnes asserunt: mundus profecto, quia rotundus est, æquē ab ipso medio undiquaq; distabit. Age uero, ecquid nā hīs uerbis Plato sibi uult? Quæ quidem figura omnium perfectissima, sibiq; ipsi simillima iudicatur: putabat enim simile dissimili multo pulchrius esse. Certē in ipsdem mundi rotunditatē ab exemplari mundi huius sensibilis probare uult, simulq; sphære perfectionē nobis ostendit. Sic enim argumētatur, quemadmodū Proclus explicat: Quicquid alia cōtinet, cōtinentis præstantius est, eademq; sibi reddit similia. nam si quæ sint inter se dissimilia,

nihil ex ipsis est, quod alijs excellat: siquidem omnia æquē continentur. Igitur quicquid alia continet, similiaq; sibi efficit, ipsum sibi multo similius est. At spherica figura, quoniam uniuersa continet, maxime sibi similis est: ergo mundo maxime conuenit. mundus enim et omnium capax est, et sibi quā simillimus, proindeq; perfectissimus. Quare cum mundus ad imaginem exemplaris unius, maximeq; sibi similis, uidelicet mundi intelligibilis, factus sit, necesse est ipsum quā simillimum sibi esse. at figura rotunda sibi est simillima, quia una et sola sui generis est: ergo rotundum esse mundum relinquitur. Itaque sibi simile esse cœlum, ad ideam mundi intelligibilis in Deo siti, quæ una et eadem est, referri oportet. nam si exemplar est unum, et imago eius mundus unus, cum nulli alijs hæc sint similia, sibi solum similia erunt. Item, mundus idem perfectus est, quia factus ad similitudinē perfecti: perfectum enim et simile sibi compositum non est, sed simplex. simplicissima uero perfectaq; admodū figura est rotunda: ergo mundus hic sensibilis perfectionem illam intelligibilem in figura habuit, cum in essentia corporea habere non posset. Quare propter ideam sibi simillimam imitationē, mundus est sibi similis, ac proinde rotundus. Vt enim idea mundi eadem semper existens sibi est similis: ita quoq; mundus, cum sibi similem naturā, hoc est unam, et nulli alijs similem adeptus fuerit, figuram huic naturæ conuenientem, uidelicet rotundam, habet. Siquidem sphaera perfectissima, simillimaq; figura sibi est. Leuem præterea hunc globum extrinsecus undiq; expoliuit, nec immerito summa cum æqualitate formauit. Rotunda figura, uti diximus, cum paribus à medio radijs attingatur, leuis extrinsecus est, planissimamq; habet peripheriā. cum enim sphære extremitas unica tantum linea cōtineatur, nihil eminēs, cauum uel habet. Quæ de causa prius mundum rotundum esse dixit Plato: nunc summa æqualitate perpolitum extrinsecus, leuemq; factum ait. ex rotunditate enim leuitas extremitatis sequitur. Nec tamen putes ob stare, si in terra montes, cōuallesq; profundi, rotunditatis perfectionem adimere uideatur: quando terra uniuersa, nedum montes illi, puncti instar sint, si cum cœlo conferantur: et hic de mundi extremitate summa, non de terræ rotunditate solum agatur. Verum hæc omnia de mundi rotunditate perfectissima, dicta sint hæctenus. quæ, si Simplicio credimus, Aristoteles etiam ad uerbum lib. 2. de Cœlo sic expressit: ὅτι μὲν ὁ σφαίροειδὲς ἐστὶν ὁ κόσμος, δῆλον ἐκ τούτων, καὶ ὅτι κατὰ ἀκριβεῖαν οὐτόντος οὕτως, ὡς γε μὲν μὴτε χαρὸν μὴτε εἶχον παραπλοσίως, μηδὲτε ἄλλο μὴδὲν τῶν παρ' ἡμῶν ἐν ὀφθαλμοῖς γινόμενων. Nec etiā oculis indigebat, quia nihil extrinsecus, quod cerni posset, relictum erat. In his uerbis Plato solum id docet, mundū animatum esse, sed non eo modo quo reliqua animata. Nam cum anima consistere illum antea dixisset, nec qualis ea esset, expos-

h s suisset,

suisset, nunc dentium inquiri, ex quo animarum genere mundi anima sit. ideoq; sensus omnes animantium aliorum, ut uisum, auditum, odoratū, gustum, tactum, respirationem, facultatem deniq; nutriendi sese connumerans, nullo illorum sensuum præditiū esse mundum, inductione cōfirmat: quoniam hi sensus particularium animantium sine proprij: mundus uerò, utpote uniuersalis animas, qui cuncta complectitur, alio uniuersaliori sensu constare debeat. Cui etiam accedit, ut cum mundus unus sit, nihilq; extra se habeat, nec oculis ad cernendum utatur, nec auribus ad audiendum, nec tactu ad percipiendum, nec alimento quo sese alit, sed ipse seipsum cernat, audiat, tangat, aliat. Nam sensus ij omnes nō modò infiti animali esse debent, ut illis utatur, sed obiecta re etiam egent. Inde q; fit, ut cum extra mundum sensuum illorum obiectum nullū sit, nullus sit quoque sensuum usus. Cum ergo sensuum eorundem nullo præditi sit mundus, quis nam illius sensus esse dicitur? Certè is, qui mentem imitatur, siquidē omnia id imitantur, quod ante se est. mens autem in se ipsa cuncta cōsiderat, nihilq; ab externis rebus patitur. Mundus ergo, qui ad mentis, id est opificis Dei imaginem factus est, sensus in se omnes habet, et in se est uisus, tactus, auditus. Quemadmodum enim in communi sensu, quem uocat Aristoteles, uisus est, auditus, singuliq; sensus coniuncti: ita in mundo cuncte sensuum uires simul collocantur, quatenus ad mētis, quæ sensuum omnium facultatem in se habet, imaginem est factus. Vnde solem ac lunam aliqui mundi oculos appellarunt. Igitur sensus iste, quo mundus constat, nihil aliud est, quàm actio quædam mouendi conseruandiq; se perpetuò: quam Plotinus, ceteriq; Platonici, animā mundi uocant, Aristoteles uerò naturam. Eadem autem sentiens dicitur, quatenus sympathia quadam, consensioneq; partium omnium mundus constat. Quod idem Trismegistus in Asclepio affirmans, mundi ait conuexitatem rotundam esse, ipsamq; sibi qualitatis formæq; sue causam, totam inuisibilē, et per formas cuncta cernere: ut intelligamus, sensum in mūdo nihil esse aliud, quàm perpetuam illam formarum, qualitatum, atque adeo ortus rerum uicissitudinem, ex mundi sympathia prouenientem. Hunc enim ipsum ordinē, statumq; rerum tam providentem, tum animam mundi, tum sensum Plato esse intelligit. Hec ergo ad Platonis uerba explicanda satis iam sint. Quod uerò ad alimentum mundi attinet, utrum ex se alatur, nec ne, aut quo pacto ex suo ipsius senio ali à Platone dicatur, intelligendum ita est: extra mundū nihil esse, quo idem alatur, nec egere alimento: dici tamen à Platone eundem ali suo ipsius senio, quatenus in perpetua est generatione. Quemadmodū antea diximus, cum de mundi eternitate loqueremur, Deus mundū semper ex eius substantia gignit: mundusq; in perpetua generatione est, quatenus ab illo cōseruatur, ac pendet. Quod etiam Plutarchus lib.

2. de Placit. philos. de mundi alimento loquens, Platoni uidetur tribuere, his uerbis: *παλάτω, αὐτὸν αὐτῶ τὸν κόσμον ἐκ τῶ φθίνοντος κατὰ μεταβολὴν τὸ τρίτον παρέχεται*. quod uidem Aristoteles in libris de Cælo confirmans, nullo egere mundum alimento inquit, quoniam æternus sit. nam si aleretur, incrementum etiam, decrementumq; susciperet, ac propterea interire posset.

Motum enim illi congruum suo corpori tribuit, qui ex septem motibus unus ad mentem maximè & intelligentiam pertinet. Ideoq; cum illum per eadem, & in eodem, & in seipso circumduxisset, effecit ut circulari conuersione moueretur. Sex autem reliquos motus separauit ab eo, & ab eorum errore & peruagatione penitus liberauit. Ad hanc igitur conuersionem quæ pedibus non egebat, crura pedesq; non dedit. Cum hæc igitur Deus ille qui semper est, de aliquando futuro Deo cogitaret, lenē eum effecit, æqualemq; & à medio ad summum undiq; parem, corpusq; ex corporibus totis & perfectis totum atque perfectum: animam autem in eius medio collocauit, perq; totum tetendit, atq; ea corpus ipsum etiam extrinsecus circumtexit, mundumq; hunc unū & solū, solitariumq; et circularem uolui in circulum statuiri, qui propter uirtutē secū ipse facile coercere possit, nullius alterius indigens, satisq; ipse sibi notus atq; amicus.

Quando hæcenus de cæli figura dictum à Platone est, ad cæli motum explicandum nunc accedamus. Siquidem constituta corporea natura, ipsiq; figura indita, motum illi accommodatum inesse oportet: quando corpora omnia Aristotelis testimonio, motu aliquo necessario mouentur. Quo nomine cum de cæli motu in his Plato differat, à diuisione motuum circularem cælo tribuit. Septem sunt motus genera, uel auctore Aristotele: sursum, deorsum, quando à superiori parte ad inferiorem, uel ab inferiori ad superiorem motus fit: dextra, sinistra, cum ad aliquam harum partium corpus mouetur: ante, pone, et in orbem. Sex superiores forme corporibus rectilineis conueniunt, circularis uerò solo circulo accommodatur. Omnis enim motus, pro corporis impulsu figura mouetur. At cum mundus, uti diximus, rotundus sit, moueturq; semper motu perpetuò, ut experimento apud omnes cōstat, circulari motu cælum moueri necesse est. Nam sex quidem illi contrarij inter se sunt: postremus autem solus cum sit, nullum habet contrariū, qui cælo propterea accommoda-

cōmodatissimus est. Siquidē mundus unus cum sit, motu solum uno indiget, nō pluribus. Præterea cum ad mentis, quæ una etiam est, imaginem sit factus, unus erit itē ipsius motus circularis: qui ut mens in se reflectitur, in seq; omnia cōsiderans redit, ita motus ille ad seipsum semper reuertitur. reliqui uerō sex cum in se nunquam reflectantur, sed ad partes alias oppositas, alijs potius sensibus quàm menti attribui possunt. Ergo mundus animatus cum sit, animæq; non alius motus præter circularem istum conueniat, cœlo circularis motus insitus est, isq; ab eius anima. Nam ut Plotinus in libro de Motu cœli ait, motus mundi nec ab alio impellente extrinsecus fit, nec ex ipso mundi corpore, sed ab anima illi indita. Anima enim, hoc est naturalis ille impulsus à Deo concessus, mundum ita mouet, ut animantium anime animata sua corpora. Cum enim anima corpus quasi comineat, nullamq; partem eius effluere permittat, sed ipsa intra corpus sese mouens, necessariō idem moueatur circa animam ipsam: mundus etiam ab anima sibi insita impulsus, in orbem mouetur, uelut sphaera circa mediū. Vnde errant profectō illi, qui cœlo proprium motum à natura eius insitū esse negant, sed quod idem ab alio externa ui moueatur. quos Aristoteles in *Physicis* refellens, nihil ui impulsū perpetuō moueri dicit: siquidem primum illum motorem diuinum, et æternum, primum mobile esse dicit, mouendiq; cœli uim illi tribuit. Verū Plato uerius, et religioni Christianæ similis, cœli ait motum istum circularem proprium eius esse, ita ut eundem illi Deus eius opifex dederit, cum eum quasi impulsū mouendi sese perpetuō in orbē concessit: qui simplex cum sit, et ex omnibus motuum generibus solus, suiq; generis, simplicissimo corpori, nimirum cœlo, conueniebat. Atq; hinc Aristoteles axiomata illud lib. 1. de Cœlo, frequenter usurpatum mutuatus est, si Proclo credimus, Omne corpus simplex unico tantum motu mouetur: ut cœlum, quod simplex est, uno tamē motu circulari cieri probet. Hæ sunt de cœlesti motu rationes, à Platone hic relate, quas partim Aristoteles lib. de Cœlo, partim Ptolemæus lib. 1. Magnæ compositionis, imitati sim. omnes enim circulari motu cœlum conuerti affirmant, multisq; argumentis id probant. Quod autem cœlum moueatur, quāuis aliqui minuti philosophi negarint, cœlumq; stare, terram moueri dixerint, ut Nicetas quidam olim, et hac etate Copernicus: nemo tamen est qui dubitet, cum experimenta rationeq; id constitutum apud omnes sit. Nunc autem ad Platonis uerba exponenda ueniamus. Sex autē reliquos motus separauit ab eo, et ab eorum errore et peruagatione penitus liberauit. Reliqua sex motuum genera, amē, ponē, dextrā, sinistrā, sursum, deorsum, contraria inter se esse diximus, quatenus rectā sunt ad lineam: et in motu recto, initium, finis, ac mediū est, quæ contraria sibi mutuo sunt. motum autem circularem, quia solus esset, menti q; accommodaretur,

mundi proprium esse dixit Plato. Nunc demum id apertius cōfirmans, diuersos esse inquit motus illos sex ab isto circulari, ideoq; hunc quasi ab erratione alienum mundo tribui: quasi diceret, sex illa motus genera reliquis sensibus animi accommodari, quoniam idem facile decipiantur, uel propter obiectū, uel medium interuallū, cum aliud percipere nos putamus, quàm uerē sit: mentem autem minime errare, quoniam omnia diiudicet, nullumq; ex se admittat errorem. Igitur sex illi motus cum ad lineam fiant rectam, ab initio ad finem, itemq; sensus eodem modo moueantur à sentiendi facultate ad obiectum, rectē quidem Plato eadem motus genera ijs sensibus attribuit. Sed quia sensus idem facile decipiuntur, uariis ob causas, motus itidem illorum proprius errare dicitur: siquidem sex idem motus confundi facile possunt, cum recta sinistrorsum, aut dextrorsum sinistra moueantur: quando reuera distincti ij non sint, nisi relatione quadam inter se seiungatur. Hanc ob causam motus rectus cœlo tributus non est, ne errore aliquo confunderetur, sed certa semper ratione cursus suos cōficeret. Atqui motū hunc non errantē et ἀπλανή primo mobili potissimū tribui oportet. idē enim præsertim motu isto simplici ac mētis proprio cieri, Plato dicit, ut in sequentibus docetur. Cum ergo cœlum nullo illorum motuū, quos diximus, moueatur: reliquum est, ut simplici, circulariq; solum conuertatur, quando motus iste mentis proprius est, quēmadmodum superius Plato Plotinusq; docent. Hinc Platonis rationem, qua certū circularem motum cœlo tributum esse à Deo probat, collige. nec enim ad proximas, uelut Aristoteles, causas recurrit, ad id probandū: sed ad exemplar ipsum, ad cuius imaginem factus est mundus. Ait enim, cœlum certo ratoq; motu, uidelicet circulari, moueri, quoniam is mentis proprius sit: cœlum autem, cum ad mentis, hoc est mundi Indanici et intelligibilis imaginem sit factus, constare motu illo maxime debuit. Cum hæc igitur Deus ille qui semper est, de aliquādo futuro Deo cogitaret, leuem eum effecit, æqualemq; et à medio ad summum undiq; parem, corpusq; ex corporibus totis et perfectis totum atque perfectum. Præcedentem sermonem de mundani corporis generatione in his Plato concludit, et perorationis modo breuiter, quæ de mundo dixit hæcenus, colligit. Ait enim, mūdum rotundum perfectumq; à Deo factum, ut motu illo circulari moueretur, unusq; esset ad mentis architectricis imaginem, et ex omnibus corporibus suis, nimirum elementis, constitutus, unam quandam perfectamq; naturam compleret. Quæ in re cum pleraq; à nobis superius exposita sint, illud nunc interpretatione dignum uidetur, ecquid nam in ijs uerbis Plato intelligat: Deum, qui semper est, de futuro deo illa cogitasse. Deus ille qui semper est, quem ὁρτα ἀεί τὸν θεὸν Plato uocat, artifex mundi est, à quo mundus, uniuersaq; facta sunt, quem τὸ ἀεί ὅν initio idem appellauit.

appellauit. Futurus autē Deus, siue *θεός εἰς μέλλον*, mundus illum autem semper esse dixit, quoniam aeternus sit, ab ipsoq; omnia, ipse autē a nullo habeat ortum. hunc uero futurum nominauit, prioris illius respectu, quoniam ab illo pendeat, gignaturq; semper. Nam ut Deus artifex semper est, & nunquam immutatur: ita mundus sensibilis, quatenus ab illo procedit, futurus dicitur Deus: non quod uerē Deus sit, quemadmodum Cicero lib. 1. de Nat. deor. Platoni falso attribuit: sed quia factus ad exemplar Dei sit, quādamq; habeat diuinae naturae perfectionem, qua similis artificis menti dicitur. Siquidem ut mens diuina uniuersa continet, connectit, ac producit: ita mūdus sensibilis unus ex multis singularibus factus, cuncta sensibilia procreat. Igitur similitudine quadā Dei artificis, Deus appellatur mūdus: isq; futurus, ut in perpetua ipsum generatione esse intelligamus. Atqui sententiam hanc Plato à Mercurio Trismegisto, ut reliqua, accepit. ille enim in Asclepio, Deum inquit perfectē Deum esse: mundum autem secundō participatione esse Deum, quatenus imago illius est. Quemadmodum enim splendorem ex radiorum lucidorum reflexione prouenientem non minus lucidum esse cernimus, quā radios ipsos: sic etiā mundum, quatenus ab artifice Deo effluxit ab eterno, si nullisq; illi est, Deus uocatur. Quae cum ita sint, rectē quidem Plato Deum futurum mundum nominauit, tum quod Dei artificis participatione Deus sit, tum quod in tempore est: & quicquid tempore transigitur, estq; sensibile, fieri à Platone dicitur, quemadmodum Proclus explicat. Ideo, Deum semper existentem, ad aeternitatem referri oportet, quoniam eadem semper sit: futurū uero ad tempus, quod cum in motu decursaq; cōsistat, aliquando non esse Plato inquit. Animam autem in eius medio collocauit, perq; totū tetendit, atq; ea corpus ipsum etiam extrinsecus circumtexit.) Quando mundum animatum esse, dictum in superioribus est: id nunc queri oportet, in qua nam mundi parte sit anima. Siquidē anima omnis cum in corpore est, parē aliquam obtinere debet. ut in homine alij animā in cerebro posuere, alij in corde, alij in alijs partibus. Igitur cum anima constare mūdū dicamus, in quā nam parte illius erit? Num in caelo? num etiam in terra? an in stellis potius, ut aliqui putarūt? Perfectio in medio mūdī illa est, si Platoni credimus. At quo nam pacto anima medium mundi locum obtinet? id ex Platoniorum sententia breuiter explicabo, relictis multorum expositionibus. Platoniorum quidam existimauerunt, animam in medio mundi sitam esse, indeq; uniuersitatē ui sua mouere. quorum tamen sententiam minime probarim ego, cum anima nullum certum corporis locum tenere possit, sed eade ubiq; sit. Porphyrius autem, Iamblichus, ac Proclus, in medio mundi animam à Platone collocari dicunt, quatenus media est eius essentia inter corpoream & incorpoream. siquidem anima, ut po-

stea dicitur, partim materiae compos uidetur, partimq; intelligibilis natura. Quo nomine cum mundus, ut Proclus ait, tribus his, mente, anima, corporeq; constet, ut animans intelligens sit: anima profectō media inter duo illa est, partimq; mentis, partimq; corporis natura cōstat. Ideo à Platone in medio mundi positam esse animam, dici propterea putamus, quod eiusdem naturam mediam explicare uoluerit, eandemq; per totum mundi corpus diffusam dixerit: non quod is eadem animae certo aliquo loco sit, sed quod equaliter per omnia sese diffundat. Huic sententiae astipulatur Plotinus in libro de Motu coeli, cum in anima inquit mediam esse non ea ratione, qua in corporibus ponitur, ita ut locum aliquem occupet: sed quod in illa id medium dicatur, à quo reliqua uita pendet. Siquidem corpus mundi ab anima uitā motumq; accipiens, circa illam ipsam ueluti circa centrum mouetur: non quia uerē illa sit centrum, sed quatenus eadem uniuersum mundi motum amplectitur, uiq; sua mouet. Quam etiā sententiam Platonis uerbis confirmare nos ut ueriores possumus, in quibus ille mentē in animā, animamq; in corpora infusam à Deo dixit. Ex quibus intelligere possumus, mentem supremam esse, corpus autem infimū, animam uerō mediam, atq; in corpore quasi in medio collocatam. Hae igitur uera est Platonis interpretatio: multis alijs, quae ad rem parum attinent, omis. Atq; ea corpus ipsum etiam extrinsecus circumtexit.) Anima mundi per totum corpus diffusa est, ipsumq; intro extraq; complectitur. nam si qua pars anima careret, minime moueretur, cōseruaretur ue: ideoq; ipsa, ne corpus dissoluatur, uniuersum continet. Nam ut Plotinus in eodem libro de Motu coeli inquit, anima ubiq; est, nec in loco aliquo solum, nec extra fertur, sed in se potius re torquetur, orbemq; caelestem continet: unde in medio uigere dicitur. Eadem autem quasi corpore, sic uniuersa mundi mole circumdatur, ac uestitur: quoniam anima semper corpore, ut integumēo quodam indiget. Atq; id ipsum Plato intelligēs, sic ait: *ψυχὴ ἵστῃ τὸ μέσον αὐτῆς θεῖς, διὰ παντὸς ἔκτεινται, καὶ ἐν τῷ ἐκτελεῖν τὸ σῶμα αὐτῆς πορεύονται*. Quae uerba Cicero sic transtulit: Animā autē ut in eius medio collocauit, ita per totum tetēdit, deinde eum circūdedit corpore, & uestiuit extrinsecus in quibus eleganter ille Platonis sensum expressit, dum animam corpore circumdari, eumq; intra latē sese diffundere dicit. Marfilium autem hoc modo, sed non adeo rectē: Atq; ea corpus ipsum etiam extrinsecus circumtexit.) Videtur enim in ijs ab anima corpus circumdatum esse dicere, quod Platonis interpretationi minime cōuenit. Qui propter uirtutē secū ipse facile coercere possit, nullius alterius indigens, satisq; ipse sibi notus & amicus.) Nihil extra mundum esse, in superiorib. Plato dixit: sed ipsum tueri se, mouere, nihilq; extra querere. Nunc quasi idem cōfirmans, propter infirmitatem mundo uirtutem,

anima

animæ nullius indigentem, cognatumq; sibi esse dicit: hoc est, cum in se cuncta perfecte posita habeat, nihil desiderare, sed sibi satis notū esse, id est, se conservare ut sua, quatenus animū ab auctore Deo insitum habet: quemadmodum animata omnia cum habent à natura instinctū, ut sibi ipsis charissima sint, semperq; tueri se uelint. Vnio enim animi et corporis arctissima est. propter animum siquidem conservare se corpus semper cupit, animusq; propter corpus: quæ tamen consensio, et amor arctissimus non esset, si alterum careret altero. Igitur mundus, propter animū sibi inditum, perpetuò conservatur, seq; semper contentus, charissimus sibi est.

Iraq; omnibus his de causis mundū opifex eius beatum Deum effecit: sed animam haud ita, ut modò dicere cœpimus, tum deniq; cum corpus ei effecisset, procreavit. neq; enim qui hæc cōiunxit, parēre iuniori antiquius permisisset. Sed nos multa, utpote fortunæ participes, inconsideratè & temerè loquimur. Ille uerò tam generatione quam uirtute priorem antiquioremq; animā corpore constituit, utpote quæ obediēti corpori esset imperatura, ex his uidelicet, atq; hoc pacto.

Cum mundo insitum à Deo animum medium dixisset, qui eundem uegetaret, ac moueret: nunc rursus correctione quadam usus, non esse ita inditum illi animam inquit, ut eodem tempore, quo mundum Deus construxit, animam illi corporis moli iniecerit, sed quòd longè antè. Sic enim ait: Animum quidem haud iuniorem Deus fecit, hoc est, non produxit post corpus, ut prior subijceretur mundi corpus, postea uerò animaretur, itaq; iam animus corpore iunior esset: sed ediuerso, quoniam antiquior est animus ipso corpore. Vnde si corpus uniuersi prius in constitutione quàm animus fuisset, æquum non esset, ut antiquior, id est animus, iuniore, id est corpore, inferior foret. Igitur antiquiorem esse animum corpore dicit, corpus uerò post illum esse genitum. De quo quanquā multa hæcenus Plato differuit, cōpositionem solum corporis explicare uoluit, generationis autem ordinem minimè. siquidem primò genitus est animus, si ad originē spectes: contra tamen non prius corpus animatur, quàm idem sit constitutum. Sed cum priorem esse animam corpore Plato dicat, quæ nam ratione intelligendum id est: partim enim æternam uocat illam, et ingentam, partim uerò genitam. Aeternum esse animum inde probat, quòd à seipso moueatur, principiumq; motus sit, ut in libris de Rep. et in Phædro confirmauit. sic enim argumentatur. Quicquid à seipso mouetur, et non ab alio externo, æternum est: animus seipsum mouet: igitur æternus est. At cor-

pus moueri à se non potest, nisi ab animo impellatur: ergo ab illo mouendi se principium habet, proindeq; posterius illo est. Quare anima corpore est antiquior. His alijsq; rationibus huiusmodi, quibus tum in Phædone, tum alijs in locis ad animæ immortalitatem tuendam est usus, eternitatem animi Plato confirmat. Siquidem in eadem sententia, quæ Pythagoræ fuit, ut animas omnes genitas simul ab æterno crederet. Cum enim uellet animi immortalitatē tueri, illū dixit ante corpora ab æterno fuisse, cui propterea recordationem prioris uitæ in Mænone tribuit. Hanc sententiam Aristoteles lib. 3. de Anima, et lib. 2. de Animalium generatione sequi uidetur, cum intellectum ait aliunde provenire corporibus, ut Besarion lib. 3. in calumniatorem Platonis prolixè docet. Id tamen D. Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei refutat, cum Platonicos reprehendit, quòd animam equè æternam cum Deo faciant. Cum itaque æternum esse animū Plato dicat, idq; uerè sentiat, ut Platonici omnes de illo asserunt: qua ratione genitus ab illo dicatur, uideamus. Animū priorem esse corpore dixit, non quidem tempore, ita ut longè antè animus fuisset, quàm mundi corpus instrueretur: sed ordine ac dignitate. prius enim est motionis principium, quàm rei mobilis edatur motus: et ut motus temporis est causa, quæ ipsum dinumeratur, ac distinguitur: ita in animo principium motus causa erit temporis. Nam si animus quiesceret, in eternitate sua semper maneret: cum autè mouendi sit præditus, motusq; temporis tribuatur, in tempore fuisse genitus dicitur. Ergo quo antiquior est causa suo effectu, eo est prior animus corpore. Sed ut causa simul est cum effectu, eodemq; tempore et illa efficit, et hic fit, præterquam quod ratione differunt: quia illa præcedit, hic sequitur: ita etiam cum mundum Deus fecit, simul quidem et animum et corpus effecit: tamen quia animus principium motionis, et animationis, mundi eiusdem constituebatur, prior illo fuit ratione quadam, quia mouens mobili re prior esse debet. Quare aperte Plato mundum esse æternum hic docet, cum ingentum esse animum dicit: modum autè generationis illius explicat, dum ortū esse ipsum inquit. Quamuis enim animus ante corpus fuisse dicatur, genitusq; à Deo uocetur, ratione quadam intelligendum id est, quatenus participatione eternitatis diuinæ, utpote Dei imago æternus est: quatenus uerò ab illo profluit, in tempusq; profertur, factus nominatur. Atque hanc esse Platonis sententiā ueram, Plutarchus in lib. de Animæ generatione, atq; Atticus, Platoniciq; affirmant. Interim tamen ne quid restet difficultatis, ecquid nā ijs uerbis Plato significat, Sed nos multa, utpote fortunæ participes, inconsideratè et temerè loquimur? Si Proclo credimus, id ita intelligendum est, animum nostrum ad rerum intelligibilibus cognitionem caligare, propter sensuum naturam errantem. Ut in animi origine explicanda, cum natura nostra omnino

omnino certum nihil peruestigare possit, sed probabilitate solum rationis contenta sit, multa inconsiderate, et quasi obiter sese offerentia loquitur, quando rem attingere omnino nequit. Sed quoniam hæc uerba aliter ab alijs transferuntur, Græcus codex sic habet: ἀλλὰ πῶς ἡμεῖς πολὺ μετέχοντες τῆ προτυχῆς τε καὶ εἰναι ταύτην λέγομεν. Hæc uerba recte sic transtulit Cicero: Sed nos multa inconsiderate ac temere dicimus. Marfilius hoc modo: Sed nos multa, utpote fortuna particeps. In quibus illud, πολὺ μετέχοντες τῆ προτυχῆς, non fortuna particeps interpretandū uidetur (nec enim fortuna est in nobis aliqua) sed ita erit transferendum, ut obuia quæq; temere pronunciari significet: Quando sensibilis nostra natura, res omnino intelligibiles peruestigare non ualens, quasi cæca et ignorās defertur, multaq; temere et obiter loquitur, probabilitate solum contenta. Quibus ita expositis, animi generationem Plato ingreditur, quo nam modo, et quibus ex rebus sit ille constitutus.

Ex ea substantia, quæ indiuidua & semper eadem similisq; est, & ex ea rursus quæ circa corpora diuidua fit, tertiam substantiæ speciem commiscuit mediam, quæ rursus esset naturæ ipsius eiusdem, & naturæ ipsius alterius particeps: eamq; per hæc mediam constituit inter indiuiduam substantiam, & eam quæ circa corpus diuidit. Ea cum tria sumpisset, in unam speciē omnia temperauit. Vbi naturam eius quod alterum diuersumq; uocamus, commixtioni repugnantem, cum eo quod idem dicitur, ut quadam conciliauit. Postquam uerò duo illa cum substantia cōmiscuit, & ex tribus unum fecit, rursus id totū in ea quæ decuit mēbra partitus est, quorum quodlibet ex tribus, eodē, altero, substantiaq; cōstaret.

Quando mundus, corporaq; animantium omnium anima constant, ac de uniuersitatis corpore dictum est hactenus à Platone: in hoc rursus sermone de animi origine disputat, quando animum generatum ratione quadam suprà retulit, quamuis reuera æternus ab eo dicatur. Quo nomine, ut ordine cuncta explicemus, quid sit animus apud Platonem, primò dicatur: deinceps, an hoc in loco de uniuersali omnium animo, an de singularibus agatur, inquiramus: et utrum communis animus idem cum singularibus sit, nec ne: ultimò, Platonis uerba explicentur. Plato, ut de illo refert Plutarchus, animū definiuit intelligibilem substantiam, ex se mobilem: eumq; non harmoniam esse, ut falsò quidam patant, sed harmonia quadam partium omnium uti dixit, quemadmodum in sequentibus dicemus. quamuis e-

nim eius essentiam ex numeris harmonicis compositam dicat, non esse tamen harmoniam intellige, sed naturam quandam magna partium consensione et quasi harmonia constitutam. Quando igitur quid sit animus apud Platonem cognoscimus, hoc in loco, cum de eius ortu differitur, non de singularibus animis, sed de communi et uniuersali, à quo singuli emanant, disputat Timæus. Siquidem de uniuersi natura prius loquitur, quam ad singularium rerum naturas explicandas accedat. Quæ de causa animam mundi singularum esse animarum fontem, Plato existimauit: ita ut mens, quæ superior est anima, ex Deo nascatur: anima uerò, quoniā corpori adiuncta est, nullumq; corpus est præter mundum, ex animatione corporis eiusdem. Atque animam quidem mundi originem esse reliquarū animarū inquit, quia prius uniuersalia sunt singularibus, et tota ipsa anima singulares animas præcedit. Quam sententiam Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. Platoniciq; alij, Platoni tribuunt: eamq; Trismegistus prius habuit in Pimandro. ibi enim, ab una mundi totius anima uniuersas animas effluere, et tanquam in partes distribui inquit. Cui etiam accedit, quod Plato animas omnes ante corpora fuisse, uariq; in corpora subire, multis in locis affirmat. Ex quo intellige, animas omnes singulorum animarū ab una mundi anima quasi distribui in corpora: dissolutis uerò corporibus, in illam ipsam redire. Quod lib. 10. de Rep. Socrates confirmans, certum quendam animarum numerum à Deo constitutum, quem nec excedant, nec à quo desint, ait. Idem asserit Olympiodorus, ceteriq; Platonici, Platonem sensisse: quoniā anima sine corpore nō sit, corpus autem mundi prius sit singularis corporibus: quo fit, ut anima mundi reliquis sit animis prior. Hoc ipsum asseruit Plotinus, et Apuleius in lib. de Dogmate Platonis, his uerbis: Sed illā cœlestem animam fontem animarum omnium, optimam et sapientissimam uirtutem esse genitricem, subseruire Deo fabricatori, et præsto esse ad omnia inuenta eius, annunciat. His breuiter propositis, ad reliqua progrediamur. de illis enim latius postea dicitur. Res omnes, quæcunq; sunt in mundo, Platone auctore, compositæ duplici ex substantia sunt: uel ex eadem substantia, siue immobili, semperq; sui simili, quam eandem et indiuiduam Timæus uocat: uel ex mobili, et mutationibus obnoxia, quam ipse alteram seu diuiduam nominat. Illius prioris complexu hæc continentur: Deus, mens, anima, atq; adeo intelligibilia omnia: quæ cum corpore careant, mutari, diuidiq; minime possunt. Huius formæ sunt corpora omnia: quæ cum ex elementorū mixtione constent, facile immutantur, ac diuiduntur in multas partes. Ideoq; indiuidua essentia, siue eadem intelligibilis et incorporea dicitur, quoniam intelligibilia omnia una sunt, nec in partes diuiduntur. Nam ut unitas numerorum principium est, in istisq; omnibus adest actu uel potestate, ipsaq; semper eadem

eadem manet: ita intelligibilia sensilium causa sunt, nec tamen propterea illis se admiscunt, sed essentiam suam intactam semper tuerentur. At uero ut dualitas, quae ab unitate iam discessit, omnibus est mutationibus obiecta, utpote quae diuiditur, multiplicatur, subducitur, omnes denique numerorum formas suscipit: sic etiam sensilia diuiduam sortiuntur naturam, diuidunturque in uarias rerum formas, ac nunquam in eodem semper remanent. Quemadmodum igitur compositi omnes numeri, ex pari imparique constanter, cum diuersae inter se naturae sint, unam quandam ex ijs duobus simul mixtis connexionem faciunt: eodem etiam modo indiuidua siue intelligibilia substantia, cum diuidua siue sensili connectitur, quandamque tertiam naturam mediam constituit, partim intelligibilem, partim corpoream, hoc est animam. Quia enim animus partim intelligibilis naturae, partim corporeae uidetur esse, ex indiuidua, diuiduaque natura misceri dicitur. At quo nam pacto corporeum et diuiduum intelligibili potest commiseri? cum res sint diuersissimae. Et sicut punctum apud Geometras lineam non componit, quia diuersae naturae est: ita natura intelligibilis sensibili admixta, tertium quoddam non constituit. Quia ut animus medius est inter corporea et incorporea, partemque habere ex utroque uidetur: sic dicitur ex intelligibili sensibilique natura componi, non quod uere in eodem subiecto duo haec misceantur, cum non possim: sed quia ratione quadam duo illa in eadem re considerantur, ad animi naturam explicandam. quemadmodum et eundem animum factum esse diximus, cum aeternus esset. Quo nomine cum in animo pars quaedam a corpore aliena et intelligibilis sit, ut mens, ut ratio: pars uero altera sensibilis et corpori annexa, ut sensus uidendi, audiendi, ceterique omnes: illam quidem superiorem ex substantia intelligibili sumptam Plato dicit, hanc ex corporea natura. Atque ea de causa intelligibilem animi partem immortalem esse dicit, sensibilem uero interituram. Quod idem Aristoteles in libris de Anima asserens, intelligibilem quam Plato uocat, intellectum agentem appellauit, sensilem autem irrationalem partem. Quod autem anima omnis mediae naturae sit, partimque incorporea, partim corporea dicitur, non Plato solum, sed alij etiam multi philosophi asseruere: quos ut hic breuiter nominemus, sententias eorundem colligamus. In primis Aristoteles lib. 2. de Anima, memem inquit ab anima differre, quod illa incorporea, immortalis sit, haec corporea mortalisque uideatur. Sice-

10
20
30
40
50
60
70
80
90
100
110
120
130
140
150
160
170
180
190
200
210
220
230
240
250
260
270
280
290
300
310
320
330
340
350
360
370
380
390
400
410
420
430
440
450
460
470
480
490
500
510
520
530
540
550
560
570
580
590
600
610
620
630
640
650
660
670
680
690
700
710
720
730
740
750
760
770
780
790
800
810
820
830
840
850
860
870
880
890
900
910
920
930
940
950
960
970
980
990
1000
1010
1020
1030
1040
1050
1060
1070
1080
1090
1100
1110
1120
1130
1140
1150
1160
1170
1180
1190
1200
1210
1220
1230
1240
1250
1260
1270
1280
1290
1300
1310
1320
1330
1340
1350
1360
1370
1380
1390
1400
1410
1420
1430
1440
1450
1460
1470
1480
1490
1500
1510
1520
1530
1540
1550
1560
1570
1580
1590
1600
1610
1620
1630
1640
1650
1660
1670
1680
1690
1700
1710
1720
1730
1740
1750
1760
1770
1780
1790
1800
1810
1820
1830
1840
1850
1860
1870
1880
1890
1900
1910
1920
1930
1940
1950
1960
1970
1980
1990
2000
2010
2020
2030
2040
2050
2060
2070
2080
2090
2100
2110
2120
2130
2140
2150
2160
2170
2180
2190
2200
2210
2220
2230
2240
2250
2260
2270
2280
2290
2300
2310
2320
2330
2340
2350
2360
2370
2380
2390
2400
2410
2420
2430
2440
2450
2460
2470
2480
2490
2500
2510
2520
2530
2540
2550
2560
2570
2580
2590
2600
2610
2620
2630
2640
2650
2660
2670
2680
2690
2700
2710
2720
2730
2740
2750
2760
2770
2780
2790
2800
2810
2820
2830
2840
2850
2860
2870
2880
2890
2900
2910
2920
2930
2940
2950
2960
2970
2980
2990
3000
3010
3020
3030
3040
3050
3060
3070
3080
3090
3100
3110
3120
3130
3140
3150
3160
3170
3180
3190
3200
3210
3220
3230
3240
3250
3260
3270
3280
3290
3300
3310
3320
3330
3340
3350
3360
3370
3380
3390
3400
3410
3420
3430
3440
3450
3460
3470
3480
3490
3500
3510
3520
3530
3540
3550
3560
3570
3580
3590
3600
3610
3620
3630
3640
3650
3660
3670
3680
3690
3700
3710
3720
3730
3740
3750
3760
3770
3780
3790
3800
3810
3820
3830
3840
3850
3860
3870
3880
3890
3900
3910
3920
3930
3940
3950
3960
3970
3980
3990
4000
4010
4020
4030
4040
4050
4060
4070
4080
4090
4100
4110
4120
4130
4140
4150
4160
4170
4180
4190
4200
4210
4220
4230
4240
4250
4260
4270
4280
4290
4300
4310
4320
4330
4340
4350
4360
4370
4380
4390
4400
4410
4420
4430
4440
4450
4460
4470
4480
4490
4500
4510
4520
4530
4540
4550
4560
4570
4580
4590
4600
4610
4620
4630
4640
4650
4660
4670
4680
4690
4700
4710
4720
4730
4740
4750
4760
4770
4780
4790
4800
4810
4820
4830
4840
4850
4860
4870
4880
4890
4900
4910
4920
4930
4940
4950
4960
4970
4980
4990
5000
5010
5020
5030
5040
5050
5060
5070
5080
5090
5100
5110
5120
5130
5140
5150
5160
5170
5180
5190
5200
5210
5220
5230
5240
5250
5260
5270
5280
5290
5300
5310
5320
5330
5340
5350
5360
5370
5380
5390
5400
5410
5420
5430
5440
5450
5460
5470
5480
5490
5500
5510
5520
5530
5540
5550
5560
5570
5580
5590
5600
5610
5620
5630
5640
5650
5660
5670
5680
5690
5700
5710
5720
5730
5740
5750
5760
5770
5780
5790
5800
5810
5820
5830
5840
5850
5860
5870
5880
5890
5900
5910
5920
5930
5940
5950
5960
5970
5980
5990
6000
6010
6020
6030
6040
6050
6060
6070
6080
6090
6100
6110
6120
6130
6140
6150
6160
6170
6180
6190
6200
6210
6220
6230
6240
6250
6260
6270
6280
6290
6300
6310
6320
6330
6340
6350
6360
6370
6380
6390
6400
6410
6420
6430
6440
6450
6460
6470
6480
6490
6500
6510
6520
6530
6540
6550
6560
6570
6580
6590
6600
6610
6620
6630
6640
6650
6660
6670
6680
6690
6700
6710
6720
6730
6740
6750
6760
6770
6780
6790
6800
6810
6820
6830
6840
6850
6860
6870
6880
6890
6900
6910
6920
6930
6940
6950
6960
6970
6980
6990
7000
7010
7020
7030
7040
7050
7060
7070
7080
7090
7100
7110
7120
7130
7140
7150
7160
7170
7180
7190
7200
7210
7220
7230
7240
7250
7260
7270
7280
7290
7300
7310
7320
7330
7340
7350
7360
7370
7380
7390
7400
7410
7420
7430
7440
7450
7460
7470
7480
7490
7500
7510
7520
7530
7540
7550
7560
7570
7580
7590
7600
7610
7620
7630
7640
7650
7660
7670
7680
7690
7700
7710
7720
7730
7740
7750
7760
7770
7780
7790
7800
7810
7820
7830
7840
7850
7860
7870
7880
7890
7900
7910
7920
7930
7940
7950
7960
7970
7980
7990
8000
8010
8020
8030
8040
8050
8060
8070
8080
8090
8100
8110
8120
8130
8140
8150
8160
8170
8180
8190
8200
8210
8220
8230
8240
8250
8260
8270
8280
8290
8300
8310
8320
8330
8340
8350
8360
8370
8380
8390
8400
8410
8420
8430
8440
8450
8460
8470
8480
8490
8500
8510
8520
8530
8540
8550
8560
8570
8580
8590
8600
8610
8620
8630
8640
8650
8660
8670
8680
8690
8700
8710
8720
8730
8740
8750
8760
8770
8780
8790
8800
8810
8820
8830
8840
8850
8860
8870
8880
8890
8900
8910
8920
8930
8940
8950
8960
8970
8980
8990
9000
9010
9020
9030
9040
9050
9060
9070
9080
9090
9100
9110
9120
9130
9140
9150
9160
9170
9180
9190
9200
9210
9220
9230
9240
9250
9260
9270
9280
9290
9300
9310
9320
9330
9340
9350
9360
9370
9380
9390
9400
9410
9420
9430
9440
9450
9460
9470
9480
9490
9500
9510
9520
9530
9540
9550
9560
9570
9580
9590
9600
9610
9620
9630
9640
9650
9660
9670
9680
9690
9700
9710
9720
9730
9740
9750
9760
9770
9780
9790
9800
9810
9820
9830
9840
9850
9860
9870
9880
9890
9900
9910
9920
9930
9940
9950
9960
9970
9980
9990
10000

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000

sitam esse animam, mediâque naturâ factam, Platoni
ci dicunt. Sed antequâ ad compositionem eius ueniamus,
quæ nam quinque illa genera sint, explicemus.
Essentia, siue *ὄν*, formâ cuiusque rei subiectâ significat.
Idem uocatur illud, quod *ἑκόν* et *ἄλφ* congruit.
Alterû, id quod tum in se, tum ad aliud differt.
Status nominatur, cum suam quidque unitatem
retinet, eodemque modo permanet. Motus denique
progressio quedam est, à potentia rei ad actum aliquem
effluens. Hoc ita statuto, triplicem esse animi
essentiam unitate comprehensam dicunt: ita ut cum
eadem unaque sit anima, trifariam consideretur eius
substantia. Triplex autem illa substantia animi est:
ὑπόστασις, id est substantia: *δύναμις*, id est facultas:
ἐνέργεια, id est actio. Hec tria in animi compositione
quasi genera considerantur, quæ inter se de-
minuta quinario numero, unam efficiunt animam.
Nam ipsa quidem animi substantia trifariam consideratur,
uel ut substantia, uel ut substantia, uel harmonia, uel species:
ita ut substantia ipsum esse animi distinguat,
harmonia substantiæ partes concentus ac proportionem
contineat, species animi propriam uim ex ijs rebus
constitutam efficiat. Quod si ergo partes has omnes,
ex quibus anima conseruatur, inter se conseruas,
quinarium numerum inuenies: quia substantia,
harmonia, species, mutuo colligantur, unaqueque
animi substantia trifariam considerata illas completitur.
Siquidem tribus ex generibus, substantia, eodem,
altero, animam componi dicit Plato: et substantia
ad substantiam maxime refertur, harmonia ad idem,
species ad alterum. Quamobrem, ut omnia breuiter
explicemus, quando triplicem esse animi substantiam
diximus sub unitate quadam, singula genera ex quibus
ipsam componi dixeramus, sic erunt inter se affecta.
Triplex animi substantia, quam initio posuimus, in tria
hæc uelut prima genera distinguitur, in substantiam,
facultatem, et actionem: quoniam anima præter
essentiam suam multis est uiribus prædita, et in
actione aliqua uersatur semper. Secundò, substantiam
ipsam trifariam iterum diuidimus: in substantiam, in
harmoniam, in speciem, siue ideam. Ex his numerum
quinarium constituemus, hoc modo: ut primò sit
substantia, secundò harmonia, tertio species, quarto
facultas, quinto actio. Ergo cum quinque hæc genera
in animi constitutione consideremus, de singulis
illorum uelut capitibus Platonem agere ordine Proclus
inquit: in primis uidelicet, de animi substantia:
secundò de proportionem, rationemque partium:
tertiò, de illius forma et specie, quæ nam sit:
quarto, de eiusdem uiribus: quinto, de actionibus.
Quo nomine quinque illa genera in unica animi
essentia considerata, si rem uolumus intelligere,
ad animi solum tractationem explicandam conducunt,
nò quòd ex ijs uerè animus componatur (una enim
et eadem substantia animi est) sed quia ex eius uiribus
et actionibus genera illa considerantur. Nam substantiam
in illa ponimus, quo-

niam aliud esse ipsius essentiam, aliud uerò facultates
et actiones, ut uidere, intelligere, recordari, aliaque
huiusmodi cognoscimus. Item harmoniam eadem
tribuimus, non quòd ipsa harmonia quedam sit,
quod Plato negat in Phædone: sed quia magnam uirum
suarum proportionem seruet. Præterea speciem
in ea consideramus, tanquam formam quandam
essentiæ ac substantiæ ipsius. Quinetiam facultatem
siue *δύναμις* propter animi eiusdem uires, *ἐνέργεια*
siue actionem propter uim ipsam agendi animo
insitam, quam Aristoteles tum *ὁρίσσειν*, tum *ὁρίσσειν*
nominare solet. Hæc igitur sunt, quæ Plato
ad animi essentiam explicandam sumit in hoc sermone:
quemadmodum Proclus, ceterique Platonici
asserunt. Quia in tractatione numerorum proportionibus,
numeris harmonicis, figurarumque geometricarum
initijs utitur, ad ostendendam mediâ naturam animi
inter sensibilia et intelligibilia. Vi enim arithmetici
numeri, figurarum initia, harmoniaque partim
ratione intelliguntur, partimque in corporibus sunt:
ita anima tum intelligibilis, eiusdemque naturæ, tum
sensibilis et alterius dicitur. Ceterum cum Plato
dicit, animam ex intelligibili siue indiuidua, et sensibili
siue diuidua natura componi: minime quid intelligas
ex duorum illorum mixtione illam constare, sed
mediæ naturæ inter illa esse, ita ut cum eadem ab
utroque diuersa sit, tamen utriusque sit particeps.
Itaque primum natura indiuidua diuidua in se concentu,
ac proportionem quadam tertium quoddam medium
efficit, habitudo autem trium illorum inter se
animam. Quemadmodum in superioribus, cum de
analogia loqueremur, tres terminos proposuimus,
quorum communis habitudo analogia dicebatur:
eodem quoque modo ex tribus ijs principijs, eodem,
altero, et connexionem utriusque siue harmonia, ut
habitudo quedam animus nascitur. Nam ut idem
se habet ad alterum, et ad alterum idem, ita harmonia
media est ad utrumque. Sic enim fit, ut duo extrema,
idem, et alterum, et ultima fiant, et media, et
prima, si ratione diuersa consideremus. Ergo communis
habitudo ex tribus illis deducta animus efficit.
Siquidem anima intellectum, qui indiuidua natura
est, habet: ac sensum, qui diuidua. Quia in re
quæ obscurè Plato sinceritatè animi subtiliter do-
cet, cum tamen partim intelligi, partim in sensu ca-
dere aperte inquit. Qui etiam illum è triplici ortu
principio fecit, quoniam tria habet anima: substantiam,
quæ uerè est idem, siue naturæ intelligibilis: et
alterum, hoc est sensibilis. actum denique et potentiam,
quorum actus membris est proprius, potentia uerò
sensuum. Quare duo principia diuersissime naturæ
ad animi generationem Plato ponit, idem siue
indiuiduam naturam, et alterum siue diuiduam:
atque illud in Dei mente, à quo animi omnes
desunt, tanquam exemplar facit, ad cuius imaginem
animus eiusdem dicitur naturæ particeps: hoc in
corporea substantia mundi diuisibili in corpora collocat.
harmoniam

harmonia deniq; et speciem ex utroq; ortam, quasi
essentiam et subiectum statuit: ex quorū trium con-
nexionem inter se animum oritur. Quare animus sepa-
rata quaedam res ab ijs tribus erit, quasi habitudo.
nec enim eiusdē solum naturae erit, nec alterius scor-
sum, nec mixtus etiam ex utroq; sed respectu quodā
inter utraq; naturā medius, quasi species et forma.
Ex quo etiam intellige, animā à Platone specie seu
formā cum Aristotele vocari, cum ait: Ea cum tria
sumpsisset, in unam speciem omnia temperavit. Sed
ne quid restet difficultatis ad Platonis intelligentiā,
singula exponamus verba. Ex ea substantia, quae
indivisa est.) id est, ex intelligibili. Et ex ea
quae in corpora dividitur. id est, ex sensibili et cor-
porea. Tertiā substantiae speciem cōmiscuit me-
diam.) id est, aliam quandam essentiam ac formam,
partim intelligibile, partimq; sensibile efficit Deus:
hoc est, animam, quae respectu quodam media inter
duas illas naturas dicitur, non quod ex utraq; vere
misceatur. Ea cum tria sumpsisset, in unam specie
temperavit.) id est, animam quidem mediam fecit
ex tribus his principijs, eodem, altero, et connexio-
ne ita ut habitudo illa ex tribus terminis profluens,
anima sit, non autem connexio utriusq; solum. Vbi
naturam eius, quod alterum diversumq; vocamus,
commixtioni repugnantem, cum eo quod idem dici-
tur, ut quaedam conciliavit.) id est, Cum eadem, in-
divisaq; natura cōtraria omnino sit dividua, quip-
pe illa intelligibilis, haec sensibilis est, commixtae in-
ter se ambae proportionem quadam sunt, ad animi ef-
ficientiam constituendam. In quo utriusq; naturae pro-
prietatem Plato declarat, cum eandem naturam re-
pugnare alteri dicit, ut magnam intelligibilis sensi-
bilisq; essentiae differentiam demonstrat. Postquā
verō duo illa cum substantia commiscuit, et ex tri-
bus unam fecit, rursus ad totū in ea quae decuit mem-
bra partitus est, quorum quodlibet ex tribus, eodē,
altero, substantiaq; cōstaret.) Hinc poteris facile in-
telligere, animam non esse mixtum ex eodem et al-
tero, sed respectu illorum tanquam medium esse.
Verba haec, quoniam difficultatem asferre possunt,
quā brevissimē explicentur: siquidem ex illis ad
modum generationis animi deducimur. Prius ta-
men, quando animam mediam esse inter dividuam
indivisam quae substantiam dicimus, Platonico-
rum quorundam sententiae ea de re subiiciam, ut
eo quasi principio statuto, rem melius intelligen-
mus. Aristander, et Numenius, animam definire
numeri ex indivisa unitate, dualitateq; dividua
constitutam. Severus Geometricum subiectum ex
puncto individo, intervalloq; dividuo. Plutar-
chus et Atticus, dividuam naturam irrationale a-
nimi partem appellant, rationalem verō indivisā:
atq; illam velut subiectum esse, hanc velut formam
dicunt. Plotinus, mediam inter sensum ac mentē po-
nit animam. Theodorus duas intelligentias ponēs,
unam quae universales ideas contineat, alteram quae

singulares, mediam inter eas animam fecit. Proclus
deniq; animam inquit ratione quadam ex indivisa
divisaq; natura compositam à Platone dici, non
quod ex ijs vere cōponatur, sed quia respectu quo-
dam tum intelligibilis, tum sensibilis naturae parti-
ceps dicatur. Cum haec sit animi essentia breviter à
Proclo ex Platonis sententia explicata, quae nā tria
ista principia sint, quae ad eius generationem Deus
accepit, videamus. Tria itaq; sumpsisse Deum ad ani-
mi substantiā efficiendam, Plato dicit: idem, alterū,
et tertiā quandam naturam. Haec autem in Deo
tanquam ideā esse affirmat, ut Proclus annotat: quo-
niam tria illa non ab alio, sed à seipso tanquam pri-
ma causa, quae cuncta cōtineat, sumpsit. Ideoq; ipsa
quasi forma quaedam et idea una in Deo erant, ad
cuius imaginem anima esse particeps eorundem di-
citur. Nam ipsamet tria in Deo unum principium
sunt: in entibus verō, ut ita dicam, siue in anima, ut
tria cōsiderantur. Quo nomine nihil aliud per eadē
illa initia significare nobis Plato vult, quam ideam
animi partim intelligibilis, partimq; sensibilis natu-
rae in Dei mente sitam, quam ad animae effectiōnem
sumpsisse tanquam exemplar intelligit. Iam verō
ecquid nam verba illa significant? Postquam verō
illa duo cum substantia commiscuit, ex tribus unam
fecit? Duo illa sunt, idem et alterum: quae Plato
cōmixta fuisse inquit, ad animi generationem. eadē
autem cum substantia fuisse composita inquit, ut u-
nam quandam ex tribus initijs formā constituerent:
quoniam substantia omnis, ut Proclus ait, identita-
tis alteritatisq; particeps sit. Vnde cum tria princi-
pia, scilicet idem, alterum, et connexionem utrius-
que in substantia, à Deo fuisse sumpta ad animi pro-
ductionem Plato dicit, hoc solum significare nobis
vult, substantiam esse velut genus, eandē tamen tum
intelligibilem siue eiusdem naturae, tum sensilem si-
ue alterius esse: inter has verō duas substantiae par-
tes animam esse mediam, eamq; unam et simplicem.
Quamobrem his ita expositis, hoc solum ad Plato-
nis intelligentiam considera, animam mediae natu-
rae esse, partimq; sensilem, partim intelligibilem ap-
parere: ideoq; mediam ex indivisa, divisaq; sub-
stantia factam, à Platone dici. Nam substantia qui-
dem omnis vel intelligibilis et incorporea est, vel
sensilis et corporea, quemadmodū in Categorijs A-
ristoteles dividit. Cum autem idem et alterum cum
substantia commixtum animam efficere, ipsamq; ex
tribus ijs initijs constare Plato dicit, idem est ac si
dicat, universam essentiam, tam intelligibile quā
sensilem, trifariam considerari ad animi naturā ex-
plicandam: uno quidē modo, quatenus essentia est:
altero, quatenus intelligibilis: ultimo, quatenus sen-
sibilis. Inter haec tria genera versari anima dicitur,
quoniam substantia sit, eademq; sit tum intelligibilis
naturae similis, tum etiam sensibili. At verō substantia
animae una cum sit, trifariamq; cōsideretur, tres in
partes dividitur à Platone: in idem, alterum, et sub-
stantiam,

stantiam, cum ait: Rursus ad totum in ea quæ decuit membra partitus est, quorum quodlibet ex tribus eodem, altero, substantiaq; constaret.) id est, Cum animi substantiâ ex tribus generibus Deus unum esse, isset, ad ostendendam illius generationem, in ea quæ decuit membra diuisam fuisse illâ inquit: ita ut, cum tota anima ex his tribus, eodẽ, altero, & essentia constaret, partes etiã ipsius constarent tem-
 peratione quadam partiũ facta. Sed hæc omnia bre-
 uiter ita proposuisse satis sit. nam in ipso Platonis
 contextu res melius explicabitur, cum ad animi cõ-
 positionem deueniemus.

Fuit autem talis illa partitio. Vnam principiò accepit ex uniuerso portio-
 nem. Secundam autem, primæ partis
 duplam. Deinde tertiam, quæ secundæ
 sesquialtera esset, primæ tripla. Postea
 quartam, secundæ duplam. Quintam
 deinceps, tertiæ triplâ. Sextam primæ
 octuplam. Postremò septimam, quæ
 partibus sex & uiginti primâ excede-
 ret. Post hæc dupla & tripla interualla
 repleuit, partes rursus ex toto defecãs.
 quas interuallis ita locauit, ut bina es-
 sent in singulis media, siue, ut ita dixe-
 rim, medietates: quarum una eadem
 parte excedit alterum extremorũ, ea-
 dem ab altero superatur. Altera medie-
 tas pari numero extremum unum su-
 perat, pari superatur ab altero. Cum ue-
 rò sesquialtera interualla, sesquitercia
 & sesquioctaua sumpsisset, ex his nexi-
 bus in primis spacijs, sesquioctauo in-
 teruallo sesquitercia omnia explebat,
 particula singulorũ relicta. Huius aut
 particule interuallo assumpto, ea inde
 habebatur numeri ad numerum in ter-
 minis comparatio, quæ est inter du-
 centos quinquaginta sex, & ducentos
 quadraginta tres.

Quo pacto mundi anima, ceterorumq; animan-
 tium componatur, arithmetici, musicisq; propor-
 tionibus Plato in his docet: non quòd illa uerè ex ijs
 numeris cõponatur, ut antea diximus, sed quia nul-
 lã alia ratione eius essentia uiresq; magis explicari
 possunt, quàm si ijs proportionibus demonstrantur.
 Quomodo autem anima ex proportionibus nume-
 rorum nascatur, Plato, quamuis obscure, nos do-
 cet. dum tres uel quatuor sesquialteras sesquiquar-
 tasq; proportionibus, proposito quodam ordine con-
 iungere præcipit. Quia in re cum arithmetici, mu-
 siq; rationibus utendum frequenter sit, ne igna-
 ros eius rei difficultas deterreat, Mathematicorum
 more singula ordine declaremus. Ac in primis defi-


nitiones nominum hoc in loco propositorum tradi-
 mus: deinde proportionum genera, tam arithmeti-
 cæ quàm musicæ, tum figurarum numerorumq; de-
 monstrationem ad Platonis uerba explicanda: ulti-
 mò, physicarum earum rationem inquiremus. Itaq; ut
 definitiones nominum exponamus: sonus, siue $\phi\acute{o}\nu\varsigma$
 $\gamma\epsilon\tau$, est numerus melodijs aptus, diuiditurq; in gra-
 uem & acutum. grauis sonus est remissus ac tardus,
 acutus autem uelox. Interuallum, siue $\alpha\iota\tau\epsilon\lambda\lambda\alpha$, est
 habitudo quedam spaciolorum grauis & acuti soni.
 Spacium appellamus, chordam, neruum, expiratiũ
 aerem, et quicquid est à quo sonum educimus. Com-
 positio, seu $\sigma\upsilon\gamma\eta\mu\alpha$, est congruentium sonorum ex
 aptis proportionibus sonantium connectio. Propor-
 tio, est habitudo rationũ, ex diuersis terminis pro-
 fluens. Tonus, est consonantie principium, ex pro-
 portione sesquioctaua ad sonum proueniẽs. Semito-
 nium, siue $\eta\mu\epsilon\tau\acute{\iota}\tau\omicron\upsilon\varsigma$, est sonus tono minor. Semitonium
 minus, siue $\delta\iota\sigma\iota\sigma\iota\varsigma$, est minor toni pars. Atque huius-
 modi semitonium Plato $\lambda\acute{\epsilon}\iota\mu\alpha$ uocat. Semitonium
 maius, est maior toni pars. His ita propositis, bre-
 uiter de proportionibus Arithmeticiis Musicisq; al-
 ter quid dicamus. Proportio quidem, cum habitudo
 quedam ex collatione numerorũ inter se sit, qua-
 tuplex ab omnibus esse dicitur. diuiditur enim in
 tres simplices, & duas compositas. Prima propor-
 tio est ea, quæ multiplex uocatur, quoniam nume-
 rus maior minorem aliquoties exactè continet: ut du-
 pla, tripla. Eademq; inuenitur in naturali numero-
 rum serie, si numeri omnes pares, imparibus inter-
 misis, sumantur: ut 1. 2. 3. 4. 5. 6. Secunda est su-

perparticularis, quæ tunc fit, cum maior numerus
 minorem continet semel, ac unam insuper minoris
 particulam: ut sesquialtera, sesquitercia, sesquiquar-
 ta. Tertia, superpartiens, cum maior minorem semel
 complectitur, et minoris insuper partes aliquot, uel
 duas, uel tres, quæ prout minoris partes habuerit,
 ita nominabitur: ut super bipartiens, si duas habeat:
 supertripartiens si tres: superquadripartiens, si qua-
 tuor. Ex his tribus proportionibus simplicibus due
 aliæ componuntur, Multiplex superparticularis,
 multiplex superpartiens: de quibus dicere, ad hunc
 locum non pertinet. prolixũ esset enim, omnia per-
 sequi. Ex omnibus ergo ijs proportionũ generibus,
 multiplex præcipuè concentibus apta est. Iam
 uerò, quando Musica ex Arithmetica oritur, &
 symphonia nihil est aliud quàm numeri sonori pro-
 portio, quo pacto symphonie Musica ad propor-
 tiones illas Arithmeticas iam explicatas accommo-
 demur, uideamus. Ex omnibus numerorum pro-
 portionibus, auctore Macrobio, & Boetio, sex po-
 tissimum ad concentum efficiendũ accommodantur:
 nimirum Epitritius, Hemiolius, Duplus, Triplus,
 Quadriplus, Epogdow. Epitritius, siue sesquiter-
 tius est, cum minorem numerum maior conuincit se-
 mel, &

mel, et tertiam insuper illius partem: ut 4. 3. quaternarius ternarium semel continet, et semel etiam unitatē. Hemiolius, siue sesquialter est, cum maiorem continet semel, et mediam eius partem: ut 2. 3. Vtraque proportio ad superparticularem refertur, musicaeque accommodata nomen mutat. nam sesquitercius *διαισάσθωρ*, sesquialter *διανότι* uocatur. Quinetiam duplus est, cum minor numerus in maiori bis continetur: ut 2. 4. uocaturque à Musi-
cis *διπασσῶρ*. Triplus est, quando minor à maiori ter comprehenditur: ut 1. 3. diciturque *διπασσῶρ*, καὶ *διανότι*. Quadruplus est, cum ex duobus numeris maior minorem quater complectitur: ut 1. 4. idemque *Δις Διὰ πασσῶρ* appellatur. Hæ omnes proportionales ad Multiplicem referuntur. Epogdous, siue sesquioctauus est, cum maior numerus minorē semel continet, et eius octauam partem: ut 9. 8. qui tonum efficit integrum, referturque ad superparticu-
larem proportionem. Ecce igitur ex proportionibus Arithmetiis sex numerorū rationes Musicae apte desumptæ sunt, ex quibus quinque symphonie constituuntur, quas tonus ipse continet. Eadem autem sunt hæ: Diatessaron, quæ ex duobus tonis et semitonio constat, respondetque sesquitercie proportioni: Diapente, quæ ex tribus tonis et hemitonio fit, referturque ad sesquialteram: Diapason, quæ ex sex tonis constituitur, respondetque duplæ proportioni: Diapason diapente, ex nouem tonis et semitonio
constat, ac subest triplæ: Diadapason, continet duo decim tonos, sique ex quadrupla. Sed quoniam magna hic apud Platonem mentio toni fit, pauca de illo subiiciamus, quo pacto fiat, quomodo uel diuidatur. Tonus est, ut diximus, symphonie principium: idem autē ex proportionē sesquioctaua constituitur, quoniam Musici ueteres octo solū chordis utebantur, ideoque Epogdous à Platone dicitur: ut 8. 9. Nouenarius semel continet octonariū, et octauam eius partem. Tonum in duas partes diuidi posse, omnes negant: quoniam è nouenario constat, qui in duas partes æquas diuidi non potest. Quo fit, ut in duas diuidatur partes inæquales, quæ semitonia dicuntur, à Platone uerò *λείμματα*. minor tamē toni pars à Pythagoricis Diesis uocata fuit, eademque à sesquitercia proportionē duobus sonis superatur. maior demū, quam Apotomen appellant, est maior reliqua toni pars, quæ ipse superat minus semitonium. Ex his patet, tonum diuidi in duas æquales partes non posse: cuius rei demonstrationem breuiter adiungamus, ad maiorem Platonis intelligentiam. Primum ex propo-
sit. 8. lib. 8. Euclidis constat, nullam superparticularem proportionem in duo æqualia diuidi posse, geometrica nimirum ratione, non autem arithmetica. Deinde uulgare est receptumque à Musicis postulatū hoc: Eandē esse proportionem soni ad sonum, quæ est spaci-
orum interualli

inter se. Hoc ita statuto, iam id sequitur: Tonus ex superparticulari proportionē nascitur, est enim sesquioctauus: superparticularis autem proportio diuidi in duo æqua non potest: ergo neque tonus diuidetur. Vnde errare quidem Martianum Capellam in lib. de Musica manifestum est, qui tonum in duo æqualia, et in tria, quatuorque diuidere conatur. Sed cum ad huius loci interpretationem satis sit, rem breuiter attigisse, plura dici non oportet. Iam uerò quoniam ad concentuum compositionem genera harmoniarum explicari oportet, triplicem esse harmoniarum rationem aduertendum est: Diatonicam, Enarmonicam, Chromaticam, quemadmodum Plutarchus in lib. de Musica docet. Diatonicum genus est, cum partitio eius per semitonium minus, et duos tonos continuè progreditur. Enarmonicū, quod per duas dieses, siue minoris semitonij medietates, procedit. Chromaticum, quod per duo inæqualia semitonia, et tria semitonia siue *τρίμινα* sonorum, ut uocant, conscendit. Ad hæc tria genera instrumenta omnia Musica rediguntur, quoniam ex his harmonijs iam dictis componuntur. Sed quamuis diuersissima sine instrumentorum genera, philosophi tamen his tribus potissimum utuntur, Monochordo, Tetrachordo, et Polychordo: ad quæ reliquorum instrumentorum compositionem referunt. Igitur ex ijs omnibus Plato Diatonicam harmoniam sumpsit, utpote nature magis consentaneam, in qua Tetrachordum quoduis per semitonium minus, et duos tonos procedit: quoniam à semitonio minori, quasi à materia tenui, ad ualidiore tonum, uelut ad maiorem substantiæ uim progreditur. Ergo cum in ijs tribus generibus instrumenta omnia uersentur, Plato, ut Proclus explicat, Diatonicam harmoniam elegit, diatonoque solum siue duobus tonis utitur, cum sesquitercias, sesquioctauas, semitoniaque siue limmata aut dieses implere iussit. His etiam breuiter illud addamus, de sonorum ratione à Musicis explicatum: nimirum altissimum grauissimumque sonum à Musicis Hypaten uocari, sequentem Parhypaten, tertium Lychanon, quartum Mesen, quintum Paramesen siue Triten, sextum Paraneten, septimum Neten: qui omnes soni musicum concentum efficiunt. Quibus ita in uniuersum explicatis, ad Platonis uerba enarranda, demonstratione quadam utamur, quam Platonici plerique adducere solent. eadem autem huiusmodi erit. Triangulus describatur, in cuius apice sit unitas: in utroque autem eius latere terni numeri collocentur, in uno quidem pares, in altero uero impares. itaque ex parte altera ternarius scribatur, deinde nouenarius, tum uigessimus septimus. itē ex altero latere post illam ipsam unitatem binarius collocetur, deinde quaternarius: postremo octonarius. Iidem autem numeri oppositi esse inter se debent, ita ut ex utroque latere mutuo sibi respon-
deant.

Ecce




Ecce igitur in hac figura
proportiones omnes, quas Pla-
to dicit, demonstrare possu-
mus. Nam in uno latere nume-
rorum parium, si ab unitate au-
spicemur, statim sese offeret bi-
narius unitatis duplus, deinde quaternarius duplus
binarii, postremo octonarius quaternarii duplus;
ergo pares omnes dupla proportiōe sese cōsequun-
tur. Iam uero in altero latere imparium numerorū,
post unitatem est ternarius triplus, deinceps noue-
narius triplus ternarii, ultimō uigessimus septimus
nouenarii quoque triplus. Itaque in hoc latere triplam
proportionem numeri omnes seruant. Igitur tota
animi essentia, ex qua cōpositus à Deo est ille, septe-
nario numero continetur, & ex parium impariumque
connexionē cōstituitur, quoniam septenarii numeri
uis ad rerum generationem magnam uim habet. Sed
ut proportionēs ipsas in figura illa iam descripta de-
claremus, in primis sanē Plato partē unam ex uni-
uerso à Deo sumptam ad animi generationem fuisse,
inquit. eadem autem per unitatem illam in triaguli
apice positam significatur. Deinde secundam partē
primæ duplam fuisse additam, hoc est, binarium uni-
tatis duplum: tunc tertiam partem secundæ duplam,
ac primæ triplam, id est ternarium: deinceps quar-
tam secundæ duplam, hoc est, quaternarium: mox
quintam tertiæ triplam, uidelicet nouenarium: pre-
terea sextam primæ octuplam, id est octonarium: po-
stremo septimam, quæ partibus uigintis sex primam
unitatem excedat, hoc est uiginti septē. Quare pars
prima est unitas, secunda huius dupla 2, tertia pri-
mæ tripla, & secundæ sesquialtera, 3, qui ad 2 est
sesquialter, & ad 1 triplus. Quarta secundæ dupla
4, qui ad 2 est duplus. Quinta est 9, quæ tertiæ tri-
pla est, nam 9 ad 3 comparatus triplam habet pro-
portionem. Sexta est 3, qui primæ, hoc est unitatis
octuplus est. Septima est 27, primam unitatē uigin-
tis sex partibus superans. Atque hac figura nobis pro-
posita, tota animi cōpositio ex septem illis partibus
facta intelligitur. Sed ut physicam nos huius rei ra-
tionem simul cum Mathematicis demonstrationib.
declaremus, per numeros quidem illos impares na-
turam indiuiduam intellige. Impares enim diuidi ne-
queunt, ideoque substantiæ indiuiduæ accommodan-
tur. per pares diuiduam cogita, siquidem pares nu-
meri in diuisionem cadunt. Ut autem hi numeri di-
uerse sunt nature, ac inter se collati uarias pro-
portiones complectuntur, unumque quasi concentum
efficiunt: ita animi essentia media inter diuiduam in-
diuiduamque naturā diuersas habet uires, magna pro-
portione cōcentumque connexas. Quod autem omnia
quæ sunt, ex diuidua indiuiduamque natura consent,
Plato ipse tum hic, tum in Philebo docet: idemque Py-
thagoricus Philolaus confirmauit, qui omnia quæ
sunt, uel infinita uel finita esse dixit: per infinitatem
quidem pares numeros, qui diuiduæ nature sunt, in-

telligēs: per finitatem, impares & eiusdem nature.

Sed ut ad illam ipsam figurā redeamus, quas pro-
portiones, concentumque musicos reperire in ea possi-
mus, declaremus. Id primum in illa considerandum
est, tot proportionum capacem esse numerum mul-
tiplicem, quot locis ab unitate distat in naturalī nu-
merorum serie. ut primus multiplex est binarius, in
eadem: bis enim cōtinet unitatem, ideoque multiplex
dicitur. hic unum sesquialterum habet, nimirum 3.
nam 2 ad ternarium comparatus, sesquialteram ha-
bet proportionem. ternarius autem quoniam diui-
di nequit, nullumque medium habet, ad quod compa-
retur, ad nullum alium est sesquialter, præterquam
ad binarium. Iam uero 4, secundus multiplex est,
binarii nimirum duplus: hic tamē nullum habet ses-
quialterum in figura illa. tertius multiplex octona-
rius, ad 4 est duplus, ad 2 quadruplus: idem autem
nullum sesquialterum habet. Atque id sanē in serie pa-
rium numerorum intellige. Sed ut uno uerbo con-
cludam, aduertendū etiam est, in triangulo illo hanc
esse rationem seruandam, ut in unoquoque latere
proportiones duplas, triplasque queramus: deinde
collatis inter se ambabus, sesquialteras. Nam in nu-
merorum parium serie omnes sunt dupli, in ordine
imparium omnes sunt tripli: sed si pares cum impari-
bus conferas, sesquialteros inuenies, ut am ea decla-
rauimus. Præterea in eadem quoque figura non mo-
dò proportionēs illas iam explicatas inuenies, sed
harmonicas etiam omnes: quas tamen antequam ex-
plicem, breuem quandam proportionum siue medie-
tatum rationem ostendam. Triplicem in superiori-
bus medietatem seu proportionem proposuimus: Ar-
ithmeticam, cum æqualis in omnibus numeris ex-
cessus seruetur: Geometricam, cum eandem seruant
numeri omnes proportionem: Musicam, in qua eadē
est proportio differentiarum in numeris propositis,
quæ est excessus eorundem. Quod si ergo tres illas
medietates in quibusque numeris inuestigare uelis, u-
namquaque sic quære. Arithmetica inuenietur, si
duos terminos propositos coniungas. nam productū
ex illis numeri mediā pars medietas ipsa erit: ut si 10
& 40 proponas, alterum alteri coniunge, efficiens
50. huius mediā pars 25, arithmetica medietas est.
Geometricam hoc modo inuestigabis. primò nu-
merum proportionis inter duos terminos inueniæ diui-
de, mediāque pars diuisi medietatem Geometricā in-
dicabit: ut 10 & 40, quadruplā habent proportio-
nē. Ergo diuiso numero proportionis, nimirum 40,
mediā eius pars, uidelicet 20, Geometrica est medie-
tas. Musicam denique medietatem sic inquires primò
duorum terminorum propositorum differentiam in-
ter multiplicem seu maiorem terminum, & minorem
numerum, nota: postea coniunctis in unam summā
illis duobus, differentia utriusque eorundē summam
diuide per summam duorum extremorū, ac produ-
ctus ex ijs numerus minori termino additus, medie-
tatem ipsam ostendet: ut 10 ad 40, differentiam ha-
bet 30,


bet 30, quæ differentia in minorem terminum, hoc est in 10 ducta, 300 efficit. Postea uero duobus ijs terminis 10 et 40 coniunctis, efficitur 50. quæ rursus si per 300 diuidas, prodibunt 6: quos si minori termino, hoc est 10 addas, habebis 16 medietatem Musicam. Cum igitur tres sint medietates, nunc harmonicam medietatem in figura illa supra descripta demonstramus, quando Geometrica iam retulimus. In primis inter octonarium et nouenarium sesqui octauam proportionem inuenies, quæ tonum efficit nouem Musis respondentem. Præterea inter 2 et 3 sesquialtera est proportio, quæ eadem est diapente. Inter 3 et 4, sesquitercia diatessaron constituit, inter 1 et 2 et 4, ac 2 atq; 8 et 4, dupla est proportio, quæ diapason parit. Item inter 3 et 1, et 3 ac 9, et inter 9 ac 27, tripla gignit disdiapason. Ecce igitur in figura illa non modo Geometricæ medietates, sed Musicæ quoq; inueniuntur, ex quibus totam animi compositionem intelliges. At uero, cur nam hoc in loco per trianguli figuram, perq; numeros et concentus, animi ortus explicatur? Primò, triangulus animo quadrat: quia ut triangulus ab uno apice in duo latera distinguitur, ita anima ab una intelligibili diuinaq; natura profluens, ad corpoream diuisibilemq; deuenit, siquidem ab intelligentia ad rationem, sensum, ac uegetandi uim progreditur. Secundò, numeri cõcernusq; animo tribuuntur: quia ut illi mobiles sunt, ita quoq; hic principiũ est motus: et ut illi incorporei, ita hic corporis expers. Iam uero, cur nam septenario numero ad animi generationem demonstrandam utitur Plato? Tum quia in Musica ad septimum usq; gradum omnis uocum discrepantia progreditur, indeq; regreditur: tum quia numerus septenarius magnã uim in rebus naturalibus habet. Constat enim ternarijs duobus, et unitate, quæ illos duos coniungat: ideoq; à Macrobio lib. 1. in Somn. Scip. perfectus plenusq; numerus appellatur, cuius perfectione à Platone, Pythagoricisq; omnibus traditam, explicare hoc loco nõ oportet. Sed quid nam per proportionem illas numerorum significare nobis uult Plato? Certè per unitatem initio propositam, animi substantiam unam, ac simplicem: per binarium, unitatis duplum, intelligentiam: per ternarium, rationem: per reliquas demum proportionem Musica medietate connexas, diuersas animi uires magno inter se consensu deinceps. Ac si singula cõferre inter se uolumus, cū sex sint apud Platonicos animi uires, uoluntas, intelligentia, imaginatio, ratio, gignendi facultas, connectendiq; uis, atque ipsemet animus unam habeat essentiam, profecto unicuiq; parti singuli numeri in proposita figura respondebunt. Nam cum unitate proposita, animi unitatem cõferemus: uoluntatem cum infinitate, quæ sub unitate quoque intelligitur: intelligentiam cum ternario, hoc est binario: imaginationem cum alteritate, quæ per binarium etiam explicatur: rationem cum identitate, hoc est ternario: generandi fa-

cultatē cum motu, qui etiam ternario tribuitur: connectendi deniq; uim cum statu, hoc est quaternario. Igitur in ijs omnibus numeris animi uires aperte cernuntur, ut in hac figura patet.



Itaq; essentia uelut unitas, reliquas omnes partes cõplectitur, estq; uerus concentus ex sesquialtera proportione. Deinde infinitas, hoc est unitas, duplum habet terminum, hoc est 2. Item alteritas, siue binarius, identitatem, hoc est 3, in sesquialtera proportione. Vltimò motus, qui ternario describitur, statum, hoc est 4, habet in sesquitercia. Ecce omnia illa quinque genera, ex quibus componi animam supra diximus, uidelicet essentia, idem, alterum, motus, status, ad duo hæc, infinitatem ac terminum referuntur: quoniam per infinitatem diuiduam naturam, per terminum indiuiduam intelligebant Pythagorici, quemadmodum de Philolao diximus. Siquidem, ut Proclus annotat, Plato putauit cum Pythagoricis, ex eadem natura et altera omnia gigni, et identitatem termino, infinitati alteritatem tribuit. Ex uniuerso unam partem accepit. Id est, ex tota illa principiorum animi quasi connectione, unam partem sumpsit: hoc est, totam animi substantiam composuit, quam in uarias postea uires diuisit. Nam cum ait, ex indiuidua diuiduq; substantia ortam esse animam, quinque illa principij genera à nobis prius relata intelligit, essentiam, idem, alterum, motum, statum. quamuis eadem illa ad tria solum alia, uidelicet idem, alterum, et essentiam reducantur. Siquidem ad idem sequitur status, firmitasq; identitatis: ad alterum, motus, id est abcessio illa identitatis ad alteritatem. Itemq; per idem essentiam significat, quæ in se eadem est: per alterum, diuisionē essentiae, in uires alias, quæ quanquam una eademq; sit, ratione tamen distinguitur. Ideo Plotinus in libro de Animi essentia, nihil aliud esse inquit, animā ex indiuidua diuiduq; substantia compositā dici, quam essentiam animi partim apud superiores permanere, partimq; ad inferiora deduci: quæ tamē et simul inde dependeat, et se interim ad hæc usq; propaget, uelut è centro linea deducitur. Siquidem anima mundi ab una illa anima in idea Dei posita pendens, ac perpetuò defluens, totum mundum agit, illiq; sese admiscet. Post hæc dupla, triplaq; interualla repleuit, partes rursus ex toto desecans: quas interuallis ita locauit, ut singulis bina media inessent. Hactenus de numerorum proportionibus, medietatibusq; dictum generatim est: numerorumq; rationem animi uiribus accommodamus. Nunc à Platone iubemur, duplas, triplasq; numerorum

merorum eorundem proportionibus alijs rursus proportionibus medietatibusq; implere, ut intervalla biantia in septenario illo numero trianguli propofiti Musici medietatibus cōpleantur, copulemurq; inter se, quemadmodum & omnes animi vires magna inter se sunt partium consensione copulate. Quamobrem, ut nos id apertè declarem, alium quoq; triangulum superiori similem describamus, in quo eadē numerorū ratio scructur, sintq; in altero latere pares dupliq; numeri, in altero impares & tripli: preterquā quod maiores sint numeri illi, quo melius intervalla replcantur. Quin etiam in eodem intervallū duplarum, triplarumq; proportionum, sesquiterijs, sesquialteris, sesquioctavisq; repleti debent, tum ut proportionēs omnes mutuō colligentur, tum ut concentum quendam musicum edant. Esto igitur trianguli figura huiusmodi, ut in eius apice 6 describatur. post huius duplus 12, duobus medijs intermissis, nimirum 8 & 9, tum eiusdem 12 duplus subscribatur, 24. interiectis etiam duobus bis, 16 & 18. item huius 24, alius duplus eodem ordine collocetur, nimirum 48, adiectis in medio 32 & 36. Atq; hoc modo duplorum intervalla, intermissis semper duobus numeris proportionalibus, replcantur in uno latere, quod prioris trianguli lateri respondeat, in quo dupli erant numeri. Iam uerò in altero illi opposito idem fiat, ut triplorum intervalla duobus semper interpositis impleantur, hac ratione. Primò senarij illius qui est in trianguli apice, triplum subiunge 18, interpositis his 9 & 12. Similiter eiusdem 18 post duos alios numeros 27 & 36 collocetur 54 triplus. Huius etiam 54 triplum adde, 162. intermissis quoq; 81 & 108. Ecce igitur in utroq; latere & dupla, & tripla intervalla suas habent interpositas medietates, quibus copulemur, ut in hac figura liquet:



Verum ut singulas nos ordine proportionēs demonstramus, numeros omnes à summitate ad trianguli basim descriptos con-

feramus. Primò in duplorum numerorum ac parium latere id perspiciamus hoc modo. Senarij numeri duplus est 12, inter utrumq; tamen 8 & 9 interpositi, & Musicam medietatem efficiunt, & hians intervallum replent. Nam ut 12 ad 6 duplam habet proportionem, sic eius intermedia ad extremum utrumq; collata, sesquialteram, sesquiterciamq; habebunt: ut 4 ad 8 est sesquialter, & 12 ad 9 est sesquitercius. Item ordine commutato 8 ad 6 sesquialter est, sed 12 ad eundem 8 sesquitercius. Deinde discrimen inter 8 & 12 est quaternarius, discrimen uerò inter 8 & 6 est binarius. Ut ergo dif-

ferentia quaternarij ad binarium se habet, in dupla uidelicet proportionē, sic etiam extrema dupla habent proportionem. Preterea si 9 ad 6 conferas, & 9 ad 12, ille sesquialter, hic sesquitercius proportionem habebit. nam 9 ad 6 est sesquialter, & 12 ad 9 sesquitercius. Postremò 8 ad 9 sesquioctavam proportionem habet, quæ cōcentum efficit. Vides ergo in duplorum numerorū intervallis duas medietates, sesquialteram & sesquiterciam proportionem habētes, quas tonus siue harmonica proportio connectit. Quia in re non harmonicam solum medietatem, sed etiam arithmeticā eadem ratione possumus inuenire. Nam 6 ad 12, medietas est arithmetica: siquidem 9 superat 6 ternario, & 12 superatur eodē ternario. Hoc igitur modo si per omnes numeros dupla proportiōe descriptos procedamus, cōnectamusq; semper duos extremos inter se, duplam proportionē habentes duobus medijs, quorum alterum sit sesquialterum, alterumq; sesquitercium, & intervalla biantia replebimus, & sesquioctavam proportionem, siue tonum Platonis precepto producemus. Ut in eodem illo ordine 12 numeri duplus est 24: sed illorum duorum media sunt, 6 & 18, quæ eandem habent differentiarum proportionem, quam extrema sua. Nam 16 ad 12 sesquialter est, & 24 ad 16 sesquitercius. Itaque tertia sui parte alter numerus alterum excedit. nimirum 18 superat 12 quaternario, & 24 quoque 18 senario. Quod si ergo illos inter se conferas, ut 16 ad 12 se habet, sic etiam 24 ad 16: hoc est, 16 superat 12 quaternario, & 24 octonario 16, quæ dupla itidem proportio est, ut duorum extremorum. Preterea 18 à 24 senario superatur, hoc est tertia sui parte: ipse uerò 18 superat 12 eodem senario. denum ipsa inter se media colligata sesquioctava proportionem habebunt, ut 18 ad 16 comparatus octava sui parte illum superat. Atqui hoc modo in duplorum latere sesquialteras, sesquiterciasq; proportionēs inuenies, easq; sesquioctava copulabis. In quo tamen considera, ut duorum extremorum numerorum duplam proportionem habentium duo intermedia cōferas, alterum uidelicet mediū alteri extremo, atq; alterum eorum alteri. sic enim in ea mediorum collatione cum extremis sesquialteras, sesquiterciasq; prodibūt: tum sesquioctavam in comparatione mediorū inter se inuenies facillimè, ut exemplo docuimus. Sed ut idem in triplorum numerorum latere demonstramus, 18 quidem triplus est ad 6, duo uerò media interiecta sunt 9 & 12, ex quibus 9 ad 6 sesquialter est, at 18 ad 12 sesquitercius. Quod si ergo media cum extremis conferas, singulorum differentie eandem habebūt rationem, quam extrema ipsa inter se: hoc est, 9 superat 6 ternario, sed ab 18 superatur nouenario. Ut ergo nouenarij ad senariū differentia est ternarius, sic etiam ipsius 9 & 18 differentia est 9, triplum uidelicet prioris differentia, quæ proportio eadem est cum duobus extremis

extremis. Atq; haec est Musica medietas, 9 nimirum. Sed medietas arithmetica est, 12 ad 6, & 18 ad 12 comparatione facta. Ergo in triplorum & duplorum latere obseruanda ratio illa est, ut utriusq; medietatis cum alterutro extremorum proportio notetur: deindeq; ut medietates ipsas communi uinculo connectamus. nam in sesquialteris proportionibus diapente, in sesquiterijs diatessaron, in collatione utriusq; medij, siue in sesquioctaua tonus inuenitur. Quamobrem hac ratione duplorum, triplorumq; interualla repleri debent. Sed ante omnia opus est, trium medietatum, Arithmeticae, Geometricae, Musicae, ac proportionum rationem teneamus. At illud interim hoc loco monendi sunt lectores, medietates quidem illas duas, quas duplis, triplisq; interuallis interponimus, non esse harmonicas solum: sed illarum alteram arithmetica, alteram harmonicam. Sed nos iam ad Platonis uerba redeamus, ubi propositis duplis triplisq; proportionibus, singula interualla impleri dicit duabus medietatibus, ita ut singula duas habeant medietates, quas *μεσότητες* uocat: quarum una extremitates superet eadem sui parte, inuicemq; superetur eadem ipsa: hoc est, arithmetica medietas sit, cuius hoc proprium est, ut aequali interuallo numeri sese superent, superenturq; inuicem: ut in iisdem numeris 6 9 12 nouenarius senariū superat ternario, idemq; a duodenario eodem ternario superatur. Itaq; cum idem Plato ait,

Quarum una eadem parte excedit alterum extremorum, eadem ab altero superatur. (arithmetica medietatem intelligere oportet. Cum uero paulo post inquit, Altera medietas pari numero extremum unum superat, pari superatur ab altero.) harmonicam intelligit, cuius etiam proprium est, ut propositis duabus extremitatibus, inter quas est medietas, eadem parte, superetur minor extremitas a suo medio, qua medium maioris extremitatis superatur a sua maiori: hoc est, simili proportionem medius terminus superet, & superetur. Ut tribus his numeris propositis 3 4 6, illi quidem 3 & 6 extremitates sunt, medium uero 4, quod a maiori extremo 6 superatur eadem proportione, qua ipse minorem terminum, scilicet 3 superat. Nam 6 superat 4 binario tertia sui parte. at 4 superat 3 tertia quoq; parte: quo fit, ut 4 medium & superetur a maiori extremitate, & superet minorem ipse.

Cum uero sesquialtera interualla, sesquitertia, & sesquioctaua sumpsisset, ex ijs nexibus in primis spacijs sesquioctauo interuallo sesquitertia omnia explebat, particula singulorum relicta. Hoc est, Duplarum, triplarumq; proportionum interualla sesquialteris & sesquiterijs, sesquioctauisq; impleuit Deus, collatis nimirum inter se medietatibus, ut docuimus: ita ut ipsae sesquialtere, sesquiterciaeque proportionum interualla biemia impleant, interuallum tamen ipsarum medietatum sesquioctauis compleatur, ac nihil uacuum relinquatur, dum du-

plorum triplorumq; interualla medietatibus, medietates communi sesquioctauae uinculo connectantur, id quod nos antea explicuimus. Sed quoniam ad sesquioctauam proportionem implendam, tonumq; ex intermediarum numerorum comparatione efficiendum, sesquiterciae rationes non modò ex duobus tonis fiunt, sed ex semitonio etiam minori addito, quod Pythagorici Diesis, ac Plato *λίμνα* hic uocat, particulam quandam ex sesquiteriiae relicta inquit, quasi ex ipsis sesquiterijs descriptam, quae saorsum seruata unum postea concentum efficit, ut in horum triplorum 6 & 18 interuallo medietates quidem 9 & 12 sesquialtera & sesquitercia extremos numeros coniungunt, ipsae uero sesquioctauo connectae unum quiddam relinquunt. Nam 12 ad 9 seruata unitate ab ipso 9 sesquioctauam habet proportionem, quasi uinculum. Siquidem 12 octonarium semel, atq; dimidiatum sui parte continet. Hoc modo igitur in triplorum duplorumq; interuallis particula quaedam ex sesquiterijs relinquatur, de qua Plato ipse nos edocebit.

Huius autem particulae interuallo assumpto, & iterum habebatur numeri ad numerum in terminis comparatio, quae est inter ducentos quinquagimaseis, & ducentos quadragimaseis. Cur nam a sesquioctauis proportionibus ex sesquiterciarum collatione particulas quasdam relinqui Plato inquit, quia sesquioctaua proportio, quae *πρόδος* idè uocat perfectissimū tonū efficit, estq; harmonie principium, quā Disdiapason nominat Musici, quod reliquos complectatur tonos. Cum ergo sesquioctauus tonus perfectissimus sit, diuidiq; in duas aequales partes nequeat, una semper particula in eius diuisione relinquatur, ut 9 sesquioctauus ad 8, in duas partes siue aequales semitonos diuidi non potest: ideoq; Pythagoras duos alios semitonos addidit, quorum unus dimidio tono nouenarij maior, alterq; altero dimidio minor esset, ita ut pars illa nouenarij, quae diuidi non poterat, hoc est unitas, in alijs tonis compensaretur, cum id quod in altero tono nouenarij eiusdem parti simili addebatur, in altero detraberetur. igitur quamū semitonus iste minor ab integro tono, ueroq; ipsius semitono differat, in discrimine horum duorum numerorum 256. & 243. Plato nobis ostendit. Nam cum octaua pars minoris numeri 243. sit 30, & ferè semis, maior uero numerus 256 minorem illum semel, ac tredecim insuper partibus contineat, octauamq; partem 32 habeat, nec tenum efficit, nec integrum semitonum quoniam Pythagoras nullum admittit semitonum, ex quo his accepto sesquioctaua efficiatur proportio: quamuis Aristoteles posse id fieri aurium solum sensu, non ratione aliqua dixerit. Quamobrem differentiam nos illorum duorum numerorum inuestigemus, ut particula illius relictae rationem cum alijs, Platonis praecepto inuenire possimus. Primò duo illi numeri propositi 256, & 243. ad superparticularem proportionem


rium seruat concentum. Nam vires corporis quavis ab animi viribus dissimiles sint, artissime tamen inter se colligantur, nihilque repugnant. Quinctiam ut unitas diversas numerorum rationes ex se gignit, ipsaeque rationes cōnexae inter se sunt: sic animus unus cum sit, varias profert vires, easdemque inter se maxime coniunctas, quae uno eodemque animo semper manente, in diuisionem cadunt. Quae de causa effectiōnem animi Plato docens, ex eadem substantia quasi principio sumptas esse proportionum illas numerorum inquit, cum unam partem ex toto, deinde alteram huius duplam acceptā à Deo dicit. Nam animus quidem mundi in partes distributa, variè mundum cūct: anima autē hominū aliter corpus ipsum, aliter sensuum organa mouens. Siquidem eadem est mundi, ceterorumque animantium animae, ex Platonis sententia: quamuis abij dissentiant, ut postea videbimus. Iam uerò consumptam fuisse generum abcessiōnem, ex qua ortus est animus, Plato dicit, propter eius perfectionē: utpote cui nihil defuerit, cum ex toto generum principio sit ille compositus, et ad perfecti exemplaris ideam factus. Etenim ut mundum ex uniuersa materia conditum à Deo dixit, ita animus ex omnibus generis sui partibus factus est: siquidem pars illa ē singulis sequeutertijs relicta extra animi essentiam non est, sed aliter comparata ad proximum numerum medietatum interstitium implet, tonumque efficit. Præterea concentus harmonicus, differentiæque proportionum in numeris demonstrata, animi virium consensione indicat. Atque ut harmoniae maius interuallū, seu maior proportio, ad minorem comparata concentum efficit, uelut si ex acutissimo grauissimoque tono suavis sonus edatur: ita quoque ex præstantioribus animi viribus, ut mentis, intelligentiae, rationis: ac minoribus, ut sensu, fitricis, uegetatricis, altricisque facultatibus, conexio quaedam nascitur, quae unam eandemque constituit animam, quemadmodum uariarum uocum sonus unum efficit concentum. Atqui hoc modo plerique Platoniorum animi cōpositionem per numeros à Platone traditos similitudine quadam explicant. Quāquā Porphyrius non animi compositioni, sed mundi constitutioni, ordini quae numerorum rationem illam tribuit, cum interualla mundi partium interuallis numerorum accommodat, ita ut quantum est à terra interuallum ad lunam, sit duplum à terra usque ad solem, et triplum sit etiam à terra ad Venerē, eius spaciū quod à terra est ad solem. Atque eodem denique modo traditas iam à nobis numerorum proportionem cœli orbibus adhibet, cui etiam Macrobius uide-

expositiones sequamur, breui hac contenti, ad reliqua properemus.

Iam uerò commixtū illud unde ista secernebat, totum huiusmodi partium sectione consumptum erat. Tunc seriē hanc uniuersam in longum secuit, et ex una duas fecit, mediamque mediā in speciem X Græcæ literæ accommodauit. Deinde in orbem intorsit, quoad ita coirent inter se capita, ut lineæ ipsæ & secum & se inuicem eregiōnē interfectionis ipsius coniungerentur: atque eo motu qui in eodem & similiter semper reuoluitur, undique est eas circūplexus: & circulorum alterum exteriorem, interiorē alterum fecit. Exteriorem quidem lationem eiusdem naturæ, interiorē uerò alterius nominauit. Atque illā quæ erat ipsius eiusdem naturæ cognata, in latus ad dexteram partem: eam uerò quæ alterius, per diametrum ad læuam flexit. Sed principatum dedit eiusdem ipsius similisque agitationi. Eam namque solam indiuisam reliquit, interiorē uerò cum sexies diuississet, septemque orbes inæquales dupli & tripli interuallis effecisset, singula quum tria sunt, utriusque contrariis inter se cursibus orbes peragere iussit: et ex septem interioribus tres quidem pari celeritate, quatuor uerò, & ad se et ad reliquos tres celeritate quidem impari, debita tamen ratione conuertit.

Postquā de mundanæ animæ substantia, generationeque dictum à Platone est, quo pacto ipsa affecta ad se, partesque suas proportionem sit: nunc cuiusmodi sectione partes illæ distributæ fuerint, exponit. Simulque animi motū ostendit, X literæ similitudine. Ait enim, in duas series, seu potius vires per illas significatas diductam esse, ac decussatam animam, ita ut in medio quodā puncto illæ cōnectantur, duosque in orbes rotundæ fiant. Siquidem X litera, si medio fixo circumagatur, orbem quendam efficit: quemadmodum lineæ omnes à puncto dato, fixoque circumductæ, circulum necessario describunt. Hoc modo igitur cum figura illa X decussata in medio circumagatur, rotundamque figurā describat, animus etiam illi literæ comparatus, et in duas series virium distinguitur, et in orbē mouebitur. Quo autem modo animus in orbem moueatur, tum in superioribus est dictum, tum postea dicendum est. Dicimus enim moueri illū circulari motu, non quod rotundus sit, sed quia ut figura rotunda, simplex, unaque est, unoque motu contenta, à se ipsa incipiens in se redit: ita ani-

mus unus, simpliciſq; nature, in ſe motu ſuo redit, ac refleſtitur. Sed quid nam diuifio illa in longum protenſa, decuſſatq; ſignificat? Naturalem animi motum rectum ad ſenſum, & ad uegetandi facultatem. Ex quo duplicem eſſe animi uim, motricem, ſenſitricemq; Plato intelligit. Quinetiam in corpore duos eſſe motus ab animo prouenientes, unum & multiplicem, oſtendit. Interſecantur quoq; due ille lineæ in medio quodam puncto, ut animi unitas, dualitasq; ſignificetur. nam ut lineæ due eadem parte
10 connectuntur, ſimulq; mouentur, & orbiculari motu in ſe redeunt: ſic animi uires diuerſe inter ſe natura ſua cum ſint, motuq; recto ſponte ſerantur, tamen in una anima coniunctæ in orbem conuertuntur, motumq; intelligentiæ ſimilem conficiunt, propter compoſitionem eiſ ſubſtantiæ. Atq; inde fit, ut lineæ eadem in orbem mote, ſe ipſas mutuò comingant, dum aliæ alijs ſuccedunt in motu illo circulari, ſicq; uacuum nihil relinquāt. Ex quo animi uirium
20 connexionem, quamuis illæ diuerſa exerceant miniſteria, cognoscimus. nam eſi uideamus, audiamus, guſtemus, intelligamus, moueamur, omnes deniq; animi uires exerceamus, unus eſt animi motus uniformis, ac ſui ſimilis, quæ omnes illæ uires, quas Plato motus appellat, efficiunt coniunctæ. Sed quando diuiſionis à Platone traditæ ſignificationem




Ecce igitur due ille lineæ B & C, in puncto D coniunctæ, et ad angulos rectos non excitatæ, duabus ſectionibus illius regule A, in qua ſunt numeri, reſpondentes. Præterea in circulo illo maiori duo ſunt parui circuli, duab. illis ſectionib. reſpōdentes, H & L. ac circulus H, zodiaco ſimilis eſt, L aut ſimilis æquinoctiali, ambo tamen oblique ſe ſecant in duobus punctis E & F. ac in extremitatibus uno quodam circulo connectuntur. Ipſi quoq; ſe circuli interni mutuò complectuntur, H nimirum zodiacus circulum L æquinoctialem coninet, & circa ipſum mouetur, quemadmodum in ſphæra latius demonſtratur. Quando igitur demonſtrationem mathematicam diuiſionis animi explicuimus, ad Platonis ſententiā exponendam redeamus. Vnum eſſe animum, omnibus ſuis uiribus quaſi numeris conſtitutum, naturaq; ſua rectum, quatenus motu recto eſt præditus, per regulam illam intellige. Diuidi autem biſariam eiſ motum, uti diximus, in ſemendi

cognoscimus, demonſtratione quadam Geometrica, qua Proclus ac Platonici alij uti ſolent, illud ipſum oſtendamus, hoc modo. Primò deſcribatur regula quedam A lata, & interualtis diſtincta, quali utuntur Muſici, quæ numeros omnes in triangulo ſuperius deſcriptos contineat. Eadem autem ſecundum longitudinem diuidatur, ut in utraq; ſectione numerorum propoſitorum rationes complectatur. nec enim ſecundum latitudinem diuidi poteſt, quoniam rationes eorundem numerorum minimè conuerſet eodem modo. Diuiſa igitur hoc modo regula A, in longitudinem, ſiant ſectiones aliæ due illi reſpondentes, B & C, quæ mutuò ſe connectant in puncto D medio: ita tamen, ut ad angulos rectos minimè erigantur, ſed curuæ ſint, quo facilius in ſuis extremitatibus iterum coniungi poſſint. Fiant præterea duo circuli, H & L, alter intra alterum deſcriptus, iſq; inter ſe obliqui ſcribantur: atq; circulus exterior, ſcilicet H, noceatur eiſdem nature, interior autem L nominetur alterius. Itemq; circulus interior L æquinoctiali ſimilis fiat, exterior uerò H ſimilis zodiaco. Igitur circa zodiacum, hoc eſt circulum H, circulus æquinoctialis, nimirum L mouebitur, idq; in X literæ figuram, non ad angulos rectos, ſed inæquales, quemadmodum Plato præcipit.

40 mouendiq; facultatē, per ſectiones illas duas conſidera. Præterea duos circulos, alterum interiorem, et alterius nature: alterum exteriorem, et eiſdem, qui zodiaco reſpondeat, duabus illis uiribus accommoda: quoniam uires omnes animi quæ uis recto motu natura ſua impellantur, quatenus tamen intelligentiæ participes ſunt, motu recto conuertuntur, & in ſe redeunt. Itaq; eorum duorū motuum una eſt cauſa, nimirum anima, quæ uelut cenerum circuli, circa quod orbis mouetur, ita unam unam ſtabilemq; habet. Quare una eſt anima, quatenus à ſe mouetur, unicaq; conſtat eſſentia: quatenus uerò ex eadem, alteraq; natura componitur, biſormis dicitur. Sed ut longiores uitemus interpretationes, ſingula Platonis uerba exponamus. Tunc ſeriem hanc uniuerſam in longum ſecuit, & ex ea duas fecit. hoc eſt. Vi regulā illam numeris proportionalibus deſcriptam, in longum protendimus: ſic animam in rectum motum ordine, proportioneq; uirium ſuarum mo-

rum moueri, & (ut Proclus ait) potestate esse infini-
tam dicimus. Eadem uero cum recte cuidam lineae
similis dicatur, in duas diuiditur partes: ut intelligat
nam & duplicem esse animam. unam quidem, quod
ad eius essentiam: duplicem uero, quod ad composi-
tionem attinet. Nam quemadmodum anima eterna
cum sit, genita dicitur ratione compositionis, et quod
temporis sit particeps, alijsq; intelligentijs poste-
rior: ita quoq; duplex dicitur, quatenus ex eadem,
alteraq; natura constat. partimq; intelligibilis, par-
tim est sensibilis. Mediamq; media in speciem X
literae Graecae accomodauit.) Mediam animi natu-
ram hinc possis facile cognoscere, cum diuise in duas
partes lineae illam Plato comparat, eandemq; in X li-
tera formam factam esse inquit. Nam ut duae lineae
medio quodam puncto conestuntur, circa quod in
orbem moueantur: ita anima mediae naturae cum sit,
unitate quadam substantiae conestitur, quamuis re-
spectu duplex dicatur ob diuersas eius uires. Atque
eam ob causam Plato sub enigmate quodam animi
naturam figura illa literae X, connexionemq; osten-
dit: idq; si Proclo credimus, ab Aegyptijs accepit,
qui mundi animam X litera significabant. De-
inde in orbem torfit, quoad ita coirent inter se ca-
pita, ut lineae ipsae & secum, & inter se inuicem ere-
gione intersectionis ipsius coniungerentur.) Ex his
animi unitatem, motusq; simplicitatem considera.
Vt enim lineae ille puncto quodam connexae, ac in
orbem ductae, circularē efficiunt motum, seseq; con-
tingentes in motus successione coniungunt, unumq;
orbem efficiunt: ita animi uires diuersae in una qua-
dam essentia illius insitae, motu recto ab anima orta
moueantur, & in ipsam reflectuntur: ita tamē, ut spa-
cia illa intersectionū in lineis descripta, coniunctio-
ne linearum implcantur: hoc est, ad eō inter se ui-
res animi omnes consentiant, ut ab una essentia tan-
quam fonte profluente, ad ipsam conueniant, uni-
cunq; circularem motum mentis propriū ex diuer-
sis motibus constituent. Quod latius idem Plato in
his uerbis confirmat: Atq; eo motu, qui in eodem
& similiter semper reuoluitur, undique est eas cir-
complexus, & circularum alterum exteriorem, al-
terum interiorem fecit.) Id est, Cum sectiones illas
linearum in orbem duxisset, duplici utriusque lineae
motu duplicem descripsit circulum: unum interio-
rem, alterum exteriorem. Ex quo intellige, duplicem
esse motum, ex bisformi illa animi natura productū:
unum eiusdem naturae exteriorem, alterum alterius
interiorem: ita tamen, ut exterior interiorem conti-
neat. siquidē praestantior animi pars, ut mens, ratio,
memoria, quam per motum eiusdem naturae siue ex-
teriorem intelligimus, minus praestantes partes, ut
uisum, auditum, sensusq; alios continet, quemadmo-
dam & unitas uirtute numeros omnes cōplectitur.
Quare non immerito etiam Plato exteriori circulo
partem animi intelligibilem comparauit, quando men-
tem à Deo provenire idem ait: & ut Aristoteles etiā

lib. 3. de Anima confirmat, non ex corporea natura,
sed extrinsecus mens aduenit. Exteriorem quidem
lotionem eiusdem naturae, interiorem uero alterius
nominauit, atq; illam quae erat ipsius eiusdem natu-
rae cognata, in latus ad dextram partem, eam uero
quae alterius, per diametrum ad leuam flexit.) Haec
omnia ad animi motum, ex diuiduae indiuiduaeque na-
turae connexionem profluentem, declarandum perti-
nent: quae quamuis superius magna ex parte dicta
sunt, ad planiorem Platonis intelligentiam demon-
stratione quadam Geometrica doceantur. Verborū
illorum Platonis sensus est, animi motum eiusdem
naturae ad dextram in latus fieri, motū uero alterius
in sinistram per diametrum. id autem hoc modo de-
monstretur. Describatur quadrilatera figura A
B C D, cuius diameter sit A E D, qui ad interio-
rem circulum referatur. item circa quadrilaterum
describatur circulus F G H I, qui exteriori circu-
lo eiusdem naturae respondeat, et secundum quadri-
lateri latus describi putetur. Praeterea circa diame-
trum, quae quadrilaterum intersecat, circulum inte-
riorem describi cogitemus. Atq; exteriorem quidē
circulum illum à lateribus quadrilateri descriptum,
in dextrum latus moueamus: contra uero circulus in-
terior, quem à diametro describi cogitamus, aduer-
so motu in sinistram moueatur. Ergo in data figura



duos circu-
los, unum e-
iusdem natu-
rae exteri-
orem, alterum
alterius inte-
riorem cerni-
mus: quorum
ille in dextrā
secundum la-
tera moue-
tur, hic uero
in sinistram secundum diametrum, quod Plato nos
docet. Quo ita demonstrato, animi orbicularē mo-
tum hinc intelligere oportet. Siquidē duplex est e-
ius uita, intelligens & sentiens, quemadmodū Plato-
nici dicunt: atq; intelligentem motu exteriori siue
eiusdem naturae tribui oportet, sentientem motu in-
teriori, & alterius naturae. Vt enim exterior inte-
riorem impellit, hic tamen contra illū nititur mo-
tu suo aduerso: sic etiam intelligibilis pars animi sen-
silem mouet, haec uero contra illam nititur. Ergo
per duplicem illum motum in uno quodam circulo
excogitatum, duplicem animi uim cum Platone in-
telligamus: unam, quae eadem, suiq; similis semper
est, nimirum intelligentiam: alteram, quae mutabilis,
diuersaq; ab illa natura, uidelicet sensum. Atq; hoc
modo Platonici aliqui uerba illa Platonis interpre-
tantur. Alij tamen, cum de mundi anima memio
hic fiat, ad celorum motum illud tribuunt, ut ex-
terior motus firmamento, quod ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ
tribuitur:

tribuitur: interior reliquis stellarum errantium orbibus, qui dissimiles inter se motus conficiunt. Quod sane quamvis Platonis interpretationi quodammodo posui convenire, tamen cum Proclo quidē dicimus, de animi motu Platonē hic loqui, nō tamē de cœli motu. quamvis enim motus ille orbium ab animæ mundanæ impulsu proficiscatur: tamē quia motus idem prius tribuitur animæ, quā corpori, de motu animi hic edisseri censemus, ita ut hæc omnia sub figura quadā dicātur, ad essentialē motū explicandum. At cur Plato exteriorē motū in dextram fieri à latere dixit, interiorē uerò in sinistrā circa diametrum? Non quod motū firmamētī ab ortu in occasum rectā fieri intelligat, ipsas uerò errātes stellas ab occasu in ortū cōtrario motu cieri: sed ad illā animi duplicē uim referēdum est potius, ita ut dexter motus intelligētia, similiter sensui accommodetur. Quoniam ut melioribus dextrum, peioribusq; sinistrum tribuimus: ita exterior motus, utpote præstantissimus, ac mentis proprius, dexter erit: tamē interior, quatenus sensuum est, sinister ac inferior. Quod etiam Socrates in Phædro intelligens, allegoria quadam duorum equorum uim illam animi duplicē explicuit. nam intelligibilē partem meliori equo, sensibilem priori cōparat. ac Macrobius lib. 2. in Somn. Scip. duplices animi motus ex Platoniorum sententia facit: unum à ratione nascentem, ut cogitare, intelligere, recordari: alterum ex affectibus, ut irasci, furore effrari, odio habere. Quemadmodū igitur motus octauī cœli unus est, & in occasum ab ortu progreditur eodem modo semper: contrā uerò stellarum errantium motus uariantur, diuersiq; ab unitate illa sunt: sic etiam motus animæ rationalis dextrī simplicesq; sunt, motus uerò sensuum perturbati ac errantes. Ex quo percipimus, motū animi dextrum eum esse, quo ad intelligibilia, uerēq; entia ferimur: sinistrum uerò illum, quo ad sensibilia, ac mutationibus obnoxia. Quinetiam exteriorē istum animi motum seu intelligibilē in latius fieri dicit, ut indeclinabilem esse, unicum, eodemq; se modo semper habentem ostendat: interiorē uerò secundum diametrum conuerti ait, ut mutabilem esse, multipliciq; progressionē gaudere significet. Nam laterum quidem propria est, si Proclo credimus, reſtitudo, proportio certa, angulorum continentia: diametri uerò, ignoratē proportionem, & diuidere res unitas, & ipsam cōtineri. Quo fit, ut rectē Plato intelligibilem animi partem motui exteriori secundum latius fieri dicat, quando immutabilis, certus, proportionalis que sit: motum tamen interiorē secundum diametrum factum sensibili parti animæ comparat, quando sensus multiplices, uarijque sunt, ab illaq; membris unitate plurimum discedunt. Quo nomine motui exteriori tanquam intelligibili principatum tribuit, quoniam unus simplexq; sit, & simplicia cōpositis priora esse oporteat. Motum uerò interiorē diuidi in sex partes ait, ut uariam multi-

plicemq; illius naturam delectet. sic enim ille inquit: Interiorē uerò cum sexies diuisisset, septemq; orbis inæquales dupli & tripli interuallis effecisset, singula cum tria sunt, utriusq; contrariis inter se cursibus orbis peragere iussit, et ex septem interioribus tres quidē pari celeritate, quatuor uerò ad se & ad reliquos tres celeritate quidem impari, debita tamen ratione conuerti.) Mundi animam nihil aliud esse, quā spiritum illum, siue impulsū à Deo illi tributum, ut sua se ui moueat certo statutoq; ordine, diximus in superioribus. Quoniam uerò motus ille duplex est, unus simplex, eiusdemq; nature, quem firmamēto seu primo mobili tribuimus: alter multiplex, & alterius, quem errantium stellarum propriū diximus: hunc rursus explicemus eodem ordine, quo antea. In quo tamen aduertendum est, duplicem illum motum non solum mundanæ animæ tribuendū esse, sed animis etiam hominū: quando in his Plato non de singularibus animantium animis, sed de anima uniuersali diserit, quemadmodum Proclus, Platoniciq; alij affirmant. Verū ut nos melius hæc exponamus, ad Platonis interpretationem, rationem Astrologicam horum circularū primò declaremus, deinde animi motibus illam accommodabimus. Octo cœli orbis ab antiquis numerati sunt, omnis aliorum sententijs: Primum mobile, seu ἀπλῶς, quod reliquos mouet orbis, quodq; motui exteriori ac eiusdem nature cōparauimus, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Hi orbis septem, cum ab octauo illo, die uorapiantur, suos habent peculiare motus superiori illi cōtrarios, inter seq; diffares, quibus diuersa temporum interualla conficiunt, quemadmodum à Ptolemæo in libris Magnæ cōpositionis demonstratur. Cum ergo iidem diffares cursus conficiant, ut omnibus notissimum est, magnam tamē proportionem, consensumq; seruant. tres enim illorū uno anno conuertuntur, nimirum Sol, Venus, Mercurius: reliqui uerò quatuor, Saturnus, Iupiter, Mars, Luna, imparibus cursibus mouētur, alij nimirum celerius, alij tardius. Itaq; omnes simul certum quendā quasi cōcensum ac proportionem suorum motuū edunt, quem harmoniam Pythagoræ uocabat, quamvis sonum illi tribuebat. Sed cur nam dupli, tripli; interualli proportionem septem illos orbis interioris motus efficere Plato inquit? Profecto non ut Musicum concensū cœlo tribuat (nec enim hoc uerē sensu sit, quamuis allegorijs quibusdā id dicere uideatur in libris de Rep. cum unicuiq; orbi Sirenas quasdā imponit) sed rationem illam de duplorum triplo-

rumq; interuallis in septenario numero explicatam, motui cœlorum atque animi accommodat. Nam ut septenarium animi numerum proportionibus distinctum tradidit, ita septem esse cœli orbis proportionem in suo motu habentes dicit: quamuis alij in rectum, alij in orbem disponantur. Itaque proportio quidem dupla & tripla singulis orbibus inest. Nam si secun-

si secundum unicam intervallū interior motus secaretur, alia intervalla in alijs circulis defecta essent, ut Proclus explicat: quoniam uerò secundum singula intervalla illorum septem sectio circularum est facta, omnes circuli participes illarum proportionū sunt, atq; inter se omnes rationem septenarij numeri, duplorumq; ac triplorum proportionē habent: octauus uerò simplex est, atq; unus. Quare, si Proclo assentimur, id ita intelligendum est, ut nos diximus: nō autem, quod in motu suo alij cum alijs comparati, proportionem duplorum triplorumq; seruent. His ita expositis, ad animi motū illud nunc transferamus, quando haec de mundana anima dicta à Platone sunt. Quemadmodum coelorum motus est duplex, unus simplex, qui stellato caelo tribuitur, alter diuersus ac uariū, qui septem errantiū stellarum motibus accommodatur: ita anima una est, et multiplex, una quidem quantum ad totam eius essentiam, multiplex uerò quatenus diuersas habet uires, quae ab una illa proficiūtur, et uirtute continentur, ueluti communis sensus reliquos quinque sensus complectitur. Item ut mens uires alias habet, ut intelligentiam, memoriam, uoluntatem: sic exterior primi mobilis motus, reliquos omnes septē continet: idem autem priori illi aduersantur, quemadmodum et animi uires à mentis unitate diuise, contrarios inter se habent effectus, ab eadē origine manantes. Alia est enim intelligendi uis, alia memoriae, alia uoluntatis, alia deniq; reliquorum sensuum corporeorum, eadem tamen omnium origo est. Vnde cum contrarijs inter se motibus, diuersisq; numeribus fungantur, unum animi concentū seruant: quē admodum diuersarum uocum unus editur concinnus atq; aptus sonus. Quare cū unitatē animae substantiae per motum illum exteriorē ac simplicē intelligamus, multitudinem ac diuersitatem ad eiusdem uires referri oportet, proportionem ad consensionem uirū facultatumq; eiusdem. Hoc igitur modo Platonis uerba exposuisse satis sit, nec prolixiores interpretationes, allegariq; adduxisse: cum ex his abundē tum animae mundanae, ceterarumq; animarum motus uiresq; cognosci possint, tum coeli cōuersiones breuiter explicate fuerint.

Postquam igitur secundum creatoris illius mentem tota animae constitutio absoluta fuit, mox omne corporeū intra ipsam effinxit, mediumq; mediae accommodās, apto modulamine copulauit. At illa à medio per omne usq; ad coeli extrema se porrigens, eiq; extrinsecus circumfusa, seq; in seipsa conuertens, ita sempiternae sapientisq; uitae in uniuersum tempus diuinum dedit exordium. Et corpus quidē coeli spectabile factum est, anima uerò oculorum effugit obtuū, rationis & modula-

minis compos ab autore suo omnium quae semper sunt, & ad intelligentiam pertinent, optimo, ipsa quoq; optima omnium quae genita sunt effecta. Quoniam igitur ex tribus partibus, eodem scilicet & altero, & essentia cōflata est, ratione proportionis distincta atq; cōpacta, nec non in seipsam orbe reflectitur, quoties aliquid attingit quod essentiam diuiduam habet, & quod indiuiduā, in seipsam omnino cōuersa, quid sit utrumq; discernit, & cui quid idem sit: à quo alterum & diuersum, ad quid quaq; & ubi, quomodo, & quando esse huiusmodi aliquid uel pati contingat, tam in ijs quae gignuntur, quā in illis quae semper sunt eadē. Ratio porro ad ipsum quod idem uergens, atq; ueridica, tam circa alterum, quā circa idem uersata, & sine sono strepituq; omni in eo quod seipso mouetur reuoluta, quando ad sensibile aliquid se cōuertit, si tunc etiam alterius diuersaq; naturae circulus rectē per omnē ipsius animā, rem ipsam nunciet, opiniones fideiq; assensiones firmas uerasq; producit. Quando rursus circa rationale se uersat, & ipsius quod idem est, circulus se aptē reuoluēs, rē denūciat, intellectus necessariō scientiaq; perficitur. Haec quisquis in alio quā in anima fieri dixerit, à uero penitus aberrabit.

Quaecunq; de animi substantia, motu, cōnexioneq; uirum dicta sunt, in his quae sequimur, Platone latius declarat, quomodo composita ex eodem & altero dicatur illa, aut qua ratione moueri in orbem putetur. Quae quoniam magna ex parte dicta superius sunt, breui explicatione erunt comenta. Duplicem esse animi facultatem, unam cognoscendi, alteram mouendi sese, diximus: atq; illam quidem circulo eiusdem naturae comparauimus, hanc circulo alterius. Quoniam uerò tota illius compositio media inter utraq; illam naturam est ad exemplaris diuini similitudinem, absolutam inquit Plato fuisse eius constitutionem, eamq; ad creatricis mentis similitudinem. siquidem animam ad sui exemplar Deus producit, mundoq; infundit. Cum etiam eadem media sit inter corporea, incorporea, uti diximus, totam aut corpoream substantiam intra animum effinxisse Deum, ita ut medium mediae substantiae accommodaret. Quasi diceret, respectu quodam medium dici animum inter corporea & incorporea, quatenus particeps utriusq; naturae uidetur. Itaq; quod in 26. littera demonstrauit antea, nunc apertius

peritius animi essentiae tribuit. In quo tamen minime intelligas, corpus in animo includi, quoniam dixerit, corporeum omne intra ipsam effingi: sed animi potius vim considera, quae totam mundani corporis molem continet, ac gubernat. anima enim tum mouet mundum, tum aeternum efficit. Vnde sociam construendi mundi fuisse illam Deo aliqui dixere, quatenus eadem ab illo profluens mundum conseruat, ac tuetur: quemadmodum lib. 1. in Somn. Scip. Macrobius confirmat. Quare non solum animam uniuersum ui sua animare, fouereq; hinc intellige, sed apto modulamine copulatâ esse mundo: hoc est, ut magna partium proportionem ac symphoniam cuncta animemur, nullaq; mundi pars animo uacua sit. Quod cum ad mundi sympathiam, mouendiq; sese facultatem referri oporteat: Cicero tamen lib. 2. de Nat. deor. alio modo uidetur intellexisse, cum animam ac sapientem, uirtute præditam, et deum facit mundum. Quam certe interpretationem non ueram Platonis sententiam, sed adumbratam indicare, perspicuum est. At illa à medio per omne usq; ad cœli extrema se porrigens, eiq; extrinsecus circumfusa.) Mundi anima nullum certum locum obtinet, sed ubiq; adest, ac per totum se mundum diffundit, ut eum animet. Quam ob causam illam inquit Plato, à medio per totum mundi corpus latè diffundit, et ad extremum usq; cœli ascendere, totumq; per mundum intra extraq; uagari: ut intelligamus, eius originem non ex corporea substantia duci, sed ab ipso artifice Deo emanare. Siquidem pars ista animi corporea et sensibilis è media materia sumitur, quatenus eidem cōnexa est: pars uero intelligibilis à Deo profecta, extra omnem corpoream concretionem est posita, quamuis sensibili se parti admisceat. Ideoq; progressio illa ad mundi extremum et extra mundum ipsum facta, ad animi originem referenda est, ita ut descensus ille mentis à Deo in mundum per progressionem animi extra cœlum significetur, diffusio uero per totum mundi corpus ex eius medio, corpoream sensibilemq; partem animi indicet. Nam mens à Deo proueniens, corporiq; infusa, propter cōcretionis corporeae copulâ fit anima: id est, partim corporea, partim incorporea substantia. Ergo corporea concretio à medio, id est ex ipsa materia nascitur: intelligibilis uero portio à Deo prouenit. Atq; ea de causa Plotinus tria ponit solū principia in lib. contra Gnosticos: ipsum bonū, hoc est Deum; mentem, atq; animam. ac Deus quidem, constituto corpore mundano, mentē ex se producit: mens uero inclusa corpori, fit anima: anima demum corpus sibi alligat, animatumq; efficit. Verū ecquid nam ips uerbis intelligere uult Plato? Seq; in seipsa cōuertēs, ita sempiternae sapiētisq; uitae in uniuersum tempus diuinū dedit exordium.) Quemadmodū rationale animū circulari motu moueri, propriumq; hunc motū mentis esse, sepe diximus: sic etiam, quia mundo illum Plato tribuit, eundē inquit in se con-

uerti, orbicularemq; cursum conficere. Quoniam preterea sapiētia, eternitasq; mentis propria sunt, quatenus hæc intelligibilis est, intelligibilibusq; rebus constare debet: mundi itidem animus sapientis uitae particeps, eternitatisq; principium hic dicitur ab eodem. Siquidem intelligentia non in sensus, sed in mentem solum cadit: eternitas uero nulli corpori conuenire potest, cum corpora omnia composita sint, et composita omnia principium compositionis suae habere necesse sit. Ergo mundus ex se minime æternus erit, quando corpus est, proindeq; factus à Platone dicitur: propter ipsam uero animam æternus est, quoniam eadem corpoream illius connexionem tuetur, semperq; conseruat, quemadmodum in lib. de Cœlo Plotinus refert. Eadem quoque ratione mundi anima sapientis uitae particeps dicitur, non quod uerè sapiat, uelut homines: sed quatenus summa prouidentia, consilioq; mundum administrat. Quia etiam prouidentia hæc mentis propria est, sapientem esse mundi animam Plato refert. Ex quo intellige, soli menti sapientiam ueramq; scientiam Platonem tribuere, opinionem uero sensibus: ut in Phædone, atq; Epinomide Socrates, nosq; superioribus docuimus. Et corpus quidem cœli stabile factum est, anima uero oculorū effugit obitū.) Animæ corporisq; naturam his uerbis aperitissime declarat. ait enim, illam incorpoream esse, solaq; ratione perceptibile, corpus uero cerni, ac tangi. Ex quo etiam animi sinceritatē, corporis autem constitutionem intellige. Siquidem illa, utpote intelligibilis essentiae particeps, in sensus cadere nequit: corpus autem, utpote compositum, sensibus percipitur. nec enim res simplices, sed compositas solum sensibus capimus: quoniam sensus participes corporeae naturae sunt. Quare non solum genitum animam cum corpore, sed ingentum etiam esse, ac æternum, considera: quoniam genitus dicitur, quatenus corpori annexus est, et à Deo processit: æternus, quatenus semper cum mundo fuit. Nam ubi potentia est, et actus simplex, prior est actus potestate ipsa: ubi uero simplex actus non est, sed adiuncta quoq; potestas, actum potentia precedit. ideoq; animus mundi, quatenus actus quidem est ipsius, potentiam precedit: hoc est, corporea mole prior est, ut superius Plato dixit. Quam quidem ob causam substantiam animam sic demonstrans, breuiter concludit, cum ait: Rationis et modulaminis compos ab auctore suo, omnium quae nuper sunt, et ad intelligentiam pertinent optimo, ipsa quoq; omnium optima, quae genita sunt, effecta.) Hoc est, anima mundi intelligentiae harmoniaeq; particeps à Deo est facta, idq; ad optimi exemplaris similitudinem. Itaq; inuisibilem primò esse animū dicit, quia simplicis naturae, sensumq; fugientis sit. Rationis deinde participem, atq; harmoniae uocat, quod summa uirium suarū proportionem constet. nec enim sine ratione harmonia, aut sine harmonia ratio est in anima. Deniq; ab optimo artifice, co-

rum

rum quæ facta sunt, optimam esse factam illam inquit: quod is ad sui exemplar eam effecit, magnamq; illius similitudinem ipsa habet. Quamuis enim reliqua omnia Dei artificis imaginem habeant, et illi quodammodo conferri possint: animus tamen maiorem habet similitudinem, quatenus intelligibilis essentiae particeps est. Postremo eternarum rerum, semperq; manentium compos esse animus dicitur: quoniam ratione solum comprehenditur, resq; solè intelligibiles percipit, seu uerè semperq; enia, ut Deum, angelos, ac seipsum contempletur. Nam simili quidè sui parte res eiusmodi eternas comprehendit, ita ut sensibili facultate res sensibiles percipiat, intelligibili res intelligibiles. Atq; ea de causa ad intelligibilium contemplationem hortari nos Plato sepe solet, ut intelligibiles quoq; nos efficiamur: quod Plotinus in lib. de Contemplatione et uno, ac Porphyrius prolixè docent. Hæc igitur est uerborum illorum interpretatio, Platonis sententiæ consona. Sic enim ipse loquitur: αὐτὸς ὁ ἀθάνατος μοῦν, λογισμὸς ὁ μετέχοντα καὶ ἀρμονίας ψυχῇ, τῶν νοητῶν καὶ τῶν οὐρανῶν ὑπὸ τῇ ἀρίστῃ, ἀρίστῃ γυρομένη τῶν γονυδούτων. Quæ uerba Cicero sic uertit: Animus autem oculorum effugit obtutum: est autem unus ex omnibus, rationis, contemtionisq; (ἀρμονίας Græcè) sempiternarum rerum, et sub intelligentiam cadentium compos, et particeps: quo nihil ab optimo et præstantissimo genitore melius procreatum. Martilius autem tum obscurius, tum durius sententiā illam transiulit, ut in eius interpretatione patet. Quoniam igitur ex tribus partibus, eodem scilicet, et altero, et essentia conflata est, ratione proportionis distincta atq; compacta, nec non in se ipsam orbe reflectitur.) Animum ex tribus principiis, eodem, altero, substantiaq; media constitutum diximus, quatenus illorū particeps uidebatur: eundemq; circulari motu cieri, quoniam à se ipso profectus, ad se iterum redeat, ueluti circuli motus. Quo autem modo motus ille circularis fiat, aut qua ratione ex ijs tribus generibus componatur animus, in his Plato nunc docet. ait enim, cum ex tribus illis inijs proportionem quadam distincta cōpositum dici, circulariq; motu conuerti, quatenus eiusmodi res cōprehendit. Nam dum intelligibilia, et eiusdem naturæ res consideras, particeps illorum sit: dum autem sensilia, corporea, ac diuidua cōtemplatur, ex eadem itidem essentia compositus dicitur. Ergo dum utriusq; naturæ res cogitat, circulari motu mouetur. Siquidè duplex ille motus, exterior et interior, ad duplicem animi perceptionem, et sensilium et intelligibilium, referendus est. Vnde animi motus apud Platonē perceptio quævis rerum tam eiusdem naturæ, quàm alterius est. idemq; circularis dicitur: quoniam à ratione profectus ad res externas, ex his iterum ad illam regreditur, quod circularis motus proprium est, ut ab eodem puncto ad idem conuertatur. Itaq; illo motu à rebus sensilibus ad mentem et intelligentiam

conuersus animus, quid sit quæq; res ratione considerat, sensiliaq; ab intelligibilibus discernit. Atque ut uno uerbo concludam, propterea dicitur animus in orbem moueri, quoniam in rerum cognitione ad seipsum semper reflectitur, in seq; cuncta considerat: quatenus uerò sensilia, et quæ in generatione sunt, id est corporea percipit, eorundem particeps dicitur: quatenus uerò intelligibilia, semperq; eadē contempletur, et ab illis distinguit, compos eiusdē naturæ dicitur, quod in superioribus uerbis Plato intelligit. Cuius sanè rei causa est, quod similibus sensibus res similes percipimus, cum si naturæ indiuiduæ ac intelligibilis particeps animus non esset, illam ipsam intelligere non posset. quod si etiam partem alterius naturæ, ac diuiduæ non haberet, eam etiam percipere nequiret. Igitur in rebus cognoscendis animus seipsum considerat, perq; imagines sibi impressas cuncta cognoscit. Vnde ex elementis componi illam quidam dixerunt, non quod esset idem corporeus, sed quia rerum, quas intelligit, insculptas haberet notiones, ut similibus sensibus res similes comprehenderet. Cui sententiæ Aristoteles lib. 1. de Anima uidetur assensiri, cum inter alias hanc probat Platonis sententiā, quod ex elementis animum componi dixerit, quatenus similibus similia cognoscuntur, cum ait: τὸν αὐτὸν ὁ τροχὸς οὗ τῷ τιμαίῳ πλάττω τὸν ψυχῶν ἐν τῶν στοιχείων ποιῶ. Hoc ipsum uidetur Agrigeninus Empedocles prius asseruisse his uersibus, quæ ibidem recitat Aristoteles: Γαῖα μὲρ γὰρ γαῖαν ὁπώρα μόν, ὕδατι δ' ὕδαρ, αἰθέρι δ' αἰθέρα διὸν. ἀτὰρ πῦρ δὲ διὰ πυρὸς, στοιχὶ δ' στοιχῶν, νέανος δέ τε νέανι λυγρῶ.

Quinetiam Aristoteles idem lib. 3. de Anima, intellectum inquit quodammodo in res ipsas conuerti, dum in se rerum perceptarū imagines considerans, cuncta cognoscit, seq; ipsum intelligens, res percipit intelligibiles. Ratio porro ad ipsum quod idem uergens, atq; ueridica, tam circa alterum, quàm circa idem uersata, sine sono strepituq; omni in eo quod se ipso mouetur reuoluta, quādo ad sensibile aliquid se conuertit, si tunc etiam alterius, diuersaq; naturæ circulus rectè per omnē ipsius animā rem ipsam nunciet, optimiōes, fideiq; assensioēs firmas uerasq; perducit.) Modū intelligēdi, cognoscendiq; animo peculiare nobis ostendit Plato. Cum enim dixerit, propter similem naturæ uim res omnes animum cognoscere, ipsum cognitionis modum explicat. Ait enim, animū circulari motu conuersum, bifariam moueri: uel circulo alterius naturæ, uel eiusdem. Cum se motu alterius naturæ mouet, ad res sensibiles percipiēdas progreditur: cum uerò motu naturæ eiusdē, res intelligibiles cognoscit. Vterq; tamen motus ad eodē est coniunctus, ut alter sine altero esse nequeat. siquidē à sensibilibus ad intelligibilia, aut uice uersa, semper animus mouetur. Igitur cum motus alterius naturæ ad sensilia corporea, pertineat, nihil erit aliud, moueri eo motu animum, quàm res sensibiles

files percipere: aut moueri motu eiusdem naturæ, quam res intelligibiles cognoscere. Ideoq; ex motu alterius naturæ opiniones, assensionesq; fidei certæ gignuntur, quoniam res perceptæ ad mentē illo motu deferuntur, ex motu uerò eiusdem scientia intelligentiaq; fit necessariò: quia perceptio illa iudicio, rationeq; confirmatur. Atq; id Plato uerbis ijs significare nobis uult. Sed ut hanc rem enodatiùs declaremus, breuiter quomodo opinio, assensioq; fidei gignatur, et quo pacto intelligentia, scientiaq; fiat, uideamus. Deinceps de animi motu aliquid dicemus: Quoniam perceptio omnis aut rerum intelligibilium, aut sensilium est, duplici motu animus moueri dicimus: motu eiusdem naturæ in rebus intelligibilibus, motuq; alterius in sensilibus. Sed uterque sanè coniunctus hoc modo est: ut primo res sensiles sensibus percipiamus, ut uisilia uisu, in tactum cadētia tactu, ceteraq; alijs exterioribus sensibus. quia uerò perceptio hæc à potentia sentiendi ad obiectū sensile, et ex ipso obiecto ad potentiam iterum regreditur, resq; sensu comprehensa menti denunciat, circularis motus, et alterius naturæ dicitur: siquidem ab eodē progressus, in idem redit, resq; sensiles cōprehendit. Iam uerò perceptis per sensus rebus, hoc modo, ratio in sese contēplans illas, et quasi in orbem agitans examinat, examinatasq; iudicio confirmat, scientiamq; parit. qui etiam motus, quoniam in eadem mente fit, resq; intelligibiles percipit, circulus eiusdem naturæ uocatur. Quare in primo illo sensuum motu opinio, assensionesq; infirmæ sunt: quia res sensibus perceptas imaginatio cōiungit, et estimandi uis examinat, donec cognitio quedam et assensus infirmus gignatur. In secundo deniq; motu mentis, quoniam res magis examinatur, iudicioq; et intelligentia confirmantur, scientia, hoc est certa stabilisq; cognitio paritur. Nam in mente scientia solum est, in sensibus autem opinio. ideoq; Plato opinabile pro sensibili sepe capit, et pro scientia intelligibilia. Hinc igitur breuiter non modò animi in cognoscendis rebus omnibus motum, intelligere possumus, sed rationem etiam ac modum cognoscendi, qui orbicularis motus à Platone dicitur. Sed quoniam moueri animum in cognoscendis rebus Plato dicit frequenter, cumq; motum circularem esse affirmat, huic se sententiæ obijciens Aristoteles libro 1. de Anima, moueri animam in orbem negat, his de causis. Primò, quia principium illud motus, ultimum cuique rei insitum immobile sit: anima q; si motus principium sit, moueri nequeat. Neesse enim esset, ut si aliud, nimirum corpus mouendo, ipsa quoque mouetur, ab alio prius moueretur, sicq; motus principium non esset. Deinde quia si sponte moueretur anima, sponte quiesceret: et cum moueri desineret, interiret, quando eius essentia est moueri. Item, si in orbē animus moueretur, perpetua circulatione circa eandem rem intelligendam uersaretur, unumq; solum

semper intelligeret, in quo sese uersaret. Ultimo, quoniam omne quod mouetur, ab alio mouetur: animam etiam, quia mouetur, ab alio moueri necesse esset. His atque alijs rationibus Aristoteles in eo libro nec moueri animum dicit, nec in orbem etiam conuerti, sed principium quidem motus corporis esse, ita tamen ut ipse non moueatur. Quam sanè sententiam Plotinus in libro de Immortalitate animi, alijsq; lock, et Macrobius lib. 2. in Somn. Scip. multis rationibus refutat, probamq; animam etiā in mouendo corpore moueri: non quod uerè illa uelut corpus quoddam moueatur, sed quatenus corpus ipsum impellit, et insitū in se motus principium habet. Cum enim *αιττονιντος* à Platone dicitur animus, causam esse quandam mouendi corporis intra ipsum intelligit. Nam motus animi, ut Platonici omnes dicunt, actiones omnes, uiresq; in mouendo corpore, rebusq; cognoscendis à Platone uocantur. Quamobrem ne plura in hanc rem dicamur, satis est, uerba Platonis breuiter exposuisse: ut quomodo animus in orbem moueri dicatur, et quæ ratione res eiusdem, alteriusq; naturæ percipiat, omnes intelligant. Nam si quis exactiorem de animi motu dissertationem requirat, Plotinum in eo libro, et libris de Dubijs animi, Macrobiūq; lib. 2. in Somn. Scip. ac Simplicium legat. nos enim breui commemoratione contenti sumus, ad Platonis sententiam explicandam. Hæc quisquis in alio quàm in anima fieri dixerit, à uero penitus aberrabit. Hæc est dictorum omnium cōplexio, in qua Plato concludit motum omnem animi non ab corpore, toto uel composito prouenire, sed ab ipso solum animo. Nam ut Plotinus in lib. de Animi immortal. refert, uel mouetur animal ab animo, uel à corpore, uel à toto composito. A corpore quidem moueri nō potest, siquidem illud immobile est. Moueri etiam à toto composito dicendum non est. nam si compositum ex duobus immobilibus, corpore nimirum et anima constat, moueri ipsum non poterit: quemadmodum ex duobus dulcibus amarum unum non fit. Quod si ergo nec à corpore, nec ab animato corpore siue composito animal mouetur, relinquatur necessariò, ab anima solum moueri, ita ut motus omnes tam eiusdē naturæ, quàm alterius, ab uno principio proficiantur. Quamobrem hæc est Platonis sententia breuiter explicata, cuius etiam meminit Macrobius in eo loco, quem nos amica citauimus, Platoniciq; alij.

Cum igitur hoc à se factum sempiternorum deorum pulchrum simulacrum moueri & uiuere pater ille qui genuit animaduertaret, delectatus est opere: & hac ductus lætitia, opus suū multo etiam magis primo illi exemplari simile reddere cogitauit. Itaque quæ admodum illud sempiternum animal est, ita uniuersum hoc pro uiribus tale facere

facere statuit. Illius quidem animalis æterna natura est: quod genito operi congruere omnino nō potest. Idcirco imaginem æui mobilem effingere decreuit, ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginē, quam nos tempus uocamus. Dies porro, et noctes, et menses, et anni, qui ante cœlum non erant, tunc nascente mundo nasci iussit. quæ omnia temporis partes sunt. Atqui erat & erit, quæ nati temporis species sunt, nō recte æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illa, est, erat, & erit. Sed illi reuera solum esse cōpetit. Fuisse uerò & fore deinceps, ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt. Aeterna autem substantia cum eadem semper & immobilis perseueret, neq; senior seipsa sit unquam, neq; iunior, neq; fuit hæcenus, neq; erit in posterum: neq; recipit eorum quicquam, quibus res corporeæ mobilesq; ex ipsa generationis cōditione subiiciuntur. Nempe hæc omnia temporis imitantis eum, seq; numero reuoluentis, species sunt. Sepe etiam dicimus quod factum est, esse factum: quod fit, in generatione esse: quod fiet, esse faciendū: & quod non est, non esse. Quorū nihil recte & exacta ratione dicimus. Sed exquisitam de ijs discussionē præsens disputatio non requirit. Tempus uerò unā cum cœlo factum est, ut unā orta, unā etiam dissoluantur, si qua his dissolutio unquam contigerit. Et ad exemplar æternæ naturæ ideo factum est, ut mundus hic illi præstātor, quoad potest, simillimus sit. Ille enim mūdus, huius exemplar, omne per æuum est. Hic uerò perpetuò per omne tempus fuit, sitq; solus, & erit.

Cum animam ad Dei exemplar factam, immobilem, ac uitæ participem hæcenus Plato docuerit, nunc ad eius perfectionem ostendendam, delectatū fuisse Deum inquit, quod talem se effigiens expresse rit. Quo disto, temporis originem prolixè tradit. nam cum ex mundi animatione motus, ex motu uerò tempus sequatur, æquum est, ut quando de constitutione mundana animæ, deq; ipsius motu actum in superioribus sit, de tempore etiam differatur. Sed.

antequam huius rei tractationem explicemus, Platonis uerba declarenur. Primò diuinitatem illorum uerborum admirari oportet, in quibus delectatum fuisse Deum ob animæ generationem dicit, ut eiusdem perfectionem ostendat. Nam cum moueri animus incepit, Plato inquit, uidissetq; imaginē hanc quā simillimā ipsi esse, delectatus summopere est, & quasi id approbauit: quia quo similior exemplari suo animus fuit, eo est perfectior. Atqui uerba hæc Platonis Mosaiscis cōsentire maximè uidentur, cum in lib. Genes. ille inquit: Viditq; Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Ex quo non solum magnam in Platone ingenij uim admirari oportet, sed summam quoq; eiusdem philosophiæ cum nostra consensionem. At cur deorum æternorum si mulachrum animum uocat, ac non potius Dei artificis: cum unum hæcenus opificem Deum omnium induxerit, quem nunc patrem appellat? Quia, ut Proclus ait, æternos deos Plato hic uocat essentias omnes intelligibiles, quæ post summū Deum sunt, & tanquam ab illo relucem, mediæq; sunt inter exemplar intelligibile, & opificem omnū. Itaq; particeps diuinitatis illius sit mundanus animus, quatenus imaginem in se habet eiusdē. Sed alij tamē Platoniorum, æternos Deos uocant ideas omnes, quæ in uniuersali animamē & autē sōw cōtinentur, quibus similia sit mundi anima. Ego uerò æternos deos nominari hic à Platone putarim, Deum ipsum, siue bonū, ideamq; illi insitam, ac mentem. hæc enim cunctorū principia sunt, quemadmodū et mundus rerū sensilium est principium. Nam Plato quidem ad indiuiduam trinitatem Dei attigisse quodammodo ut detur, illamq; deos æternos uocat, ut Platonici multi declarant. Siquidem Plotinus in libro de Tribus substantiis, primò summum bonum statuit, huic mentem subiungit, tum deniq; animam. Huic assentitur Numenius, qui Patrem Deum primū, secundò uerò filium ab illo procedentē posuit. Postremò Proclus, & Amelius, Platoniciq; alij id ipsum confirmant. Iam uerò ecquid animal æternum opificem animi appellat? Quia cum mundum animatum is fecerit, ipseq; animal seu potius *zōon sōon* dicatur, animal idem est. Nam quod animo constat, seu potius ipsemet animus est, animal uocatur: quoniā omne id quod animam habet, animal nominatur à Platoniciis. Quare Deum ipsum artificem, qui mundū animatum ad sui imaginem construxit, non modò hic animal appellat Plato, sed alijs item locis. Igitur cum animum ad optimi, animantisq; exemplaris similitudinem factum esse constet, nunc genitū æternūq; esse Plato dicens, ad temporis generationem digreditur. ait enim: Quemadmodum illud sempiternum animal est, ita uniuersum hoc pro uiribus tale facere statuit. Id est, mundi quidem animus, quoniam æternus ex se non est, utpote qui ab alto quodam cōmuniori principio pendeat, tamen propter æterni illius animalis & exemplaris similitudinem.

nem, eternitatem assequitur. ideoq; factus esse dicitur, quatenus à primo quodam principio defluit: eternus uerò, quoniā ab eterno ex illo pendet. Quicquid enim principium habet, eternum non est. Atque id certè Plato intelligens, naturam inquit animalis eterni, hoc est exemplar eternum esse, quia primum sit: animus uerò eternitatem illam assequi non posse, quatenus ab eodem illo procedit. Ergo quia in animo tum tempus, tum etiam eternitas ponitur, ad ea pertractanda progrediamur. Idcirco imaginem cui mobilem effingere decreuit, ac dum cœlum exornaret, fecit eternitatis in unitate manentis eternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus uocamus.) Quoniam ex animæ ui mundo insita tempus oritur, in his quæ sequuntur, naturam temporis nobis explicat Plato. Quam rem utpote obscuram, prolixèq; ab omnibus tractatā, breuiter nos explicabimus. In primis quid sit tempus, et quid eternitas, et quomodo inter se differant, dicamus: deinde ueram Platonis sententiā hac de re exponamus: ultimò Aristotelis, aliorumq; philosophorum sententias subiiciemus. Tempus esse progressionem quandā cœlestis motus, quæ cum cœla transigantur, omnes apertè fatetur. Ecquid nam uerè idem sit, dubium adhuc inter philosophos est. Eternitas uerò, non progressio aliqua motus, sed stabilis, semperq; manens duratio esse dicitur. quam uariæ diuersorum philosophorū ea de re sententiæ sunt. Pythagoras enim, ut Plutarchus lib. 1. de Placit. philos. ait, spheram continens uniuersum tempus definiuit. Eratosthenes, solis conuersionem. Plato deniq; ut alios omittam, imaginem eternitatis mobilem, siue mundani motus interuallum. Differt ab eternitate tempus, quod illa una et eadem semper manet, nulloq; motu mutatur: hoc autè nec idem manet semper, sed in perpetuo motus decursu uersatur: ideoq; cœli motui annexum est, ut Plato postea docebit. Hoc ita breuiter statuto, propositam sententiam breuiter exponamus. Plato, quemadmodum Apuleius de ipsius dogmate, et Alcimus scribunt, tempus esse dixit imaginem quandam eternitatis, in motu cœli perpetuo uersantem, principioq; constantem aliquo: eternitatem uerò à tempore diuersam esse, quod in perpetua quiete semper duret apud ipsum mundi opificem, quodq; nunquam mutetur. Igitur ut imago ab exemplari differt, ita tempus ab eternitate. Nam eternitas eadem et sui similis semper est, motuq; non distinguitur, sed infinita quedam, imperceptibilisq; est duratio: tempus uerò diuisile est in partes, ac motu cœli distinguitur, certaq; magnitudine durationis continetur. quamuis cum eternitate cōuenit, quod secundum totam suam durationem simile ipsi est, successioneq; infinitatem illam habet, quam eternitas obtinet simul coniunctam. Hanc fuisse Platonis sententiam, tum ij quos citauimus asserunt, tum etiam Diogenes Laertius in eius uita confirmat, qui tempus ab illo

definiri conuersionem cœli ait, ut ad eternitatis imaginem fluere ipsum in perpetuo motu siderum dicat. Et quemadmodum eternitas una est in artifice Deo, ita tempus diuiduum sit in cœli conuersione. Huic sententiæ Proclus assentitur, dum eternitatem primò esse per se dicit, ab eaq; omnia participatione quadam eterna esse: ut mundus eternus ex se non sit, sed quatenus imaginem eternitatis in se habet. Itaq; differre ab eternitate tempus ait, quod illa una indiuisibilis, et in opifice mente sit: hoc uerò multiplex, diuiduum, et mundo sensibili insitū: tum quod duo sint rerum termini, eternitas et tempus, illarum intelligibilium, hoc sensilium et corporearū. Quinetiā Plotinus in lib. de Aeternitate ac tempore, illam ab hoc distinguit tanquam exemplar à sua imagine. nam intelligibilem quandam naturam, quæ omnia simul complectatur, eternitatem definit: eandemq; in statu perpetuo collocat, ita ut nec principium nec finem habeat, sed omnia simul comineat: deniq; uitam quandam plenam, integrā, eandemq; prorsus ubiq; in Deo positam non ut accidens, sed ut eius essentiam esse concludit. At uerò tempus actum quandam animæ transitorium, ab una uita in aliam perpetuò decurrentem esse inquit, quod in cœli motu continuo uersetur, partibusq; distinguatur: ut eternitas una et eadē, indistinctaq; in Deo est. Itaq; tempus extra animam esse negat: quia eadem mundi anima, quæ motum efficit, tempus simul gignat: quod non metitur motum, sed ab eo determinatur, quatenus per motum tempus apertè declaratur, ac distinguitur. Adde quod Iamblicus in eadem fuit sententiā, ut eternitatem exemplar esse dicat, tempus uerò imaginem: illamq; in mundo intelligibili, hoc in sensibili ponat. Ac tempus ille definit essentiam quandam secundum actionem, procedente mundi ordine, et creata omnia disponente. Postremò Marcus Tullius lib. 1. de Nat. deor. tempus ait à motu confici, eternitatē uerò ab infinito tempore fuisse, quam nulla temporum circūscriptio metiatur. Omnes igitur hi, Platoniciq; alij, idē de tempore, eternitateq; iudicant. Sed Aristotelis nunc sententiam subiiciamus ex lib. 4. Physic. alijsq; locis, ubi de tempore differit. Tempus enim ille sic definit: ἀπὸ τοῦ κινήσεως κατὰ τὸ πρὸς ὅσον καὶ ὅσον. In quo illud nec motum esse dicit, illo tamen minime carere: nec distinctum etiam in partes, sed continuum esse uelut motum. nam ut motus continuus est, ita et tempus. Item prius et posterius in tempore dicit esse, tanquam partes ipsius motus: quia in eo prius aliquid est, et aliquid posterius, à quo tempus ipsum distinguitur. Itaq; re unum esse tempus, continuumq; dicit, ratione tamen distingui in partes. In qua sane sententiā differre à Platone Aristoteles uidetur, quod ille tempus ab eternitate seungat, hic uerò minime: quodq; ille eternitatem indiuiduā uocet, tempusq; diuiduum in partes, hic unitatem illam et continuitatem tempori tribuat.

Sed

Sed reuera Aristoteles tempus ab aeternitate distin-
xit, atq; illam rebus diuinis, & extra mundum posi-
tis assignat, quoniam illae motu careant, quieteq; in-
perpetuum uiuant: hoc demum caelo tribuit, quate-
nus ex motu illius pendeat. Vnde idem serè Aristo-
telelem cum Platone sensisse constat, quamuis alijs uer-
bis idem dicant. Quod Simplicius lib. 4. Physic. cō-
firmans, ait idem esse, imaginem aeternitatis secun-
dum numerum defluentem definiri, quod, tempus
secundum numerum subsistere, qui nec exemplaris
fit, nec ex unitatibus collectus, ut Aristoteles sensit.
Ergo utrunq; philosophū idem sensisse dicit, quan-
do tempus in continuo quodam fluxu existere am-
bo asseruere, ita ut tempus causa progrediendi sem-
per in motu sit, aeternitas uerò permanendi semper.
tamen similia esse aeternitatem ac tempus ait: illam
quidem, quatenus causa est, ut res semper eodem mo-
do maneant: hoc, quatenus semper manet dum res sit.
Itaq; duplex esse illud semper concludit: aliud simul
totum, ut aeternitas: aliud dum fluit, ut tempus. Igi-
tur pleriq; philosophorum, quos citauimus, aeterni-
tatem à tempore sciungūt, quod illa semper eadem,
suiq; similis sit, & in perpetua consistat quiete: hoc
autem in motu continuo uersetur. Qui tamen reue-
ra non essentia, sed modo utrunq; distinguunt. nam
& tempus aeternū faciunt, nulloq; principio ac fine
terminatum, id quod aeternitati conuenit: & utrunq;
in continuitate quadam durationis ponunt. quam-
uis differre ab aeternitate tempus dicant, quod eter-
nitas suum esse praesens, ac simul semper habeat, tem-
pus uerò minime: ideoq; quatenus hoc in motu, illa
in quiete sit, differant, consentiant uerò ambo in du-
rationis perennitate. Quò nomine tempus imaginē
aeternitatis Plato mobilem uocauit. Vt enim aeterni-
tas uelut exemplar infinitae durationis, semperq; u-
no modo permanentis est, ita tempus ut imago illius
infinitam quoq; durationem habet: sed eam quidem
minimè permanentem, quatenus in motu caeli ha-
ret, nec ab eo sciungitur. Verū hāc quidem sen-
tentia tum religionis nostrae dogmati repugnat, tū
rationi minimè consentanea est. nam si tempus ab a-
eternitate solum illi distinguunt, quod alterum in mo-
tu, altera in quiete sit, ceteroqui tamen idem esse
patant: igitur si caelum non moueretur, aeternitas à
tempore non differret, unaq; foret, atq; eadem, &
sensitum & intelligibilium duratio. Praeterea si
quicquid sit, antequam fieret, nondum erat factum,
tempusq; à Platonis factum dicitur: necesse est, il-
lud aliquando non fuisse. Quod si ergo aliquando
non fuit, aeternum non est: siquidem quaecunq; prin-
cipio constant, aeterna non sunt. At si respondeas,
fuisse quidem factum tempus, sed ab aeterno: ideoq;
ab aeternitate differre, quatenus factum est, et ab illa
proceffit: consentire tamen cum illa, quatenus ean-
dem habeat durationem: nec isto etiam modo eter-
num esse tempus concedam. Nam si quod sit, in ali-
qua transmutatione, ut ait Aristoteles, fieri debuit,

profectò non potuit ita tempus ab aeterno fieri, ut
non aliqua mutatio praecesserit ante illius effectio-
nem: alioqui idem tempus erit, & aeternitas. Quod
si uerò mutatio aliqua à non esse ad esse anteceffit,
necesse est, tempus ab aeterno non fuisse factū. Qua-
re rectius nos Christiana religiōe persuasi, nec tem-
pus aeternum esse, nec mundum etiam ipsum dici-
mus, sed tempus ac mundum potius aliquando incoe-
pisse: ideoq; rebus ortis, & principio constantibus
tempus conuenire, aeternitatē uerò soli Deo; eum
autem rebus intelligibilibus, quemadmodum Theo-
logia nostra nos docet. Sed his demum disputationi-
bus omisiss, ad Platonis interpretationē redeamus.

Dies porro, & noctes, & menses, & anni, qui
ante caelum non erant; tunc nascente mundo in-
iussit, quae omnia temporis partes sunt. Aeternita-
tem inquit Plato unam semper, coniunctamq; flue-
re, imò eandē perpetuò uno modo permanere: tem-
pus uerò partibus, continuationeq; decurrere. Quò
nomine cum tempus hoc distinctum unā cum caelo
sit ortum, noctesq; ac dies, menses, anni, horae, atque
adeò momenta omnia, quae τὰ μικρά Aristoteles uo-
cat, ex caelorum motu pendeant, eadem illa tempori
attribuētur, partesq; illius erunt, in quas ipsum di-
uidatur: sed aeternitati tamen, quae una est, et semper
eadem, nulla partium diuisio assignabitur, quoniam
nec unitas in partes potest distribui. Vnde erat, uel
erit, uel fuit, cum temporis partes sint, aeternitati,
quae in Deo una est, non accommodabuntur. Nam
ut unitas, etsi diuidatur, multiplicetur, uarieturq;
multis modis, una semper & eadem manet: ita aet-
ernitas, quoquo modo sit, eadem semper permanet.
tempus uerò in continuo fluxu est, diuidiq; in par-
tes potest. Sed quoniam temporis uarietas ex motus
decurfu perspicitur, aeternitatis uerò consistentia ex
perennitate, statusq; quiete: quomodo tempus mo-
tui adhaereat, ab eoq; defluat, et in partes distingua-
tur, & quomodo aeternitas in statu esse semper indi-
uidua cogitetur, uideamus. Motum, progressionē
esse quandam caeli, stellarumq; omnium à mundi a-
nima, seu primo motore, ut ait Aristoteles, impu-
sum, omnes affirmant. Hunc nec tempus esse, nec eo
tamen tempus carere, tum Plato tum Aristoteles di-
cunt. ambo enim, ut Simplicius docet, mensuram
omnem durationis, aut aeternitatem, aut tempus es-
se dixere: atque illam quidem rebus intelligibili-
bus, perpetuoq; quiescentibus, hoc autem mobili-
bus et corporeis tribuunt. Ergo tempus motus non
erit, sed mensura illius. nam per motum, ut ait A-
ristoteles, tempus metimur, ac per tempus motum.
ideoq; tempus à motu non sciungitur, quanquam
diuersa quaedam res est ab illo. Quia in re Plato ab
Aristotele uidetur differre, quod Aristoteles motus
mensuram, ac numerum illum quo motus distingui-
tur, tempus esse definiuit: Plato uerò cum Pythago-
reis animam ipsius motus, seu durationem, tempus
esse asseruit, id quod Plutarchus in Platonis que-
stionibus

stionibus annotat. Huc etiam pertinet Plotini sententia, qui in lib. de Aeternitate ac tempore, contra Aristotelē probat, tempus non esse mensurā motus huic inherenti, nec etiam reuolutionē cœli, sed ab ea potius declarari. Tempus enim, inquit ille, per se res quedā alia est, à motu diuersa, quæ etiā sine motu manere posset: adiuncta tamē motui est, ut ab illo distinguatur. nam per motum clarius dignoscimus tempus, quā per quietem. Itaq; nec mensurās aliquid, nec mensuratū tempus esse dicit: sed durationem quandā continuā, ad quam distinguendā motu cœli utamur: indeq; fieri, ut cum numerū motus tempus uocat Aristoteles, potius dicat, cuius nam sit propriū tempus, quā quid uerē sit. Etenim si tempus mensura motus est, igitur qualis fuerit motus, tale etiam erit tempus, eademq; ratione et uelox, et tardū et ordinatū et inordinatū tempus erit, uelut motus. Deinde uel mensura illa motus diuersa est à motu, uel coniuncta illi. Si diuersa, ergo motus sine mensura est, et mensura sine motu: sin autem cōiuncta, necessariō cum motu cōcurrit. tuncq; maior ratio nō erit, cur motus tempus metiatur, quā tempus motū, sed alterū alterū metiri potest. Quibus rationib; Plotinus perdoctē ac subtiliter mensurā motus esse tempus negat: quāuis huic sese obijciat Simplicius. Age uerō, quo nā pacto tēpus motui adhaeret? Certē si Plotino, Platonichq; alijs aſcētimur, temporis essentia diuersa quedā res est à motu: eademq; duratio potius, et cōtinuatio quedam rerū sensilium appellabitur, quā motus cœli distinguit. Cum enim motus pro rei motæ magnitudine per partes fiat, durationem certē temporis per partes illas distinguemus. Iam uerō quo nam pacto eternitatem cogitamus? Sanē, ut Plotinus declarat, per eternam quandā animi nostri potentiā ulterius semper progredimē, nusquamq; quiescentē, quatenus mēs nostra sine defatigatiōe eandē rē semper cōsiderans perseuerat. Quamobrē cum ex ista durationis perseueratione eternitas, ex progressione uerō rerum sensilium per partes motus tempus intelligatur, merito quidē Plato partes istas motus cœli, ut dies, menses, annos, ad temporis cōtinuationē distinguendā tradidit, easdemq; ante cœlū fuisse negat: quoniam nullus tunc motus fuisset, qui durationē illam distingueret. ista enim omnia, ut idem ait, motus sunt. atq; Erat, Erit, Est, motus distinctiones sunt, quibus temporis progressio determinatur, nō autē tempus ipsum erunt. Atqui erat, et erit, quæ nati temporis species sunt, nō rectē æternæ substantiæ asſignamus.) Æterna substantia, siue ipsa eternitas, uia cum sit, in partes diuidi nō potest. quamuis enim de illa dicamus, erat, uel erit, uel est, hæc tamen omnia unum quiddam efficiunt in eternitate: nec Est solum, nec Fuit, nec Erit, seorsum dicemus. una siquidem est æterna illa essentia, siue Deus, qui eternitatem sibi habet adiunctam. Sed cur nam Plato solum Est eternitati competere, reliquas uerō tempo-

ris differentias ab illa esse alienas dicit? Quoniam erat, et erit, extrema sunt, autore Proclo, et inter se contraria: eternitas uerō cum una sit, nihil habebit contrarium, siquidem nihil est sibi contrarium in unitate. Quod si ergo nec erat, nec erit, eternitati conueniunt, solum Est instantis temporis illi conuenire poterit: quia illud Est, essentiam quandā perfectissimam, quæ semper est, significat. quocumque enim tempore sumatur, de illa rectē dici poterit, est. Ideoq; Plato Deum, intelligibiliaq; omnia, quæ eternitatem ipse habent, uerē entia nominat: sensilia uerō, et temporalia, non entia. Fuisse uerō, et fore deinceps, ad generationem tempore procedentem referre debemus: motus enim quidam duo illa sunt.) Hæc est precedentium uerborum confirmatio, quæ Plato eternitatis unitatē, idem itatemq; tuctur huiusmodi argumento: Erat, inquit, uel erit deinceps, alicuius rei initium habentis ortum significat: quæ cum ab æterno non fuerit, ex aliquo temporis principatu est orta. tempus autem, quoniam simul est cum cœlo factū, de illo erat et erit dici potest. contra uerō eternitas, quia nullam habet originem, solum hoc instans, est, illi cōueniet. Sed cur nam, erat, et erit, motus esse dixit Plato? quia in rebus genitis motus est, et contrarietas. quicquid enim sit, ex cōtrarijs fiat necesse est: et in ipsa etiam effectione ab uno cōtrario in aliud motus fit, quem *nirvāp* communi uocabulo uocat Aristoteles. Cum igitur, erat, et erit, cōtraria sint, generationiq; idcirco conueniant, tempusq; cum cœlo sit natum: certē illa duo temporis competent, proindeq; tempus per motum distinguetur. At uerō eternitas una et eadem immobilis est: nec enim in quo, uel ad quem moueatur, habet, sed in se semper eiusmodi est. Ergo solum Est illi conueniet: erat autem, et erit, aliena ab illa erunt, quantum ab exemplari simulacrum abhorret. Sæpe etiā dicimus, quod factū est, esse factum: quod fit, in generatiōe esse: quod fiet, esse faciendum: quod non est, non esse.) Ab eo, inquit Aristoteles, quod est res, uel non est, uera esse, uel falsa dicitur enunciatio: id quod huic loco uidetur asſignari. Cum enim tempus imaginem quandam eternitatis se numero reuoluentem, hoc est motus mensura declarata esse dixerit Plato: uti quidem nos ad rerum durationem explicandam nunc inquit ijs uerbis, quæ maximē rebus ortis cōueniant. Nam rebus præteritis erat, uel fuit, adhibetur: futuris autem, erit, uel futurum est: presentibus denique, ipsum fit. Siquidem hæc omnes temporum differentie rebus ortis, et ijs quæ aliquando esse desinunt, maximē conueniunt: eternitati uerō nullo modo, quando hæc semper eadem sit, nunquamq; esse desinat. Quare cum hanc uerborum distinctionem Plato explicauerit, ad eternitatis ac temporis discrimen declarandum, non esse magnam in ea re operam hoc loco impendendam inquit, ut unicuiq; rei conueniens uerbum applicetur: quando de horum uerborum impositione

fitione tractare, huius loci non sit, cum id magis ad
 Dialecticum Metaphysicumque pertineat. Quia in re
 ne plura etiam nos, quam Plato uult, dicamus, ad re-
 liqua pergamus. nec enim opus est prolixè hic dis-
 ferere, utrum nomina rerum et appellationes insitæ
 à natura sint, an ex hominum potius instituto: quod
 diffuse Plato in Cratylo, et Alexander Aphrodi-
 seus lib. 3. de Quest. naturalib. disputant. Tem-
 pus uerò unà cum cælo factum est, ut unà orta, u-
 nà etiam dissoluantur, si qua dissolutio his unquam
 contigerit. In his Plato repugnare sibi forsitan ui-
 debitur, quod tempus dicat natum cum mundo fuisse,
 quando prius et mundum æternum esse, et tem-
 pus æternitatis imaginem asseruerit. Sed tamen is mi-
 nimè sibi repugnat, si naturæ ordi- em spectemus.
 Rectè enim et genitus, et æternus dici mundus di-
 uersa ratione poterit. Prius enim est subiectum, quam
 res subiecto insita: hoc est cælum, cui motus inest,
 prius est, quam tēpus quod à motu distinguitur. Mo-
 tum enim prius intelligimus cū cælo cōiunctū, tan-
 quam illius actum: postea eius motus numerum tem-
 pori adhibemus, tanquam distinctionē eiusdē. Quo
 fit, ut ijs uerbis Plato naturæ ordinem declaret, cum
 post factum cælum motum illi tribuit: post motū ue-
 rò tempus distinctum. Quod tamen exponens Iam-
 blichus, idem esse inquit, tempus unà cum cælo fa-
 ctum uocari, ac tempus cum mundi dispositione si-
 mul ordinatum esse dici. Nam ab eodem opifice, qui
 mundū ordinauit, temporis essentia orta est: ideoque
 tempus ab æterna illa unitate discedēs, in ijs semper
 fluit, quæ naturam stabilem non habent. Quamuis
 igitur tempus cum cælo natum Plato dixerit, natu-
 re ordinem, compositionisque modum significare no-
 bis uult, non æternitatem mundi antea concessam su-
 stulit. Quamuis Iustinus Martyr in Parænesi ad Gre-
 cos, hinc uelit mundi ortum Platoni tribuere. Ve-
 rum hoc in loco Proclus æternum esse mundum ex
 Platone iterum probat, planeque illos irridet, qui sen-
 tentiam de mundi ortu Platoni ascribunt. Sic enim
 argumentatur ex ipsius Platonis uerbis: Si factum,
 inquit, est cælum, in tempore est factum: nihil enim
 sine tempore fit. quod si autē unà cum tempore est
 factum, non fuit factum in tēpore: nec enim tempus
 in tempore fieret, sic enim tempus ante tēpus esset.
 Ergo si unà cum tēpore factus est mundus, non fuit
 in tempore aliquo genitus. Quidquid enim fit, tem-
 pore ipso recentius fieri oportet. cælum autē post
 tempus non est, imò ipsum præcessit: siquidem illius
 est principium. ergo si cælum dissoluatur, dissolue-
 tur quoque tempus. At hoc fieri non potest, quia pars
 aliqua tēporis semper remanebit, ac proinde ipsum
 met tempus: igitur dissolui non posse cælum, conclu-
 ditur. Hæc argumenta Proclus prolixè inculcat, æ-
 ternitatemque mundi cōfirmat: quæ tamen Philopo-
 nus dicato in illi libro refellit. Quæ de re quia mul-
 ta nos superius retulimus, plura referre nō oportet.
 Interim cum Plato natum cum cælo tempus inquit,

ut unà orta simul dissoluantur, ad mundanam cor-
 poris naturam respicere necesse est. dissolubilem e-
 nim esse mundum ait, quatenus factus, corporeæque
 naturæ est, ut antea retulimus: est tamen idem eter-
 nus, quatenus ab æterno principio est genitus. Ideo
 æternum esse mundum non ex eius natura, sed pro-
 pter æternam causam dicens concludit: Si qua his
 dissolutio unquam contigerit. id est, Quamuis æ-
 ternus sit mundus, ex sua tamen natura genitus est,
 ut latius in superioribus est dictum. Quia in re Ale-
 xandri Aphrodisei obiectiones in Quest. natural.
 omittende in præsentia sunt, quibus mundum ex
 sua natura dissolubilem esse negat: ita tamen, ut eter-
 nus propter causam primā sit, cum Plotinus in lib.
 de cælo multis argumentis fieri posse æternum pro-
 bet: quæ, ne lectorem uarietate obruam, prætermittende
 hoc loco sunt.

Hac ratione consilioque Dei tempus
 creare uolentis Sol & Luna, & aliæ
 quinque stellæ, quæ uocantur erraticæ,
 factæ sunt, quo temporis numeris di-
 stinguatur atque obseruetur. Cum uerò
 stellarum huiusmodi corpora septem
 fecisset Deus, septem orbibus, qui alte-
 rius ipsius diuersæque naturæ circuitu
 uoluuntur, adhibuit. Lunam in primo
 supra terram circuitu posuit, in secun-
 do Solem, Luciferi deinde globum, et
 Mercurij sacrum, ut dicitur, orbem cir-
 culis affixit. Soli uelocitate equalibus,
 potentia uerò illi cōtrarijs. Quo fit ut
 apprehendant se inuicem, & à se uicif-
 sim apprehendantur similiter hæ stel-
 læ, Sol, Lucifer, & Mercurius. Cætera-
 rum stellarum ordines progressusque &
 rationes si quis omnino percurrere ue-
 lit, plus erit opere ipso, quod operis
 gratia sumet. Hæc enim fortè à nobis
 pro dignitate rei aliàs, si dabitur oriū,
 tractabuntur. Postquam uerò singula
 quæ ad seriem temporis pertinebant,
 conuenientem sibi progressum sortita
 sunt, corporaque nexibus compacta ui-
 talibus animalia euaserunt, præscriptū
 tenorem & institutum ordinem tenue-
 runt: ut uidelicet secundum alterius di-
 uersæque naturæ obliquam agitationem
 eiusdem ipsius agitationi subiectam,
 orbis illi partim ampliorē, partim an-
 gustiorem circulum peragant: & quæ
 minorem, uelocius: quæ maiorem, tar-
 dius reuoluantur. Secundum uerò i-
 psam eiusdem naturæ lationē, quæ ue-
 m

locissimè percurrunt comprehendentia, à tardioribus comprehendi uidentur. Omnes quidem eorum circulos superna illa uertigo uaria circuitione reuoluens, propterea quòd isti duobus simul contrarijs motibus agitantur, id quod tardissimè ab ipsa quæ uelocissima est recedit, proximum declarauit. Ut autem esset quædam uelocitatis illorum tarditatisq; mensura certissima, omniumq; octo motuum prodiret in lucem chorea, accendit lucem clarissimam Deus in secundo à terra circulo, quam modò Solem uocamus. Cuius splendore cælum omne illustraretur, & animantes omnes quęcunq; natura numeri capaces sunt, ipsius participes efficerentur, usum numerandi discen-
 tes ab illo eiusdem similisq; naturæ circuitu. Hinc quoq; noctis dieiq; uarietas orta est. Propter hæc etiã unius sapientissimiq; circuitus reuolutio. Mens uerò prouentus, quando Luna lustrato circulo suo Solem consecuta est. Anni, ubi Sol suum peragrauit orbē. Cæterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neq; nomine certo illos appellant, neq; numeris inter se distinctis cōmetiuntur. Itaq; ut ita dixerim, nesciunt horum peruagationes id ipsum esse, quod ritè dicitur tempus, multitudine infinita & uarietate mirabili prædita. Est tamen intellectu facile, quòd perfectus numerus tēporis, perfectū tunc demum compleat annum, cum octo ambitus confectis suis cursibus, quos orbis ille semper idem similiterq; procedens metitur, ad idem se caput retulerint. Has ob causas nata sunt ea astra, quę per cælū meantia conuersiones habent, ut hoc omne animal quod uidemus, esset perfectissimo animali illi quod mente perspicitur, harmonię imitatione simillimum.


Quoniam hætenus de temporis generatione dictū à Platone est, tempusq; cæli motu distinguitur, cōsequens est, ut de eius uarietate, distinctioneq; distingeretur. Quo nomine cum tempus, inquit Plato, ad eternitatis imaginē factum à Deo esset, idemq; motu distingui oporteret, Sol, Luna, reliquiq; planetę quinq; facti sunt, ut motu suo totam illam temporis durationem distinguerent. In quo duplex fuisse tem-

pus productum, Proclus intelligit: unum ad eternitatis imaginem, cum ipse nimirū opifex uno intuitu in eternitatem suam tanquā exemplar inspiciēs, tempus, hoc est totam illam continuam durationem eternitati similem effecit: alterū consilio rationeq; factum, quatenus diuisum in partes est, hoc est, per solem ceterosq; planetas determinatum. Itaq; totam illam integram temporis durationem imaginē eternitatis esse, temporiam autem distinctionem ex Dei ratione consilioq; factam dicit. Igitur facta, inquit Plato, errantia illa sidera fuisse à Deo, ut temporis numerus distingueretur. Siquidem tota ea duratio, quam tempus nominamus, & à motu declaratur, ut antea diximus, & ab illo continetur, quatenus numeratio temporis ex motu siderū pendet, quanquā tempus ipsum diuersa quedam res sit ab ipso motu. Cum igitur temporis instrumenta, hoc est errantia sidera, facta à Deo essent, ad ipsorum iam explanationē Plato accedit. Ait enim, duplicē fecisse Deum circulum, unum eiusdem naturę, alterum uerò alterius: atq; illum quidē unico motu præditū aduerti, id est, minime errantem esse: hunc uerò in septē alios orbes, nimirū stellas errantes diuisum fuisse. De quibus orbibus quando generatim dictum in superioribus est, ad septem solum stellarum motus explicandos nos conuertamus. Lunam in primo supra terram circuitu posuit. Alterius naturę motus in septem errantium siderum orbes diuisus est, ideoq; septem sunt planetę: præter ultimum illud cælum, quod eiusdem naturę circulum Plato uocat. Iidem autem certum quendam in cælo motum ordinemq; habent, quem cum hoc loco Plato docere nos uelit, primò communem stellarum situm tradamus, deinceps illius sententiā exponemus. Ptolemæus lib. 1. Magnę cōpositionis, octo cæli orbes esse dicit: primum motorem, septemq; alios planetas, atque illum quidem unico tantum motu ab ortu in occasum moueri ait, eoq; reliquos septem impelli. Septem uerò planetas cōtra motū illius ab occasu in ortum eniti, diuersisq; temporum spacijs conuerti affirmat. Eorundem etiam septem hunc ordinem ponit, ut primò sit octauum cælum, deinde Saturni circulus, deinde Iouis, tum Martis, deinceps Solis, postea Venæ, mox Mercurij, ultimò Lunę. Hunc stellarū ordinem & Mathematici, & philosophi multi constituunt. Plato uerò quanquam in alijs non dissemiat, differt tamē ab illis, quòd secundo loco post Lunā, Solem collocat: atq; id sanè non hic solum, sed in libris etiam de Rep. fecit. Cuius rei causa est, ut Proclus refert, quòd Luna cum naturę rationē habeat, atq; in rerum ortu matris loco sit, quippe eius humore cuncta augentur, primo loco supra inferiorē regionē est: Sol uerò secundo huic adiungitur, quoniam is calore suo cuncta uelut parens gignit, ac fouet. humore enim, quem Luna infundit, & calore, quem Sol diffundit, cuncta oriuntur, alunturq;. Quo fit, ut Sol pater, Luna mater appelletur. Cum ex-

go Physica

go Pbyfica ratione cōstet, secundo loco Solem post Lunam rectē posse collocari, meritiō Plato Lunae proximum Solem adiunxit: nec Venerem et Mercurium inter utrumque interiecit, quemadmodum Mathematici uolunt, cum pari celeritate omnes illi tres Sol, Venus, Mercurius moueantur. Quibus de causis. Plato, secundo loco Solem post Lunam posuit, quod Proclus et Apuleius de illo testantur: idq; ab Aegyptijs, ut Macrobius refert lib. 1. in Somn. Scip. mutuatus est, qui hunc ipsum ordinē Soli tribuerunt, hoc est sextū ab orbe Saturni. Verū nec solus Plato sextum ei locum tribuit, sed Aristoteles etiam, et qui Eudoxum secuti sunt, ut Proclus testatur. Nam et Aristoteles idem in lib. de Mundo ad Alexandrum, manifestē cum Platone cōsenties, Lunae Solem proximē adiūgit. in lib. item 2. de Caelo idē indicat, cum inquirens illud, cur errantes stelle, quo magis primo mobili accedunt, eo tardius moueantur, cum cōtrā fieri debuisset, Lunam ac Solem ut infimos reliquorū siderum ponit, his uerbis: *νῦν δὲ συμβαίνει τὴν ἀντίστροφον, ἐλάττω γὰρ ὁ ἥλιος καὶ σελήνη κινεῖται κινεῖσθαι, ἢ τὰν πλανητῶν, ἀστέρων οὐκ, καὶ τοὶ περὶ ὁὐρανὸν τῶν μέσων, καὶ πλησιέστερον τῶν πρῶτων σώματος εἰσὶν αὐτὰ.* Quod autem eum ordinem Soli uelit Aristoteles ijs uerbis conce-

dere, Simplicius in Commentarijs affirmat. Hic igitur est siderum errantium ordo à Platone traditus. Cum autem eadem omnes stellae sese mutuò complectantur à primo illo caelo usq; ad Lunae globum, maioresq; semper orbes sint, quo magis incrranti orbi uicini fuerint: Sol tamen, Venus, et Mercurius pari celeritate conuertuntur, unoq; quasi spacio mouentur, quod Plato his uerbis ait: *In secūdo Solē, Luciferi deinde globū, et Mercurij sacrum, ut dicitur, orbem circulis affixit, solis uelocitate equalibus, potentia uerò illi contrarijs.* Sed ut Platonis ipsius uerba melius declarentur, singula suo ordine explicemus. Primò, sidera errantia non esse orbem illum qui mouetur, sed stellā illi inherētē, et in eo se orbe conuertentem, tum Mathematici, tum philosophi affirmāt. ideoq; Plato Solem inquit, Venerem, ac Mercuriū orbibus suis affixa fuisse, ita ut stella Veneris orbem suum, Mercurij quoq; ac Solis stellae suos orbes obtineant. Iam uerò cum Sol, Venus, Mercurius coniunctos inter se orbes obtineāt, pari celeritate cōuerti dicuntur: sed cōtrariā tamen unusquisq; illorum uim habet. Quae ut nos apertius doceamus, subiecta prius caelestium orbium ordinis figura. quomodo pari celeritate ijdē tres cōuertantur, quamq; uim cōtrariā inter se habeant, ostēdamus.



Quando Solem, Venerem, ac Mercurium, ut in precedenti figura patuit, coniunctis orbibus moueri constat, omīssis nunc Ptolemæi rationibus, quibus Solem medium inter septē planetas quarto loco esse probat, causam nos reddamus, cur ijdē tres pari celeritate moueantur, cum inaequales sint illorum orbes, maiorūq; orbium tardiores sint motus. Porphyrius ac Theodorus equales cursus conficere Solem, Venerem, ac Mercurium inquit, propter cuiusq; illorum uitas. cum enim sidera omnia sint animata, ex propria uita motum illum habent. Iamblibus eam equalis motus causam tollens, Lunam inquit terrae proximam matris loco esse, quando omnia eadem in crescente augentur, et decrescente mol-


nuuntur: ideoq; Solem quasi patrem eidem adiūgi, Mercurium autem ac Venerem Solis comites ad generationis perfectionem concurrere, paresq; cursus conficere. Sed haec tamen rationes non ueram, sed adumbratam eius equalitatis causam proferunt. Melius igitur Mathematici huius motus equalitatem motui epicycolorum tribuunt. cum enim experimento compertum sit, eos tres orbes pari celeritate moueri, causam eius rei hanc esse dicunt, quod epicycli horum trium planetarum in linea quadam coniungantur, unicūq; centrum tunc habeant. Nam quemadmodum una quadam linea mota, una est instauratio: sic etiam illorū epicycli eandem efficiunt instauracionem motus, atq; eorundem epicyclorū

m 2 extremi

extremi minores sunt, medius autem est maior. Ex quo fit, ut *æquales* sint illorum motus. Nam Venus eodem tempore mouetur in epicyclo suo, quo Sol in suo deferente orbe: semper enim *lineæ* mediorum motuum utriusq; planetæ in uno Zodiaci signo coniunguntur. indeq; fit, ut ne duobus quidem signis à Sole Venus unquā digrediat. Eadem quoq; Mercurij ratio est, siquidem eodem tempore illius epicyclus mouetur, quo *linea* mediij motus Solis unam conficit cōuersionem. Quoniam itaq; *lineæ* mediorum motuū Veneris, Mercurij ac Solis eadem semper sunt, *æquales* sunt eorundem motus, ut latius in Theorijs planetarum apud Ptolemæum explicatur. Cum hæc ita sint, merito Plato tres illos stellarū orbes pari celeritate moueri dixit. Sed quam tamen duas illas *stellas*, Venerem et Mercurium, uim Soli contrariam habere inquit? Nempe cursus suos inter se contrarios. Quamuis enim una cum Sole moti idem temporis spaciū in conuersione sua consumant, tamen motus alios diuersos à Solis motu habent: ut epicyclorum conuersiones, quibus inter Septentrionem et Austrum mouemur. Ceterarum stellarum ordines, progressusq; et rationes si quis omnino percurrere uelit, plus erit opere ipso, quod operis gratia sumetur. Quoniam de ijs sideribus, quibus tempora potissimum distinguuntur, dicere incœpit Plato, de iisdemq; breuiter nōnulla attigit, ut temporum uarietatem ostenderet, Ceterorū inquit siderū motus explicare alienū ab hoc loco est: hoc est, Saturni, Iouis, ac Martis motus prolixè docere, superuacaneū foret, quando eius rei tractatio ad Astronomos pertinet, atque hic solum breuiter quedā dicantur ad temporis explicationē. Postquam uerò singula, quæ ad seriem temporis pertinebant, Septem errantium stellarum ordinem suprà explicuit: nunc eorundē naturam ostendit, cum singula sidera et animata esse, et diuiniore uite participare dicit, ita ut non modò ipsa animata sint, sed animatis etiam uinculis copulentur, auctorisq; sui imperio parēre didicerint. Itaq; primum animata esse, quemadmodum et uniuersitatē ipsam, inquit: tum animatis uinculis colligari, diuinisq; iussis parēre. Nam Plato quidem, ut Apuleius de ipsius dogmate testatur, *stellas* esse animales deos putauit, ingeniumq; orbium cœlestium ex igne coalitum dixit. Idem confirmat de illo Alcinous, cum intelligibilia animalia, deosq; uocari planetas ab eo refert. Id quod lib. 2. de Nat. deor. Cicero uidetur expressisse, qui non modò mundum, sed *stellas* etiam diuinas, animatasq; esse, et ex purissima ætheris parte genitas, cum Platone aserit. Atqui hoc ipsum lib. 12. Metaphysic. Aristoteles docet, dum cœlum esse animatum inquit: ita tamen, ut singuli orbes suam habeant animam, siue intelligētiam, quam uocat, quæ ipsos moueat, quæq; ad primi motoris impulsū orbem suum cieat. Quæ in re hoc uidetur ab Aristotele Plato dissentire, quòd hic animas orbibus infusus

putauit esse, ille uerò eas ipsis prefecit. Quamquam non me lateat, eundem Aristotelem lib. 2. de Cœlo, et animata esse sidera, et rationalem uitam habere, uel Simplicio etiam id attestante, apertè dicere.

At cur nam animatis uinculis cœlestes orbes colligari dixit? Quia ut corpus, quandiu in eo manet animus, animalibus facultatibus præditū est: sic cœli animati cum sint, diuersam habent animam à corpore. ex corpore enim et anima cōstant: utriusque autem connexio animatum uinculum hic uocatur à Platone, ut arctissimā animæ cum corpore colligationem declaret. Iam uerò cur nam cœlestia corpora paruissè iussis diuinis inquit, cum uinculis animatis copulata sunt? Quoniam corpus prius ex materie cōcretione conflatum animatur: postquam uerò anima est præditum, uires animales exercere incipit. est enim ut instrumentum animi, corpus. Præterea cum orbes omnes cœlestes ad primi motoris impulsū moueantur, quando anima, id est ui illa mouendi sese sunt donati, illum ipsum sequuntur, eiq; obtemperant. Quam etiam ob causam hæc postea Plato subiungit: Ut uidelicet secundū alterius diuersaq; naturæ obliquam agitationē eiusdem ipsius agitationi subiectam, orbes illi partim ampliorem, partim angustiore circulum peragant. Id est, orbes cœlestes quo magis ad primum mobile accedūt, eo sunt tardiores, celeriores uel alijs, itemq; alijs maiores, minoresq; alijs. Nam qui ad primū mobile magis accedunt, tardiores sunt, ac maiores: qui ab eo longius distant, minores. id quod Plato pluribus uerbis significat. Sed ut nos breuem huius rei demonstratiōnem addamus, quæ Aristoteles lib. 7. Physic. et Proclus utuntur, hoc modo probabimus circulos rationem aliquam inter se habentes, similem celeritatis motus habere maiores cum minoribus. Primò sint duo circuli, duplam inter se proportionem habentes,



tes, nimirum A duplus ad B: moueaturq; circulus A in duplo temporis spacio quàm B, uidelicet à puncto C per A, ad punctum D. Igitur dimidiato tempore illius A mouetur circulus B. Quod si ergo circulus B in dimidio illius spacio mouetur, similem inter se ambo proportionē habent. Siquidem ea quæ in eodem tempore mouentur, similem celeritatis conuersionem habent. Itaq; si temporis ad tempus, ac circuli ad circulum proportio est, minor sanè cir-

nè circulus maiorem percurrit, quia minor maiorem metitur. Ex quo fit, ut minores circuli celerius, maiores autem tardius moveantur: quod ad Platonis explicationem demonstrare oportuit.

His ita demonstratis, ecquid nam in ijs Plato sibi vult, cum secundum obliquam alterius naturae agitationem per motum eiusdem naturae euntem, diuisionem illam motuum fecit? Quia ut initio docuimus, primum mobile eiusdem naturae uocatur: reliqui uero septem orbes alterius. Itaque alterius naturae motus, id est reliqui septem orbes errantes praeter octauum inerrantem per motum eiusdem naturae euntes, id est una cum octauo ipso impulsu ab illo superantur, id est ab eo rapiuntur uelut a supremo. Quae omnia si cum superioribus recte coniungas, nihil aliud significabunt, quam si sic Plato dixisset, Cum primum mobile reliqui errantes orbes sequantur, sit ut in eo motu alij minores, alijq; maiores sint, quorum illi uelocius, hi tardius mouentur. Praeterea motum alterius naturae siue orbium errantium *παραγιναι*, id est obliquum appellat, quoniam Zodiacus circulus obliquus est, diuersosq; polos a mundi polis habet, in quibus planetae omnes conuertuntur, siquidem septem illi orbes Zodiaci obliquitate conuertantur, quamuis motu epicyclorum a Septentrione in Austrum dicantur moueri. Secundum autem ipsam eiusdem naturae lationem, quae uelocissime percurrunt, comprehendenda, a tardioribus comprehendenda uidetur. Caelorum alij maiores sunt alijs, uti diximus, ac maiores minores intra se complectuntur, inuicemq; ab alijs comprehenduntur usq; ad octauum illum caelum seu motum eiusdem naturae, qui cunctos orbes comprehendit, motuq; suo rapit, ut omnibus notissimum est.

Omnes quidem eorum circulos superna illa uertigo uaria circuituione reuoluens, propterea quod isti duobus simul contrarijs motibus agitantur, id quod tardissime ab ea quae uelocissima est, recedit, proximum declarauit.) *ἐπεὶ, κὸς uertiginē aut inflexionem significat, atq; ita Plato uertigine inquit illa caelestes omnes orbes moueri, quoniam duobus contrarijs motibus agitantur. sic enim is ait: πάντας γὰρ τὸς κύκλους αὐτῶν στρέφουσα, ἑλκεῖ διὰ τὸ διχῶν κατὰ τὰ πάντα ἄμα προέχουσα τὸ βραδύτατα ἀπὸ τοῦ ἀπ' αὐτῆς ὄντος ταχίστην ἐγγύτατα ἀπέχουσα.* in quibus uerbis duplicem caeli motum significat, et raptum, quo cuncti orbes a primo inerrante impulsu ab ortu in occasum 24. horis mouentur, et proprium singulorum planetarum ab occasu in ortum. atq; illum certe ita fieri putat, ut proportionem quandam cum alijs orbibus teneat. Nam qui primo illi octauo proximi sunt, ut Saturnus ac Iupiter, tardissime mouentur: qui longius ab eodem distant, ut sol et luna, celerrime. id quod Plato sic docet: Propterea quod isti duobus simul contrarijs motibus agitantur.) Id est, uertigo illa orbes omnes caelestes et octauum inerrantem, et septem errantes circumsoluit, quoniam iidem in duos contrarios mo-

tus mouentur, ex quibus unus communis efficitur motus. Sed cum tamen motum ita effici Plato inquit: Id quod tardissime, ab ipsa quae uelocissima est, recedit, proximum declarauit.) id est, cum motus ille octauum caeli celerrimus sit, quippe qui 24. horis fiat, tamen orbes eidem proximi tardius mouentur. nam quo sunt illi propinquiore, eo tardius conuertuntur: et quo remotiores, eo celerius. interim tamen duo illa a nobis explicemur, cur orbes caelestes primo mobili uicini, tardius moueantur, cum primum mobile moueatur celerrime. Deinde cur illa uertigine moueri caelos Plato dicat, quod duobus contrarijs motibus illi moueantur, et quae nam contritetas illa sit, uideamus. In primis si rationibus Aristotelis lib. 2. de Caelo credimus, in causa id est, cur remotiores a nobis orbes tardius moueantur, quod primum mobile unico motu conuertitur est, et quo uiciniores illi fuerint orbes, eo paucioribus motibus impelluntur: siquidem ea quae ad naturam simpliciore accedunt, magis sunt illius participantia, quam illa quae longius recesserint. Itaque potissimum eius motus uim animae ac ui orbium tribuendam esse censeat, ut Simplicius annotat, nec enim in eo loco solum animam caelis tribuit, sed alias etiam. Praeterea cum uertigine illa totius caeli orbes omnes et errantes, et octauum moueri dicat Plato, quia duobus contrarijs motibus uniuersum moueatur: ita esse intelligendum Proclus ait, ut proprios planetarum motus significet, non modo ab occasu in ortum, sed a Septentrione etiam in Austrum, siquidem eadem stellae errantes in suis orbibus modo Septentrionem uersus, modo in Austrum epicyclorum motu incitantur, ut latius apud Ptolemaeum traditur. Sed ego tamen per duos illos contrarios motus, propter quos uertigo illa, id est motus totius caeli conficitur, ipsum caeli duplicem motum intelligendum esse putamus: ita ut caelum uniuersum motu octauum orbis ab ortu in occasum uno motu moueatur, qui simplex est, reliqui uero septem planetae contrarijs motibus ab occasu in ortum contra illud errantur. Itaque idem erit illud, quod Plato ait, ac si diceret, Uniuersum caelum unica uertigine, id est agitatione motum bifariam impelli, uel simplici illo motu raptu, uel proprio singulorum orbium, ut antea docuimus. Ut autem esset quaedam uelocitatis illorum, tarditatisq; mensura.) Quoniam orbium caelestium motu tempora distinguantur, per omnes tamen tempus non metimur, sed per Solis aut Lunae cursum. ideoq; Plato, Ut esset, inquit, mensura quaedam euident in ijs octo caelis tarditatis, celeritatisq; Solem Deus quasi luce quadam illustrauit, cum secundo post Lunam loco eum collocauit, ut omnia nobis suo lumine patefaceret. Nam Sol quidem lucidissimus cum sit, non modo cuncta quae in mundo sunt, suo lumine uidere nos facit, sed tempora etiam distinguit: siquidem eius cursu dies, noctes, annos, et annis caelorum motus supputamus. At quo nam pacto caeli motum Sol lu-

in ne suo nobis ostēdit? Quoniam cum is lumine suo nos illustret, eundem et oriētem et occidētem cernimus, motusq; ipsius hoc modo obseruamus, dum modò supra horizontē citius, modò tardius ipsum oriri cernimus, unde temporis spacia colligimus. uisum enim, ut Plato postea dicet, rerum omnium cognitio peruestigata est. et ut idem in Epinomide latius docet, ex cœli siderumq; motu numeros didicimus, cum noctium dierumq; numerum deprehendimus. Sed cur nam Solem secundo loco post Lunam accensum à Deo esse dixit? Quia non modò cœlū uniuersum, sed stellas etiam omnes igneæ naturæ sunt, ut antea retulit. Idem enim igneæ naturæ cœlum ac sidera putauit esse, quia lucem ac splendore ab igne habeant. Ideo Sol cum omnium stellarum sit lucidissimus, ex ignea natura consistere, et secundo post Lunam loco, ut cuncta melius illustret, collocatum esse inquit. Atq; hoc ipsum Plotinus in lib. de Cœlo, hunc locum Platonis exponens, affirmat, cum idem esse inquit, Solem accensum à Deo fuisse à Platone dici, ac si diceret, eundem splendidissimum et aspestabilem ex omnibus stellis esse. Iam uerò quoniam tempus, motus est numerus, ut antea retulimus, idemq; numerus non tam in re ipsa quæ numeratur, ut in Physicis docet Aristoteles, quam in numerante est, (siquidem numerus alius est numerabilis, alius numerans in mente numerantis insitus) non omnia animalia res possunt dinumerare, sed ea solū quæ ratione utantur, in qua numeri sunt. Itaq; si non omnibus animalibus numerorum usus concessus est præterquam hominibus, tempusq; motus numero distinguitur, igitur solum numerare tempora tributū est. Vnde Plato rationales uocari homines dicit λογιστὰς, quasi numerorum peritos. Quo nomine, Animantes, inquit, quibus ius esset doceri id est, illis qui scientiæ capaces sunt, quod rationis est propriū, concessit Deus, ut ex Solis motu tempora distinguere rent. Sic enim is ait: ἵνα ὅτι μέγιστα ἐς ἀπαντὰ φάσιν τὸν ὕψανόν, μετὰ δὲ καὶ ἀριθμῶν τὰ ἴσα, ὅσοις ἢ προσῆκον, μαθόντα παρὰ τῆς ταυτοῦ καὶ ὁμοῖς πόριφοις. Hoc est, Sol quidē magno suo lumine post Lunā est positus, et ut cœlū illustraret, et ut numerorū capacia essent animalia illa, quibus ius erat discere cursum eiusdē, similisq; naturæ. Cum ergo sola rationis, scientiæq; capacia animalia cum numeri motus cœlorū cōprehendāt, ecquid sibi Plato uult, cum animalia inquit eundē numerū cōprehendere, quæ cursum eiusdē similisq; naturæ cognouerint? Quia, ut antea retulimus, eternitatis quæ in Deo est, imago est tempus, illaq; sensib. aliena mente solum concipitur: hoc uerò in sensus cadit. Quare ut ex sensibilibus res intelligibiles deprehendimus, quia res prius sensibus cōprehensas ad mentē traducimus: ita ex tempore hoc sensibili, quod motus numero colligitur, eternitatē illam intelligibilē, quæ in Deo una est, deducimus. Quæ cū ita sint, ταυτοῦ καὶ ὁμοῖς πόριφοις, id est motū eiusdē naturæ eter-

nitatis progressionem non motu fluentem, sed æterna duratione eandem semper manentem intelligamus, ut Proclus uidetur exponere. Nos tamen si sententiam nostram proferimus, per motum illum eiusdē naturæ octauæ cœli conuersionem diurnam intelligendam censemus, ita ut per eandem noctiū dierumq; spacia, quibus consistant tempora, dignoscamus. Siquidem raptu primi mobilis cœlū uniuersum impulsū, dies ac noctes efficit. solis accessione, recessuq;. Hinc quoq; noctis dieiq; uarietas orta est.) Quæcunque hæctenus dicta sunt, ad temporis effectum spectant. cœli enim animati in suos orbes diuiduntur, ut cursus uarios conficiant, ex quorum numero tempus distinguatur: tempus aut cum diuisibile in partes sit, factū ita est, ut ex uniuersa eius reuolūtione, quam 24 horis efficit, dies naturalis fiat: hoc enim spacio primū mobile cœlos omnes secum rapiens conuertitur. Igitur cum de Solis lumine Plato loqueretur, ob illius inquit causam nox diesq; est effectus. Sol enim nostrum hemisphærium illustrās, diem efficit: cum uerò occultatur, illustratq; alterū hemisphærium, nobis est nox. Itaque reuolutio hæc diei et noctis 24 horis fit, diesq; naturalis uocatur. Hoc loco inquit Proclus, cur noctem diei præposuerit Plato? Quoniam priuatio lucis, inquit, mundo adfuit prius, quam lux, noxq; die prior fuit, ac proinde hoc loco prius ponitur. Ergo noctes et dies tempora distinguunt. ex ijs enim menses, anniq; constant. mensis enim, ut Plato ait, Lune cursu conficitur: Sol uerò 365 diebus circunuiuens se in suo orbe, annū efficit: reliqua uerò sidera per motus eorum duorū numerantur. Cæterorū aut siderū ambitus.) Solis ac lune cursu tempora numeramus, quoniam facilius notiorq; ratio illorum est: at siderum reliquorum, ut Martis, Iouis, Saturni, quamuis noti sint cursus, per eos tamen tempora non distinguimus, cum ipsi etiam tempora cōstituant. Nam si cœli uniuersi motu tempus distinguitur, singulorum etiam orbium conuersiones idem distinguunt. Eorum igitur motuum supputatione tametsi tempora distinguantur, tamen facili et expedita solis ac lune cursus ratione utimur, quod Plato nobis significat. Sed cum hanc orbium singulorum conuersionem, utpote obscuram uulgaribus, soli Astrologi, qui eius rei cognitionem tenent, agnoscant, paucos inquit Plato, illorum motuum rationem cognoscere, cum ait: ὥς ὡς ἐπὶ ἐπὶ, ἢ ἐπὶ ἐπὶ ἡρόν ὄντα, τὰς τῶν πλείους πλείους μὲν ἀμυχαῖν χρωμάτων, πτωκοι μὲν δὲ θαυμασῶν. id est, Reliqua quidem sidera cum tempus constituent, ignorant quidem multi illorum errores, id est cursus aspectu nostro errantes, qui tamē minimē errant, sed certa ratione fiunt. Errores in quā multitudine infinita utentes, mirabili tamen modo uariates.) Hoc est, ijdem motus errantes infinitam quandam, id est incertam rationem obseruant: sed illam tamen mirabili modo uariantē. nam nostro aspectu ijdem cum modò

modò tardius, modò uelocius iisdem spacijs mouean-
tur, uidentur quidem nobis incerta quadam, uagâq;
ratione id facere: cum tamen certas et ratas suorum
cursuum cōuersiones efficiant, ut latius in Theorijs
planetarum explicatur. Est tamen intellectu faci-
le, quòd perfectus numerus temporis perfectū tunc
decum.) Sidera omnia errantia, ut antea Plato di-
xit, tempus suum complent, dum suos cursus pera-
gunt: sed cum uniuersum cœlum, siue primum mobi-
le, suo illo motu circumuolutū, eò iterum perueniat, 10
unde cœpit conuerti, magnus annus seu uertens di-
citur: quem Astronomi aliqui 39000 annorum so-
larium esse asserunt. tunc enim stelle omnes tam er-
rantes, quàm fixæ, quæ in eodem cœlo sunt, undè
cum illo motu, ad eundem locum redeunt, à quo ini-
tio mundi conuerti cœperūt. Quem tamen annum
Macrobius in Somn. Scip. mundanū appellat, eun-
demq; 15000 annorum esse dicit. hinc autem ex
octauum cœlum, et errantes stellas ad eundem lo-
cum redire, indeq; iterum suos cursus, ut antea, effi- 20
cere inquit. Itaq; octo tunc cœli orbis ad idem ca-
put et locum confectis suis cursibus redeunt, quos
idem, ac sui similis orbis, id est primum mobile meti-
tur, quoniam ex proprio illius cursu annus hic ma-
gnus conficitur. Siquidem cœli omnes cursus suos
conficiunt, ut Luna mensem: Sol, Venus, et Mercu-
rius, annum: Mars duos annos, Iupiter duodecim,
Saturnus triginta: octauum cœlum 36000 annorū,
ut Ptolemæus supputat, accommodatis unicuique 30
Zodiaci gradui centum annis. Nam octauum cœ-
lum præter motum illum raptum diei ac noctis, al-
tium habet cursum raptu contrarium, qui secundum
Zodiaci signa progreditur, quiq; singulis centenis
annis gradum unum perambulat, seu ut alij uolunt,
ducentenis. Quare motum sanè hunc Plato uidetur
intelligere, cum de anno isto uertente loquitur. nisi
quis forsitan obijceret, motum illum post Platonis e-
tatem ab Hipparcho ac Ptolemæo peruestigatū ef-
se: cui tamen facile respondetur, ab Aegyptijs prius,
et Chaldeis, ut Proclus ait, eundem fuisse cogni- 40
tum, à quibus Plato id potuit accipere. Has ob
causas nata sunt ea astrâ.) Hæc est dictorū omnium
de tempore conclusio, in qua idcirco Plato inquit,
sidera omnia creata fuisse à Deo, ut tempora distin-
guerent, uer, æstatem, hyemem, autumnū. Nam dum
Sol Zodiacum lustrans, ad Cancrī tropicum ascen-
dit, uel ad Capricornum descendit, duo efficit solsti-
tia, æstiuum et hybernū. inter eadem autem solsti-
tia bina illa tempora distinguuntur: uer scilicet, cum
Arietem, Taurū, ac Geminos percurrit: æstas, cum 50
Cancrum, Leonem, ac Virginem: autumnus, cum
Libram, Scorpionem, et Sagittarium: hyems, cum Ca-
pricornum, Aquarium, ac Pisces. Quare ordo hic
tam constans et pulcher seruetur, ut exemplari suo
quàm similissimus sit mundus. Nam et ipse animal
cum sit, animam illi æterno, et intelligibili, siue
mundo archetypo similis est, ideoq; ad illius se e-

xemplar cōponit, ut quemadmodum essentia æter-
num est illud, ita ipse temporis decursu æternitatem
imitetur. Atq; ita omnia quæ in mundo sunt, ad simi-
litudinē eorum quæ sunt in archetypo exemplari,
Deus effecit, nequid huic deesset.

Iam uerò cetera usq; ad temporis or-
tum, ad imaginem propositi exempla-
ris effinxerat. Sed quia mūdus hic nō-
dum animalia omnia inter suum ambi-
tum continebat, ex ea parte deficiebat
ad illud exemplar imaginis huius simi-
litudō. Hoc igitur quod deerat, super-
ni illius exēplo Deus explebat. Quor-
igitur & quales mēs ideas, in eo quod
est animal inspicit, totidē & tales hoc
mundo contineri oportere excogita-
uit. Sunt autem quatuor. Vna quidem
deorum cœlestium genus continet. a-
lia uolatile & aeriuagum. tertia aquæ
liquoribus accommodatum. quarta
terrenorum animantium genus. Diui-
ni quidē animalis speciem ex igni ma-
xima ex parte componebat, ut splendi-
dissimum esset, uisūq; pulcherrimum.
Cumq; illud uniuersi figuræ simile uel
let fore, rotundum fecit, posuitq; in i-
psius optimi sapientia: atq; illud sequi
iussit, circumq; omne cœlū distribuit,
ut uerus illi ubiq; ex hac uarietate or-
natus accederet. Dedit autem diuinis
duo genera motus. alterū, quo in eo-
dem semper & similiter uoluerentur,
cum de eisdem semper secum ipsis ea-
dem cogitent. alterū, quo in anterio-
rem partem ab eiusdē ipsius similisq;
uertigine ducerentur. Reliquos autem 40
quinque motus ab his esse uoluit alie-
nos. ut unumquodq; illorum, quoad
fieri potest, optimū esset. Qua ex cau-
sa facta sunt astrâ illa erroris expertia,
quæ diuina animalia sunt, proptereaq;
in eodem semper circuitu perseverant.
Quæ uerò uaga sunt, & mutabili ratio-
ne labuntur, ita deinceps, ut suprâ dixi-
mus, sunt. Terram autem altricem no-
stram circa polum per uniuersum ex-
tensum alligatā, diei noctisq; effectri-
cem & custodem esse uoluit, nec non
primam antiquissimamq; deorum om-
nium qui intra cœlum sunt geniti. Ho-
rum uerò deorum choreas, & inter i-
psos cōcursiones, circulorumq; ipsorū
reuolu-

revolutiones varias & accessus, quales præterea fiant coniuncti sibi inuicem uel oppositi, siue antè inter se, siue retrò, quid uel ex illorum serie nobis proueniat, quibus temporibus & quo pacto delitescant singuli, uel emergant, quid uel portendant, quando orientes hominibus harum rerum peritis timorem incutiant. Hæc in quâ omnia absq; 10 diligenti simulacrorum ipsorum inspectione explicare uelle, inanis est labor. Sed de his satis: & iam quæ de natura deorum illorum, qui tales geniti sunt ut cernantur, dicenda erant, finem habeant. Caterorum uerò qui dæmones appellantur, & cognoscere & enunciare ortum, maius est opus, quàm ferre nostrum ualeat ingenium. Priscis itaq; 20 uiris hac in re credendum est, qui dijs geniti, ut ipsi dicebant, parentes suos optimè nouerant. Impossibile sanè, de eorum filijs fidem non habere, licet nec necessarijs nec uerisimilibus rationibus eorum oratio cõfirmetur. Verùm quia de domesticis rebus loqui se affirmabant, nos legem secuti, fidem præstabitur. Sic igitur ut ab his est traditum, horum deorum generatio habeatur atq; dicatur. Terræ coeliq; filij Oceanus et Tethys fuisse traduntur. Ab ijs Phorcyn, Saturnus, & Rhea geniti, & reliqui horum fratres. Ex Saturno & Rhea Iupiter, & Iuno, & reliqui, quos eorū fratres quotidie memorari audiui- 30 mus, nati dicuntur. Ex his deinceps, ut traditur, alij. Postquā orti sunt omnes, & qui cœlo uoluuntur dii, nostris oculis manifesti, & qui eatenus nobis conspicui fiunt, quatenus ipsi uolunt, tum ad eos mundi genitor ita fatur.

Haecenus mundi naturâ Timeus explicuit: nunc partes ipsius eodem ordine persequitur, deq; animalibus, quæ mundo contineamur, edisserit, quando latius in sequentibus de ijs est dicendum. Itaque in his cum omnia ad exemplar ipsum in Dei mente insitū redigat, animalium etiam generationē inde deducit, 50 Quando igitur mūdo huic sensibili nihil deest, quo illi intelligibili & archetypo similis non sit, necesse est, ut quemadmodū ille rerum omnium ideas in se complectitur, ita hic earundem imagines habeat. Quare cum mundus hic animans sit ad eterni animantis exemplar factus, animalium diuersa genera in se conueniet, quoniam eadē in exemplari suo prius

sunt. Vnde in archetypo quatuor sunt animalium ideae: una coelestium deorum, altera uolatilium, tertia aquatiliū, quarta terrestrium. Earundē quoq; imagines in sensibilis mundi quatuor locis, igne siue æthere, ære, aqua, & terra collocantur. Sed ut nos hæc enodatiùs explicemus, primò, quæ nam animalia ista sint, uideamus: deinde Platonis sententiā exponemus. Plutarchus lib. 1. de Placit. philos. Platonis ac Pythagoræ opiniones recitat de Dæmonib. & heroibus. hanc fuisse illorum sententiā inquit, ut Heroas separatas à corporibus animas esse putarent, eosdemq; bonos uel malos esse dixerint, prout illæ animæ separatæ forent: item Dæmonas animatas esse substantias definierint. Dæmonum autem atque Heroum, siue deorum animatorū, ut Platonici uocant, multiplex est ordo. nam post summū Deum uniuersi auctore, deos alios intelligibiles ab illo irradiatione quadam uirtutis, ut Damascius Platonici ait, procreatos esse affirmant. Primò enim Deū ponunt, deinde reliquas intelligibiles substantias, quasi lucis illius radios. Quæ in sententiā Hermias, & Damascius, Platoniciq; alij fuisse: quos secuti sunt Peripatetici, ut Simplicius, qui Aristotelem in lib. de Cœlo idem putasse dicit, cum substantias quasdam cœlorum motrices post primum illum motorem ponit. idemq; lib. 12. Metaphysic. uidetur sentire. Iam uerò diuersos eorum intelligibilium deorū ordines Platonici proponunt. Cum enim Plato summum Deum, & reliquos cœlestes deos ponat in cœlo, Proclus tamen à Dionysio Arcopagita id transferens, tres ordines illorum fecit: *νοῦς*, id est mente solum comprehēsus: *νοῦς καὶ νοῦς*, id est & mente cōprehēsus, & intelligentes: *νοῦς καὶ νοῦς*, id est solum intelligentes. Hæc tria deorum genera ex ijs uerbis Platonis in Philebo confirmat, in quibus ille tria hæc, *καλὸς, ἀγαθὸς, συμμετρεῖας*, id est pulchritudinem, ueritatem & cōmensurabilitatem ponit. Huic sententiæ Iamblichus & Damascius repugnant, cum unū duntaxat eternū, primumq; Deum & alios deos cœlestes illi subiectos solum à Platone tradi dicunt. Quin etiā idem Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorum, quatuor inducit animalium genera: Deos cœlestes, animas humanas, Dæmones, & heroas, atq; illa quidem duo extrema esse, maximèq; diuersa dicit, ut sunt ignis & terra: hæc uerò duo intermedia ponit, quæ utriusq; extremi participant, ut aqua etiā, et ær, mediæ sunt naturæ. Quem admodū igitur primò ignis est, ita esse cœlestes deos inquit, his subiicit dæmonas æræ naturæ respondētes, postea heroes in aqua, ultimò animas humanas in terra. Hæc quatuor animalium genera post summū Deum collocat in ijs mūdi partibus. Ab his omnibus diffinit Apuleius in lib. de Dogmate Platonis, ac de Deo Socratis, dum tria solum animantium genera post summum Deum ponit: primū cœlestium deorum, ut Lunam, Solem, ceterosq; planetas, quos deos Plato uocat: secundum genus diuer-
sum


sum ab illo primo rationalium animarum, qui natura, loco, uita, aeternitateq; ab illis longe differat: mediumq; inter hæc duo demonum genus, qui in aere degant, medijq; sine ad munera coelestium deorum in terris obscunda. Porro Plato tum in Symposio et Phædro, tum alijs in locis, diuersa intelligibilium deorum genera facit: ac in Epinomide potissimum hæc eorum formas inducit, quæ ordine in mundo dispositæ sese inuicem interpretentur, superiorumq; uirtutem ad inferiora deducant. Eadem autem genera sunt, primò coelestium deorum, qui ex ignea æthereaq; natura constant: secundò demonum æreorum, ac illis inferiorum: tertio heroum, ex aquea natura partim corporum, partimq; incorporeorum: ultimo animarum humanarum, corporibus immersarum. Hæc igitur breuiter ex Platonis sententia de animalibus intelligibilibus dicta sunt: plura enim Pselus in lib. de Demonibus, ac Proclus de Demone atq; anima, scribunt. Quæ cum ita sint, ut ad Platonis explicationem redeamus, quatuor inquit ille animalium genera ad exemplar quatuor idearum in Dei mente sitarum facta in mundo esse. Primum, coelestium deorum: secundum, æreorum: tertium, aquatiliū: quartum, terrestrium animantium: in quibus quatuor illa animantia superius à nobis relata manifestè intelligit. Nam ut Alcinoüs etiā in lib. de Platonis dogmate scribit, hunc ordinem deorum siue animalium intelligibilium Plato posuit, ut primò in cælo essent sidera, quæ animalia ac deos uocauit: tum unicuiq; elementorum Deus aliquis intelligibilis præsit, ut igni ac ætheri, et aquæ, ne quæ mundi pars animo uacaret, et ut Deus eorum demonum ministerio uteretur. At uerò Proclus ad primum genus, quicquid in cælo diuinum sit, refert, siue ibi sint angeli, siue demones: ad secundum, quicquid in aere uersatur, siue sint aues, siue demones: ad tertium, omne id quod uitā in aqua degit, atq; oritur: ad quartū, omnia quæ in terris oriuntur. Hæc ratione animalium omnia genera mundus complectitur. Sed hinc tamen animalium tam coelestium, quam eorum quæ sub cælo sunt, generationem intellige, ut non modò mundi totius ortus explicetur, sed quicquid in eo etiam procreatum à Deo est.

Iam uerò, cur nam Plato quaternarium hunc idearum numerum in Dei mente posuit? Certè ut mundi plenitudinem, perfectionemq; ostenderet. Siquidem quaternarius numerus plenus est, quod Pythagorici aiebant. idem enim media duo habet, constansq; ex diuidua indiuiduaq; natura. Ideoq; animantia hæc quatuor à nobis relata, cum eam inter se habeant communionem, ut partim sensilia, partim intelligibilia sint, ad quatuor idearum similitudinem dicuntur facta, ipseque ideæ sitæ in Deo sunt. Nam quatenus quatuor illæ ideæ sub una Dei mente comprehenduntur, una sunt: quatenus uerò animantia uel mascula uel feminea sunt, idearum fit dualitas, quæ unitati addita, ternarium efficit: quatenus deniq; a-

nimalia eadem ab unitate ideæ in uarias formas diuiduntur, quaternitas fit. Diuini quidem animalis speciem ex igni maxima ex parte componebat, ut splendidissimum esset, uisusq; pulcherrimum. Hinc poteris facile dignoscere, per primum illud coelestium deorum genus sidera et intelligencias colorum motrices, ut uocat Aristoteles, à Platone significari. Nam eorum quatuor animalium, de quibus dixi, singula in his proponit, eorundemq; naturam ac situm explicat. in primis autem à coelestibus dijs, siue sideribus orditur, cum naturam motusq; ipsorum demonstrat. Quo nomine hætenus quasi totum cæli corpus, et animam, ipsumq; mundum animatum factum à Deo dixi: nunc rursum cæli fixi et errantis, ut nominat, naturam, situm, motusq; docet, quando amea de sideribus errantibus eodem ordine differt. Quare diuini, inquit, animalis formam igneam composuit Deus, ut splenderet, uisusq; obijceretur, eandem ob causam quam supra diximus. Ergo Deus cum cælum fecisset, æterni ac splendidissimi exemplaris imaginem aspiciens, mundum construxit lucidum, propter igneam naturam illi inditam, quemadmodum latius in lib. de Cælo refert Plotinus.

Cumq; illud uniuersi figuræ simile uellet fore, rotundum fecit. Explicata cæli natura, figurā illius describit, cum rotundū esse illud ad imaginem mundi archetypi inquit. De cuius quidē rotunditate cum multa in superioribus dixerimus, eadem hic denudò repetere opus non est. Itaq; creatum cælum et rotundæ figuræ factum, animoq; constans uniuersitati ipsi circumpositum à Deo inquit, ut ipsum extremum esset uniuersi, cunctaq; suo ambitu integeret. Quo facto, inditam illi optimi sapientiam cum anima esse dicit, ut non modò cælum animatum esse declararet, sed consilio etiam, sapientiāq; impulsus. Anima enim, ac uita cæli, ut Plotinus ait, motus est: ipsius autem motus ordo pulcherrimus et constans sapientia eiusdem appellatur, non quod uerè sapientia particeps sit cælum, sed quia summa ordinis conuersionisq; sue proportionem moueatur. Cum ergo sapientia donatū esse cælum, mundoq; uniuerso circumpositū dicat, rectè (inquit Plato) eo modo nominat, id est elegans et ornatus mundus appellatur, quando et natura præstantissimus, et aspectu pulcherrimus, et amplitudine uniuersus, et motu sempiterno ordinatoq; constans sit. Atqui sapientiā hanc optimi, quam Plato cælo tribuit, Iamblichus in exemplari mundi archetypo collocat, ut ad eiusdem imaginem factus sit sapiens cælum inerrans, de quo hic loquimur. Sed ego tamen sapientiam illam cæli non errantis, æternitatem motus, ordinemq; constantem appellari potius iudico: ut quoniam id omne quod ordine in æternum mouetur, aliquid æternum ac prouidēs, à quo moueatur, habeat: ita quoq; octauum illud cælum, quia principium mouendorum reliquorum sit, et diuinum, et sapiens, et æternum dicatur. Vnde Aristoteles lib. 8. Physic. et in lib. de

piram, uel instrumentum aliud afficiat, sitq; ortus in C, et occasus in A. Quod si ex eodem centro per diopetram signum Cancrī in C oriens afficiat, uidebis etiam eregione occidentē Capricornū in A. Ergo si eodem in centro consistens utrumq; signum, et oriri et occidere cernis, necesse est horizonta mediā coeli partem diuidere, ipseq; horizon diameter uniuersi erit. Quam ob causam terra etiam, per quam diameter ille transit, media est uniuersi.



Hinc constat, cuncta sua sponte in terras delabi, nihilq; præterire ulterius, quin contra naturæ suæ sursum feratur. Quibus ita demonstratis, cur nam terram deorū, qui intra cælum sunt, antiquissimam Plato uocat? Quia eadē, respectu cœli, mundus alter, nimirum inferior est. coninet enim reliqua elementa, tametsi supra se estq; non modo cœli, sed illorum etiam, atq; adeo uniuersi centrum. Ergo cum centrū prius sit circuli ambitu, ita terra prior est dijs sub cœlo positis, id est reliquis elemētis, quæ hoc loco dii uocantur: quoniam et animata, et diuinæ naturæ sunt. Quod autem antiquissima terra sit, Plato uidetur superius declarare, cum ex terra et igne mundum constructum asseruit, igneamq; naturam cœlo tribuit. Itaq; in hoc duplicem nobis mundum significare uult: supremum, id est cælum: inferiorem, id est terram. Atq; eam ob causam poetæ Tellurem deorum esse matrem commenti fortasse sunt, quod eadem cunctorum alitrix sit. Nam cum hic sit deorum ordo apud Trismegistum, ut primò summus Deus sit, deindeq; mundus, atq; homo participatione dii uocentur, profectò terra, quæ mundi pars est, et diuina erit, et deorum, hoc est hominum, quos alit, antiquissima. Eam uerò, ne omnia prolixè declaremus, hac de causa terra dicitur à Platone dici ac noctis effectrix et custos, quoniam umbra sua solis lucem impediat, uel admittat. Cum enim eadem cœlo undiq; cingatur, solis luce illustrata diem efficit, cum sol nostrum horizonē illustrat: cum uerò hic nobis occultatur, umbram suam terra emittit, noctemq; efficit. Nec enim aliud est nox, quàm umbra terræ, propter solis occultationē, horizonem nostrum opacans. Hac igitur ratione terra diem noctemq; efficit, custodiūq; quia in medio

manens, diuersas umbrarū formas propter solis accessum uel abcessum efficit: ex quibus magna dierū uarietas nascitur. Nam umbra terræ con figuram semper habet: ea tamen modò in unam, modò in partem aliam uergit, prout sol nostrum ascenderit horizonē. Hæc cū ita sint, illud nunc uideamus, quod Plato in ijs uerbis inquit: Terram circa polū per uniuersum extensam, et alligatam esse. Terram in medio mundi sitam, fixamq; esse, ac per eam axem quendam, circa quem uniuersitas moueatur, transmitti omnes affirmant, testamurq; id Aristoteles lib. 2. de Cœlo, ac Ptolemæus lib. 1. Magnæ compositio nis. Hoc tamen in loco Plato moueri terram dixisse uidebitur, cum eam per uniuersum extensam et alligatam esse dicit. atque hoc etiam Aristoteles lib. 2. de Cœlo illi obijciens, terram moueri negat. Contra quem Ponticus Heraclides probare uoluit, moueri quidem illam, cœlū autem stare. Nos ergo nec Platonem hic terræ motum aliquē dedisse affirmamus, sed fixam in mundi medio esse illam putasse, ut ipsemet in Phædro testatur, quum Vestam in diuino domicilio manere solam ait: et falsam esse Aristotelis obiectionem, probabimus. In primis ergo, ut Simplicius refert, tria significat apud Platonem polus: uel cælum, ut in Phædone: uel extrema illa axis, in quo cælum mouetur: uel axem ipsum, ut hoc in loco. Vnde cum alligatam esse terram axi ait Plato, eiusdem stabilitatē significat, non motum. Ideoq; Simplicius, ἡλμούνη per iota, quasi alligatam, nō ἡλμούνη dici terram putat. Quod autem stabilis à Platone terra dicatur, uerba sequentiā declarant, in quibus radicem omnium, ac basim aliorum firmatam esse terram inquit: idemq; latius in Phædone ostēdit, cum in fine de terræ stabilitate loquitur. Atqui hanc sententiam Platonis Simplicius ac Proclus eo pacto interpretantur, confirmatq; Iamblichus. Hinc demum falso incusatum ab Aristotele Platonem constat, quemadmodum Proclus ac Simplicius in eum scribens annotat, cum lib. 2. de Cœlo ait: οἷοι δὲ καὶ κειμούνη ἐπὶ τοῦ κούτρην φασὶν, ἀντὶ τῆς ἀλείδαι περὶ τὸν διὰ παντὸς τετραγώνου πόλου, ὡς αἰετὶς ἐν τῷ τιμαίω γέγραπται. Itaque Plato nō moueri terrā, sed fixam esse in medio axe dixit. Nam dum illud ἡλμούνη in Phædone ponit, terram esse fixam asseruit, quemadmodū annotat Simplicius. Huic sententiæ Diogenes Laërtius in Platonis uita assentitur, cum terram inquit fixam à Platone uocari his uerbis: μόνη δὲ τῇ γῆν ἀμετάβολον ἔχει φησὶ, νομίζω ἀτίαν τῶν σχημάτων διαφεραν. ἐξ ἧς συνέειπε. Alcinoius deniq; apertius in lib. de Platonis doctrina, et mediam esse uniuersi terram, et fixam ac stabilem affirmat. Quo nomine rectè quidam Cicero uerba illa Platonis, ἡλμούνη δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τετραγώνου, sic trāstulit: iam uerò terram altricem nostram, quæ traiccto axe sustinetur, dici noctisq; effectricē fecit. Horum uerò deorum choreas, et inter ipsos concursiones, circulorumq;

culorumq; ipforū reuolutiones uarias, et accessus, quales præterea fiunt.) Institutum Platonis in hoc dialogo est, physicam rerum mundanarum rationē explicare, nec de astrorum motibus prolixè differere: illud enim ad Physicum, hoc ad Astrologū pertinet. Quo nomine discrimen utriusq; rei faciens, illorum inquit siderum, de quibus dixit, motus, concursiones, affectionesq; reliquas explicare se nolle: quando hoc sit munus Astronomi, ipseq; corporis celestis naturam, figuram, situmq; solum describere instituat. cuiusmodi etiam distinctione Aristoteles lib. 2. Physic. usus, Platonis exēplo, Physici officium ab officio Astrologi distinguit, cum de corpore naturali uelit differere. Quamuis enim ambo in utriusq; rei tractatione uersentur, deq; cœlo ac eius partibus tractent, diuersa tamen ratione id faciunt. alter siquidem motum, concursiones, reuolutionesq; cœli explicat, alter uerò naturam. Hoc igitur Plato in ijs uerbis intelligens, flexiones quidem, cōcursionesq; siderum hic ostendere opus non esse inquit, quando id potius ad Astrologū pertineat. Itaq; per *χωρείας*, id est agitationes aut choreas singulorū orbium proprios motus significat: per *παράβολας ἀλλήλων*, cōcursiones eorundem inter se, cōcentumq; motuum, ac proportionem, quam stelle seruam, ut Venus ac Mercurius cum Sole, Sol cum Luna, cæterisq; sideribus. Item per *ἀνακυκλίσεις τῶν πύκλων καὶ ἀποχωρείας*, reuolutiones singulorum astrorum in suis orbibus, diuersos ortus occasusq; coniuñctiones, oppositiones, retrogradationes, reliquasq; siderum affectiones intelligit, de quibus latius à Ptolemeo, et in Planetarum theorijs disertitur. Cum ergo de ijs rebus hoc loco differere Plato nolit, ad reliquorum deorum, ut Demonum et herorū, naturas explicandas accedit. Satis enim iam de dijs illis qui cadam in aspectum, dictum esse putat: hoc est, multa se de sideribus, que Deos uisibiles appellat, tractasse inquit. nunc ad Demonum et herorum, qui aspectum fugiunt, tractationem sese conuertit. Cæterorum uerò qui demones appellamur, et cognoscere et enunciare ortum, maius est opus, quàm ferre nostrum ualeat ingenium.) Quando illorum quatuor animalium, de quibus supra diximus, naturam explicare uult Plato, deq; Dijs celestibus disseruit, reliquorum etiam, ut demonum ac herorum, ortus describit. Sed antè tamen quàm de illis quicquid dicat, difficile esse inquit eorundem ortus exponere: quando id potius ad Theologum spectat, ac non ad Physicum. Ille enim diuinarum rerum essentias, hic corporearum concretiones explicare debet. Cum igitur rei difficultatē amplificet Timæus, de illis etiam differere non recusat: sed antiquorum famæ fidem adhibens, eorundem ortum enarrat. Ex quo intellige, Platonem semper Theologiam, quam Aristoteles Metaphysicam nominauit, Physicis tractationibus admiscuisse, nec easdem inuicem separasse: quemadmodum et hoc in

loco, et ubiq; sepius facit. Semper enim non proximas cuiusque rei causas, sed primas inquiri. Ergo cum de dijs inferioribus uelit differere, antiquæ hominum famæ credit, et ex eorundem auditione ortū illorum explicat, ut suo loco docebimus. In quo tamen magnam Platonis modestiam considera, ut nulli uelit apertè cōtradecere, sed magnam semper antiquis sermonibus fidem adhibeat: ut in Phedone, Gorgia, alijsq; locis, cum rerum diuinarum tractationes suscipit. Id quod Aristoteles in lib. 2. de Cœlo, alijsq; libris mutuatus, cœlum (inquit) ac sublimem locum dijs attributū ab antiquis esse, eodemq; modo ab antiqua Aegyptiorum Chaldeorumq; fama eius eternitatem confirmat. Quia ergo rebus docendis non solum rationes, sed omnium etiam antiqua persuasio multum prodest, rectè quidem Plato antiquorū famæ credere se uelle inquit, dum demonum inferiorum naturas explicat. Sic igitur, ut ab his est traditum, horum deorum generatio habeatur, atq; dicatur.) Cœlestium rerum tractationē proximè adiungitur inferiorū tractatio: ideoq; Plato demonum atq; herorū ortus nobis ostendit, quando hactenus superiorum deorum generationem explicauit. Qua in re, quemadmodū antea in fabricando mundo assumptum fuisse à Deo ignem ac terram dixit: sic etiam nunc, ad istorum deorum ortum docendum, cœlum ut patrem, terram ut matrē ponit. Quam quidem originē ab Orpheo, Pythagorichq; accepit, eandemq; latius Hesiodus in Theogonia, Cicero lib. 3. de Nat. deor. ac Lactantius lib. de Falsa religione describunt. Nos tamen ut ordine cuncta declaremus, primum Deorum illorum, quos Plato hic recitat, originem describamus: deinceps physicam rationem addemus. Orpheus in sermone sacro, deorum omnium reges ac principes hos tradidit: Phænetem, Noctem, Cœlum, Saturnum, Iouem, Dionysium. Ex quibus primum illorum esse Phænetem uoluit, qui imperium teneret: secundam posuit Noctem, tertium addidit Cœlum ex Nocte, quartū Saturnū, qui uim patri intulit: quintum Iouem, quī patrem Saturnum superauit: sextum deniq; Dionysium. At uerò Plato duo posuit deorū omnium inferiorum principia, Cœlum ac Terram. ab his, ut parentibus, Oceanum et Thetym deduxit: à quibus rursus Phorcyn, Saturnum, Rheamq; genitos dixit. Ex Saturno demum, ac Rheā, nati sunt Iupiter ac Iuno, reliquiq; eorum fratres, ut Neptunus, Pluton. Sed ne nos omnem deorum originem explicemus, quando eam latius Hesiodus, Phornutus, alijsq; multi describere: illud nunc queramus, cur Plato hanc prosapiam deorum hic adiungat.

Quando mundum animatū esse ex superioribus constat, nullaq; mundi pars animo uacat, diuersa numina quasi intelligentias et animos, in uarijs mūdi partibus Plato, cumq; secuti alij posuere. Nam post summū Deum, cœlestes deos siue sidera in cœlo collocant, in aere demones, in aqua heros, in terris homines.

homines. hæc siquidem animalia omnia et intelligi-
bilia, ac intelligentia, et generationem rerum absol-
uentia, Proclus, Platoniciq; alij vocant. Quoniam
verò partes omnes mundi, atque adeo elementa u-
nius mundi complexus continentur, parentes illorū
omnium deorum cælum ac terram esse inquit. quo-
niam terra ut mater est, et subiectum materiale: cæ-
lum ut pater, et efficiens causa. Hæc ergo duo ele-
menta omnia complectuntur, in quibus numina illa
sunt, et ex quibus omnium generationes fiunt. Quo
nomine cælū quasi artifex et auctor rerum in inferio-
rum erit, quando nim suam corporibus omnibus im-
pertit: terra quasi mater et susceptrix eiusdem uir-
tutis, cuncta generabit. ideoq; Athenienses cæli ac
terræ coniugium in mysterijs celebrabant. Iam ue-
rò Thetys et Oceanus diuersam efficiendi uim signi-
ficant. Nam Oceanum motionis omnis principium
theologi uocant, idemq; omnem corporearum re-
rum motum efficere dicitur. Thetys autem, discern-
entem causam rerum creaturarum significat. Necess-
e est enim, ut cum res sunt ex cælo terraq; genitæ,
motuq; oceani, hoc est motricis causæ impulsu agi-
tate, à Thetide, siue discernente causâ distinguan-
tur, puræq; seruentur. Quinetiam ex eodem Ocea-
no et Thetide natos esse Phorcyn, Saturnum, ac
Rheam dicit: quia ab una præcipua causa diuersi
effectus prodeunt, alij nimirum ex alijs. Hoc itaque
modo Proclus Platoniciq; alij hanc demonum pro-
fapiam interpretantur: quorum ego sententiam non
Physicorum, sed inanum philosophorum esse iudi-
co. Ineptum est enim, fabellas omnes ad Physicam
rationem deducere, quemadmodū Stoici faciebant:
præsertim cum rerum naturalium tractatio nihil e-
iusmodi admittat. Longè igitur uerior expositio es-
se uidetur, si hanc nos Platonis sententiā ita inter-
pretemur, ut cum inferiorum deorum, ut demonū
et heroum, ortus narrare uelit, exempli gratia no-
mina eorum demonū, qui ab hominibus recepti sint,
commemoret: non quòd alios ab alijs oriri demones
putet, sed quia ex una cæli terræq; cōnexionē, qua-
si coniugio, diuersæ mundi animæ, quæ partes singu-
las tueatur, producta sim. Vnde Iamblichus in lib.
de Mysterijs Aegyptiorum, uaria demonum mun-
danorumq; deorum officia describit. Nam summo
quidem Deo uim distribuendorum officiorum uni-
uersalē tribuit, ipsos uerò deos quasi singulares cau-
sas largiri aliqua inquit: Demones quoq; atque ani-
mas definita tantum, et præscripta ministeria exer-
cere. Idem quoq; diuersos intelligentiarum ordines
in mūdo disponit, post primā omnium causam. Primò
enim Deos cōstituit, his deinde angelos, tum archan-
gelos, tum demones, heros, principatus, atq; ani-
mas demū singulares adiungit. Iam uerò Proclus ac
Porphyrus, quinq; demonū ordines cōmemorant,
diuersaq; ipsorū munia describūt, eosdemq; ab una
præcipua causa mūdi effectrice oriri aiunt. His ita
propositis, ecquid nam Plato sibi uult in ijs uerbis:

Postquam orti sunt omnes, et qui cælo uoluntur,
dij nostris oculis manifesti, et qui catenus nobis
cōspicui fiunt, quatenus ipsi uolūt, tum ad eos mun-
di genitor ita fatur.) Hæc est conclusio dictorum.
Cum enim deorum cælestium ortum narraſſet, tan-
dem cōcludens ad naturam eorundem explicandā,
summū Dēi sermonem ad illos factum inducit, ut hæc
quasi propopœia aliarū mundi partium genera-
tiōes recēſcat. Sed antè tamē, quā sermonē ipsum
subijciat, discrimen cælestium deorum ac demonū
adducit: cum cælestes deos aspectabiles, et uisui no-
stro obiectos dicit esse: demones autem et heros
partim aspectabiles, partim uerò esse inuisibiles. In
quo etiam considerandum est, per deos cælestes fide-
ra lucida, et in aspectum uenientia, Platonem intel-
ligere: demones autē partim corporeos, partimq;
incorporeos, appellare, quemadmodū Apuleius de
deo Socratis testatur. Nam demones quidē tenuis-
simum quoddam corpus æreum habere ille inquit,
ita ut aspectui se nostro exponere possint, si uelint,
uel ab eodē etiā subducere. Idem quoq; Iamblichus,
et Porphyrus, Psellusq; docent, eandemq; mediā
naturā inter corporea et incorporea illis tribuēta
Hinc etiam collige, Apuleium, Iamblichum, aliosq;
Platonicos hoc discriminis inter deos cælestes ac da-
monas posuisse, ut illi intelligibiles, nullis affectioni-
bus obnoxij, inuisibilesq; essent: hi uerò sensibiles,
patibiles, semicorporei, iræ, odio, amoris, alijsq; affe-
ctibus obiecti. Quæ in re uidetur quidē illi à Plato-
ne discēſire, quod hic deos cælestes siue sidera aspe-
ctabilia esse dicat. qui tamē idem uerē sentiūt cum il-
lo, quado ij diuersos esse deos cælestes dicūt, ex ijsq;
quosdam superiores, inferioresq; alios faciūt: quos-
damq; intelligibiles, et summo Deo proximos: quos-
dam uerò mediæ naturæ, et in diuersis mundi parti-
bus disſitos. Quæ de re ne plura nos, quā oportet,
dicamus, ad reliqua progrediamur. longissima enim
est huius rei tractatio, quam iustis uoluminibus Pla-
tonici multi exponunt.

Dij deorum, quorum opifex ego &
pater sum, hæc attendite. Quæ à me fa-
cta sunt, me ita uolente, indissolubilia
sunt. Omne siquidem quod uinctum
est, solui potest. Sed mali est, quod pul-
chre compositum est, sepe habet bene,
uelle dissoluere. Quapropter quia ge-
nerati estis, immortales quidem & in-
dissolubiles omnino non estis. Nec ta-
men unquam dissoluemini, nec mortis
fatū subibitis. Nam uoluntas meā ma-
ius præstantiusq; uobis est uinculum
ad uitæ custodiā, quā nexus illi, qui-
bus estis tunc cum gignebamini, colligati.
Sed nunc iam quid iubeam, co-
gnoscite, Tria adhuc genera mortaliū.

n 3 nobis

nobis generanda restant, absq; horum generatione cœlum imperfectum erit. Omnia enim animantium genera ambitu suo non continebit. Contineat autem oportet, si est mūdus omnino perfectus futurus. Hæc uero si à me fiant solo, uitaq; donentur, dijs adæquabuntur. Quapropter accedite uos secundum naturam ad animalium generationem, ita ut uim imitemini meam, qua in ortu uestro sum usus. Atq; eius quidem animalis quod in ipsis tale futurum est ut cum immortalibus appellatione conueniat, diuinumq; uocetur, principatumq; teneat, & iustitiam simul ac uos ultro colat, ego uobis semen & initium tradā: uos cætera exequi par est, ut immortalī naturæ mortālē attexentes, faciatis generetisq; animalia, subministrantesq; alimenta augeatis, & consumpta rursus recipiatis.

Quando breuiter, qui nam sint iuniores dij in superioribus diximus, ad sermonem summi Dei ad illos habitum ueniamus. in quo primum explicandum illud est, quid sibi uelit in hoc sermone Plato: deinde singula ipsius uerba exponemus. Cum in rerum generatione quedam primæ causæ sint, quedam uerò secundæ, illæq; saepe sine secundis agere nequeant, nec secundæ sine illis: hætenus quidē Plato primam causam, hoc est Deum artificem præposuit: deinde secundas, hoc est Deos iuniores illi subiicit. ideo huius sermonis scopus is est, quemadmodum Proclus annotat, effectricem omnium causam, ac providentem secundis mundi causis præponere. Siquidem Deus summus non per se, sed per causas alias medias cuncta efficit. Dum enim ipse secundis causis quasi nutu loquitur, intelligit, intelligendo autē omnia facit. Ac proinde sermo hic à Platone indutus nihil est aliud, quam Dei summi intelligentia, ex qua rerum effectus sequitur. Quare hic providentiam non modo summi Dei, sed causarum etiam inferiorum, connexionemq; utrarumq; animaduertere oportet. primò enim Deus nutu suo cuncta disponit, eadem autem secundæ causæ quasi ministræ exercent. Vnde Plutarchus in lib. de Fato, triplicem apud Platonem providentiam notat. primam universalem summi Dei, cum is in superioribus dixit, βαλὺς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὸν μὲν πάντα, φλαστόν δὲ 50 μολὸν ἀνὰ. Secundam minus communem iuniorum deorum, ac cœli propriam, quam ille ipse his uerbis postea explicabit: διαθεσμοτάτας πάντα αὐτοῖς. Tertiam deniq; Deorum iuniorum, de qua in sequentibus dicemus. Eandem ob causam Plotinus in lib. Vtrum stellæ aliquid agant, uim aliam efficiendi primo Deo tribuit, aliam dijs iunioribus, siue stellis,

quamvis enim stellæ uim aliquam rebus inferioribus impertiant, primæ causæ non sunt, sed à prima pendens. Quo nomine diuersa sunt deorum demonumq; apud Platonicos officia. Quidam enim animas à summo Deo deducunt, alij corporibus eas uestiunt, alij perficiunt, alij purgant, alij post uitam ad pristinum locum reducunt: ut latius in lib. de Mysterijs Aegyptiorum Iamblichus, Proclusq; ac Apulcius tradunt. Cum igitur hæc ita sint, Platonis uerba nunc explicemus. Dijs deorum.) Quæ de causâ Deos deorum appellat iuniores deos? Dijs Deorum, si Proclo credimus, sunt mundani omnes, ac inuisibiles dij, qui aliquam inter se habent connexionem. ex ipsis enim, siue ex causis secundis nonnullæ priores sunt alijs, aliæq; magis ad primam causam accedunt quam aliæ. igitur deos deorum Plato, inferiorum omnium causarum ordines nominauit. Quemadmodum enim causarum aliæ ex alijs pendunt, & quedam aliarum sunt causæ: ita dij deorum uocantur dij omnes tam cœlestes ut sidera, quam sublunares ut demones, qui ordinem aliquem efficiendi inter se seruunt. Quorum ego opifex, et pater sum.) Prima omnium causa reliquas sub se omnes complectitur, easdemq; procreat, ideoq; Deus supremus reliquorum esse pater dicitur, ipsosq; deos iuniores gignit, ad exemplar in se positum afficiens: quoniam intelligentiæ omnes inferiores, ut angeli, demones, reliquaq; numina, quasi splendores quidam & correfactiones illius supremae lucis sunt, quemadmodum Proclus, Platonicusq; uolunt. ideoq; pater hic primum Deus Platoni dicitur, ut putat Chalcidius, quatenus eternitati, ac felicitati deorum iuniorum consulit: opifex uerò, quatenus illos efficit. Quæ à me facta sunt, me ita uolente, indissolubilia sunt.) Quoniam mundus æternus est, primaq; causa æterna simul, secundæ itidem ab illa prouenientes æternæ erunt, semperq; connexionem illam inter se habebunt. Quæ de causâ, cum inferiorum deorum æternitatem Plato uelit indicare, indissolubiles quidem esse Dei uoluntate illos dicit: quia tamen facti sunt, dissolui posse. Quæ in re, quemadmodum in mundi ortu explicando fecimus, sic etiam hoc loco, qua ratione æterni, factiq; dij iuniores dicantur, uideamus: aut quomodo uoluntate Dei genitum aliquid æternum sit, explicemus. Si cœlum æternum est, ut clauit ex superioribus, stellæq; ipse dij cœlestes sunt, æterni quoq; sunt illi. item, si anima corpore est antiquior, quemadmodum Plato antea dixit, dij; iuniores quasi animæ quedam diuersarum mundi partium sunt, æterni quoq; iidem sunt. Præterea quidquid ab æterna causâ fit, apud Platonem æternum est: ut mundus, anima, dij; iuniores, qui à summo æternosq; Deo emanant. Cum ergo ex his, alijsq; Platonis rationibus, æterni cœlestes dij ac demones sint, quæ nam ratione facti dicuntur? certe quia id omne quod ab alia causâ pendet, principumq; aliud ante se habet, factum à Platone dicitur: ut mun-

ut mundus, ut anima, ut *Dij iuniores*. Nam primò ipsum bonum, siue Deus eternus est: reliqua uerò participatione illius, nō autem ex se ipse. siquidem eternitas soli Deo uerè conuenit, ipseque solus eternus est. mundus autē, anima, *dij iuniores*, quanquā ab eterno ex illo profluant, facti dicuntur in tempore, quia ab illo pendunt, ipsique sibi causa non sunt. Igitur ratio eadem, qua mundum et animam eternam esse, factaque dici, probauimus, *dij iunioribus* accommodari debet, ut immortales, mortalesque sint quodammodo. Iam uerò, genitum ne aliquid uolūtate Dei eternum esse potest? Maxime quidem. Nam in eo quod mundus, anima, *dijque iuniores* participatione primæ eternitatis eterna sunt, uoluntate Dei sunt eterna, non autē natura sua. Ergo cum prima causa eterna sit, secundaque cause eternitatis illius sine participes, immortales Dei uoluntate dicuntur esse. Item ut Plotinus in lib. *Quæ et unde mala*, hac ratione probat, *eternos esse deos iuniores summi Dei uoluntate*. Quæcunque, ait ille, in hoc mundo facta sunt à Deo, bona sunt: mala uerò ab ipso provenire nequeunt, mali enim auctor non est. Atqui *dij iuniores à Deo proueniunt*, igitur eterni sunt. Quod autem eterna ea de causa sint, hinc patet, quia quicquid interit, uel à natura sua ad malū inclināte, uel ab artificis imbecillitate, uolūtate uel interit. At *dij iuniores ex sua natura nequeunt interire*, cum propter formæ præstantiam materia in malū nō inclināt, sed semper coercetur: nec etiā ex Dei imbecillitate, quia quicquid ille facit, eternū, minimeque caducum efficit. nec ex uoluntate rursus, quoniam ipse mali auctor non est, sed bona semper, hoc est dissolutionis expertia procreat. ergo *dij iuniores*, Dei uoluntate eterni sunt. Easdem quoque rationes de mundi eternitate *dij ipsi accommodare potes*: ipseque Plotinus in lib. de Cælo, eternum esse cælum, factumque dici, multis rationibus confirmat, quæ ad hanc tractationem non minus faciunt. Ex quo constat, ratione quadam genitos dici deos iuniores, cum eterni sint: ipsosque Dei uoluntate esse eter- 40 nos, quod ab eterna, primaque causa proueniant, eiusque participatione sint immortales. Vnde errare quidem Alexandrum Aphrodisæum lib. 1. Natural. quæst. sicut Seuerum, Atticum, et Plutarchum constat, quod fieri non posse dicant, ut mundus eternus sit Dei uolūtate, quando ex sua natura factus sit ab aliquo principio: qui si quo modo factus, et quo eternus à Platone mundus dicatur, intellexissent, minime quidem in illum argumentarentur. Quamobrem cum hæc de iunioribus *dij breuiter sint dicta*, 50 rectè Plato summum Deum loquentē hoc modo inducit ad eosdem iuniores deos, ut ipsorum eternitatem ostendat: Quicquid à me, inquit, factum est, dissolui non potest, quando eternitatis meæ particeps est. quanquam quæcunque fiunt, eo maxime quod facta sunt, eterna esse nequeunt. Quoniam uerò boni auctor semper ego sum, mali autem nunquā, uolun-

tate hæc mea eterni eritis, quod maximum uestre immortalitatis uinculū est. Ergo tres cause, ut Proclus ait, immortalitatis deorum iuniorum à Platone assignantur: finis, cum auctore se boni malique nunquam esse inquit, ideoque boni se causa illos fecisset exemplar, quoniam ab eiusmodi artifice eterno facti sint iidem illi *dij*: perficiens, quæ illos eiusmodi indissolubili constitutione produxit. De his igitur hæcenus, ad naturam iuniorum deorum explicandam. nunc ad ea quæ illis Deus præcipit, ueniamus.

Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant, absque horum generatiōe cælum imperfectū erit.) Cum totam hæcenus supremi Dei fabricam Plato ostenderit, iuniorum deorum nunc opus describit. De quo prius quā aliquid dicamus, in primis quomodo Deus agere, iunioribus *dij* agentibus, dicatur, et quod nam sit uniuscuiusque munus in efficiendo, declaremus. Quæcunque Deus facit, uoluntate sua, et nutu, quasi uerbo quodam facit: *dij uerò iuniores*, præcepto ac impulsu illius faciunt uniuersa inferiora. Ex quo intellige, primam causam immobilem semper manere, leuissimoque quasi nutu inferioribus imperare: secundas uerò motu et impulsu prioris incitatas, inferiora gignere. Velut in mundo Deus, siue primus motor, uolūtate sua cælum mouet: cælum autem, utpote secunda causa, motu suo inferiorem naturam procreat, ac sustentat. Vnde prima causa cum firma et immobilis maneat, firmas quoque ac stabiles res efficit: secunda uerò, quia 30 motu suo cuncta gignit, infirmas et inconstantes. Atque ea de causa immortalem animi partem à summo Deo prouenire, Plato inquit: mortalem uerò, à *dij iunioribus*. Ergo nihil aliud in sermone hoc summi Dei ad iuniores deos Plato significare nobis uult, quā ordinem primæ cause cum secundis, et harum etiam cum illa. Nam primæ quidē cause firmitatem, cōstantiam, et in agendo solum, imperandi, loquendi; iunioribus *dij* uim tribuit: secundis motum, et ministrandi facultatem. Cum itaque hic sit efficiendi ordo in rebus naturalibus præscriptus; 40 et in illo Dei sermone à Platone explicatus, ecquid nam sibi uult in ijs uerbis: Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant.) Mortalia animantia *dij iunioribus* efficere præcipit, idque ne mundus imperfectus sit, cum aliquibus animantibus careat. Causam uerò, cur illis eadem facere iubeat, reddens, ne immortalia illa fierent, si à Deo fabricarentur, inquit. Quo nomine in his etiam nos ordinem declaremus, quæ nā tria illa animantia sint: deinde, cur *dij iuniores* eadem efficere iubeamur: ultimò, quid in ea generatiōe Deus, et quid *dij iuniores* efficiant. Igitur tria illa mortalia animantia, quemadmodum Alcinoi explicat, sunt, uolatile, aquatile, ac terrenum. Eademque tria esse dicuntur, propter ternarij numeri perfectionem. Quæcunque enim fiunt, ternario numero cōstant, ut in superioribus nos retulimus. Siquidem in eo numero initium, mediū, et 50 extremum

extremum est: quæ inter se unita, compositum quoddam unum constituit. Itaque tria hæc mortalia animantia ternario numero constant, triplicemque naturam habent: aquæ, terræ et æream: cœlesti uero minime, quia illa cœlestibus solum dijs cōuenit, qui æterni sunt, eadem autem mortalia et caduca. Porro dii iuniores mortalia hæc animantia faciunt, quia ipsi secundæ causæ sunt, eternitatemque suam, quam participatione prioris causæ habent, impartiri alijs nequeunt. Ergo Deus æterna facit omnia, quia ipse æternus solus est: dii autem iuniores mortalia, quia æterni ex se non sunt, sed à priori causa. Vnde merito Plato, cum mortalium animantium ortus describere uelit, iunioribus dijs eundem tribuit. In quo tamen aliud Deum efficere, aliud uero deos iuniores, intellige. nam Deus quidem rerum formas æternas dat, iuniores autem dii eas in singula indiuidua distribuunt, quemadmodum Proclus explicat. Hinc etiā intellige duplicem à Platone animam in hominibus quodam modo poni, ut Plotinus in libro de Cælo docet, rationalem, et sensilem corpori annexam. rationalem Deus infundit, sensilem autem dii iuniores. Quasi diceret, animum à corpore separatum à Deo provenire: cōnexionem uero illam corporis, ex qua diuersæ sensuum uires diuersa que ingenia oriantur, à cælo, sideribus, loci que natura. Vnde ratio Deo subiecta est, libera tamen: corporis autem constitutio, cælo ac sideribus. Atque hinc fit, ut quidam Iouiales, quidam Mercuriales, alijque Venerei sint: quoniam diuersas habeant corporum concretiones, ab ijs stellis provenientes. Eandem etiam ob causam animam istam sensilem et corpori annexam, utputa inclinationes, constitutionesque corporis diuersas, subiectas esse fæto, ac necessitati siderum, Plotinus ait in lib. Vtrum stelle aliquid agant. Ex quibus omnibus perspicuum est, nihil mortale posse Deum facere: ideoque deos iuniores induci, qui mortalium animantium generationem absoluant. id quod Plato ipse indicat, cum ait: Hæc uero si à me fiant solo, uitaque donentur, dijs adequabuntur. Hoc est, Deus æternas animalium formas in se completus, nihil nisi æternum potest facere: ideoque dii iuniores ideam illam æternam imitati, mortalia gignunt animantia, cum eternitatem ipsam animalibus genitis nequeant tribuere. Quare cum hoc differant dii iuniores à mortalibus animantibus, quod illi æternitatis participatione immortales sunt, hæc autem mortalia: Deus quidem animantium mortalium generationem dijs iunioribus cōmendauit, ne si ipsemet produceret, immortalia illa redderet, uelut eos ipsos. Quo nomine uim suam in efficiendo, hoc est exemplar *ἀντίτυπον*, imitari dijs iunioribus Deus præcipit: ut quemadmodum ipse illos produxit ad æterni sui exemplaris imaginem, sic iidem exemplar illud parentis sui imitentur. Quod idem est, ac si Plato dicat, potissimam agendi uim à prima causa proficisci, perque causas medias progredi: sic tamē, ut hæ

impulsus illius sequantur. Id quod Aristoteles alia ratione indicat, cum primo motori uim potissimam impellendi cælos tribuit, cælis autem uirtutem in res inferiores. Atque eius quidem animalis quod in ipsis tale futurum est, ut cum mortalibus appellatione conueniat, diuinumque uocetur, principatumque teneat, et iustitiam simul, ac nos ultro colat, ego uobis semen et initium tradam. Inter reliqua genera animantium, quæ iuniores dii iubentur à Deo facere, hominem in primis constituunt tanquam omnium præstantissimum, diuinique seminis participem. Hunc autem appellatione mortalem, alioqui tamen diuinum, iustitiæ ac religionis participem effici Deus iubet. In qua effectione semen ac principium tradere se uelle inquit: reliquam uero partem mortalem et corpoream dii iuniores addunt, eamque immortali parti adiungunt. Quamobrē, ut omnia nos melius declaremus, primò humani animi natura breuiter explicetur: deinde, quæ eius partes Deus, iunioresque dii addat, uideamus: postremò, quo pacto mortalem partem immortalī annectant. Humanum animum mediæ naturæ esse, partimque intelligibilem, partim uero sensilem, ut mundi animam, tum in superioribus diximus, tum latius dicitur in sequentibus. Idem etiā, ut Plotinus in lib. de Animæ dubijs, ac Porphyrius testatur, duplex esse uidetur: aut omnino intelligibilis, et corporis expers, ut rationis, mentis, intelligentiæque uis: aut sensibilis, corporique annexus, ut uisus, gustus et tactus origo, illam quidem partem non à corpore, sed à Deo corporibus infundi, Platonici testantur, ita ut animam separatā Deus procrearit ab æterno, hanc uero dicant à corporea connexionē proficisci: ideoque illam à dijs iunioribus, hoc est stellis et elementis constitui affirmant, quoniam intelligibilis animi pars à corpore aliena, separatāque est, sensilis uero corpori annexa. Cum ergo hæc sit animi natura, ut Platonici asserunt, partem quidem immortalem Deus procreat, eaque diuinum illud semen est, quod ipse tradit: partem uero mortalem ac sensilem addunt iuniores dii. iidem enim animum corpore circumtegunt, naturamque illius sequi illum faciunt. Siquidem nihil aliud est animum à dijs iunioribus uestiri corpore, siue sensilem partem illos addere, quam corporis connexionem, fidem naturæ, ac aeris, locique propriæ facultati subiectam animū sequi, ut postea dicemus suo loco. Iam uero cur partem immortalem mortali alligare iuniores deos inquit, aut quo nam modo immortale cum mortali potest coherere? Sanè ut Albinus atque Atticus dicunt, rationalis irrationalisque animæ connexionem Plato indicat, illamque immortalē, hanc mortalem appellat. Cui sententiæ Plotinus in lib. de Cælo assentitur. Sunt tamen Platoniorum alij, quorum è numero est Iamblichus, qui mortalitatem illam corporeæ cōnexioni animæ tribuāt, ita ut ipsa ex se immortalis sit, animal uero ex corpore et anima cōpositum sit, mortis obnoxium. Apertius igitur

Nemesius

Nemesius philosophus, *mediae naturae esse hominem inter immortalia, mortaliaq;* dicit: ideoq; *partem mortalem immortali annexam habere, ut confirmat etiam Plotinus in lib. de Animi essentia.*

Hæc fatus, in eodem rursus cratere, in quo mundi totius animam permiscens temperauerat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam eodem: non tamen perfectas similiter, sed & secundo et tertio gradu à primis deficientes. Deniq; cū uniuersum constituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisq; tanquam uehiculo impositis mōstrauit uniuersi naturam, ac leges fatales edixit: ostendens quidem primam omnibus generationem ordine quodam unam fore, ne quis ab eo minus aliquid fortiat. Satis autem & quasi sparsis animis per singula singulis conuenientia temporum instrumenta, fore ut animal nasceretur, quod omnium animalium maxime esset diuino cultui deditū. Esse autem naturam hominis geminam, cuius id genus fore præstantius quod uiri nomine sit appellandum. Cum uero animæ corporibus necessitate quadā insertæ fuerint, & corporibus earum accesserit aliquid, uicissimq; abscesserit, primū utiq; necessario sensum unum omnibus intimum, & naturæ coniunctum illic à uiolentis passionibus excitari, deinde uoluptate & dolore mixtū amorem, post hæc metum & iram, & quæcūq; uel ista sequuntur, uel ab istis ut contraria dissident. Hæc qui superauerint, eos iuste uicturōs: iniuste uerò, qui ab his fuerint superati. Atq; illum qui rectè curriculum uiuendi à natura datum confecerit, ad illud astrū cui accommodatus fuerit, reuersum, beatam uitam acturum. contra uerò agentem, cogi in ortu secundo, sexu mutato fieri mulierem. Et qui ne tum quidē finem peccandi faciet, quatenus deprauatur, eatenus in brutorum naturam suis moribus similem permutari: nec prius à mutationibus laboribusq; cessare, quā illam sibi insitam eiusdem ipsius similisq; naturæ conuersionem securus ipse, eiq; subiiciens turbulen-

tos multiplicesq; affectus postea ex igni, aqua, aere, & terra contractos, ratione sedauerit, & ad primū optimūq; sui habitum iam redierit.

Iuniorum deorum, Deiq; opificium in animalibus constituendis descripsimus: nunc ut singulorum munus apertius declaremus, quo pacto Deus intelligēdo solum intelligibilē, immortalemq; animi partem efficiat, & qua etiā ratione dii iuniores suo munere fungantur, uideamus: in primis tamen, quid sit crater ille Dei, ex quo animas humanas ille produxit, uel quo pacto ipsas producat, declaremus. Theodorus Asineus duplicem esse craterem putauit, primum ac secundum, tertiamq; utriusq; temperationem. Ac primū sanē αὐτοφύχην, hoc est ipsum animarum fontem appellauit: secundū uerò, animarum omnium singularum connexionem in priori illo, quem temperiem ipsam siue νερμία nominauit. Iamblichus illum esse dixit, causam quandam animalium procreatricem, uniuersalemq; uitam complexam, & intra se continentem. Proclus hunc à Platone uocari putat fontem animalis uitæ, in quo animarum omnium origo, quas Deus producit, inest. Plotinus lib. 1. de Dubijs animæ, eundem dici existimat, ipsammet animarū ideam, in Dei mente sitam, ad cuius imaginem animæ omnes singulares fiunt. Quæ sanē sententia & Platonis uerbis conuenientior, & uerior etiā est. nam cum Deus animas singulares ex eadem essentia, ex qua mundanam animam eduxit, uelit nunc producere, exemplar in se positum contemplatus est, in suamq; mentem aspexit. Quod itidem à Trismegisto desumptū in Pimandro uidetur, qui nihil esse aliud craterem inquit, q̄ ipsam diuinam mentem, in qua cunctorum ideæ collocate sunt. Quo etiam in loco ille Tatium hortatur, ut in illo se cratere contemplando immergat, ut uera mens fiat cognitionis participatione. Sed ne singulas Platoniorū interpretationes persequar, quando craterem istum, de quo Plato loquitur, mentem ipsam animarum omnium procreatricem esse constat, uerba auctoris exponamus. Hæc fatus, in eodem rursus cratere, in quo mūdi animam permiscens temperarat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit. Id est, cum Deus iunioribus diis præcepisset, ut curā rerū inferiorū gererent, mortaliaq; animantia gignerēt, ad illam ipsam ideam respexit, ex qua mundi animam deduxit, reliquiasq; superioris temperationis permiscuit: hoc est, eodem modo hominum animam immortalem, et eterno exemplari similem fecit, quo mundanam animam composuerat. Siquidem eadem est utriusq; animæ natura: quanquam eadem animæ utæque non sint, quemadmodum Plotinus ait. Quare reliquæ ille superioris temperationis, quas in humanis animis conficiendis Deus acceperat, essentiam, similitudinemq; uniuersalis animi cum singularibus significat.

cant. Quamuis enim ille unus & integer sit, hiq; multi & diuidui, eadem tamen utrorumq; intelligibilis aeternaq; essentia est. Atque idipsum Plato his uerbis indicat: Modo quodam eodem, non tamen perfectas similiter, sed & secundo & tertio gradu à primis deficientes. Id est, Quamuis eadem temperatio sit uniuersalis animi, quæ singulorum animorum, similisq; amborum constitutio, tamen modo temperationis differunt. alio enim modo uniuersalis animus, aliq; singulares temperantur, suntq; diuersi temperationis gradus inter illos. nam alij primi animi sunt, alij secundi, aliq; tertij: ut dij cælestes, demones, heroes, humane animæ. Ergo cū non similiter perfectas esse inquit reliquias illas temperationis animarum, minime quidem intelligit, animos alios magis, minus uel alios temperari. nec enim intensionē, remissionem uel animus capit, ut in Phædone Socrates ait: sed diuersos illorum gradus inter se significat, ut alij præcedant, aliq; inferiores sint, quod in ipsa animorum diuisione inferius dicitur. Nam secundū istum, tertiumq; ordinem animarum ita esse accipiendum inquit Plotinus lib. 1. de Dubijs animæ, ut aliæ animæ supernis magis inhereant, aliæ ab ijs longius discedant, inferioresq; sint. Hinc autem dubiū uidetur, sint ne animæ singulares eadem cum mundi anima, nec ne. multis enim in locis Plato eandem esse dicere uidetur, in alijs uerò negat: itemq; Platoniorū multi id affirmant, non pauci quoq; negant: Plotinus enim lib. 1. de Dubijs animi, eandem esse mundi animam, & singulares animas, nō putat: idq; ex ipsis Platonis uerbis deducit, cum is animos singulares ex eodē cratere dicit deductos, ex quo mundi anima emanat. Idem quoque Proclus uidetur sentire. Sed cum magna Platoniorum in ea re dissensio sit, aliq; aliud affirmant, huiusmodi breui distinctione utendum uidetur, ut mundi anima eadem sit cum reliquis animabus singularibus, quod ad essentia attinet: differat tamen, quod illa prior & uniuersalis sit, hæ autem posteriores & singulares. Ideoq; Plato generationē illius prius explicuit, harum autem ortum illi postea subiunxit.

Deniq; cum uniuersum constituisset, astris pater numerū distribuit animarum, singulis singulas adhibens. Diuisio ista singularum animarum, post mundi animam facta, non ad hominū solum animas referenda uidetur, sed ad animas etiam reliquorum trium animantium, de quibus dixit in superioribus. Quo nomine cum procreasset Deus, inquit, animas singulares, singulis cæli sideribus eas accommodauit, paresq; numero illas cum stellis fecit. Atque hoc modo Proclus Platonē interpretatur, uideturq; hic non animas solum hominū singulares intelligere, sed alias etiam. Alcinoius tamen de humanis animis loqui hic Platonem censet, ita ut illos à se iam procreatos, singulis cæli sideribus Deus accommodauit, eosq; illis subiecerit. Quæ quidem sententia et uerior, & conuenientior esse mihi uidetur, ut in se-

quentibus docebimus. Cum ergo totidem humanas animas procreasse Deum, quot sunt cæli sidera, Plato dicat, ecquid nam in ijs sibi uult? aut quo pacto unamquamq; animam suo sideri accommodauit? Plotinus in lib. de Descensu animæ in corpus, id ita intelligendum censet, ut nihil aliud sit animas in generatione feri, quàm ipsas ad uniuersi perfectionem descendere. nam si animus noster perfectionem illam uniuersi spectet, in eodem semper statu permanebit, quo mundi anima. Sed ne hæc quidem sententia ueram Platonis interpretationem sequi uidetur. At uerò Macrobius, propterea inquit nostros animos cōmune habere aliquid cū cælestibus sideribus, quod ex eodē fonte animati sint illi, à quo hæc animas accepere. Cui etiam Cicero in Somn. Scip. his uerbis uidetur assensire: Hisq; animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera et stellas uocatis. Hanc igitur animorum diuisionem nihil aliud esse manifestū est, quàm animas singulares propter cōmunē illam originē subiectas esse cælestibus sideribus, ita ut horum impulsus sequantur. Nam cum ex eodem animorū fonte, & mundi siderumq; anima, & singulares animæ natæ sint, magnā habet inter se cōsensionē, hæq; ab illa reguntur: siquidē multas habet affectiones animi nostri à sideribus infusas, ut iram, libidinem, uoluptates, eiusmodiq; propensiones alias. Vnde Plotinus in lib. Vtrum stelle aliquid agant, animam inquit, quæ nobis à cælo pendet, subiectaq; siderib. est, fato subijci, stellisq; deumcir: eam uerò quæ à summo Deo tribuitur, liberā esse, liberareq; nos à fato posse. Igitur distributio hæc animorum incognata sibi cæli sidera, nihil aliud significat, quàm partem illam sensibilem animi affectibus subiectā, cælestibus influxionibus parere, ac propter infusas illas ab stellis propensiones ira, odio, timore, ceterisq; perturbationib. affici, quas dij iuniores hominibus adhibent. Vnde animi alij solis naturam, alij Venæris, alij Iouis, aliq; aliorum siderū influxus sequuntur. Hæc erga uera est Platonis sententia, quam pleriq; Platoniorū sic interpretantur. Ex qua intellige, animorū omnium ortum simul fuisse editū, animasq; omnes simul extitisse ab æterno: quod Pythagoræ, Platoq; ipse in Phædone, ac libris de Rep. fatetur: et in Phædro, ubi causas amoris quorundā erga alios inquirens, id ad sidera animorum socia reducit. Hinc etiam collige innumerabilem animorum numerum, equalem numero stellarum, quando unicuique stellæ suus animus subiectus est, qui eius sequatur influxus. Eisq; tanquam uehiculo impositis, monstrauit uniuersi naturam. Procreatis in uniuersum animis, ijsq; in sidera sibi cognata distributis, necesse est, certum aliquem ordinem, uiuendiq; legem ipsis præscribi. Ideo in superioribus creatos fuisse illos, stellisq; subiectos Plato dixit. Nunc ordinem, legesq; illis cōstitutus explicat, cum eos uniuersitatis currui impositos, fatales leges accepisse inquit. Quæ in re antequam de legibus his fatalibus

talibus animorum dicamus, quid nam sit ille currus universitatis, quem ὄχημα Plato uocat, explicemus. Currus, seu uehiculum, ut alij nominant, cui animae impositae sunt, cursus ille naturalis est, quem animae tam corporibus alligatae, quam ab illis solutae tenent: ita ut dum in corporibus manent, eadem moueant, alant, sensibusq; uegetent. dum uero extra illa sunt, uel ad astrum sibi cognatum euehantur, ut in Phedone Socrates inquit, si recte uixerint: uel si male, ad inferos deturbentur. quod in eodem loco Socrates, nosq; postea dicemus. Cum ergo illud sit animarum uehiculum, siue currus, cui impositae a Deo sunt iam inde ab origine, in eo sane, ut Platonici uolunt, descensum animae in corpora declarat nobis Plato, obiterq; uehicularum commemorat, per quae ab intelligibili illa natura in corpus delabatur. Quod ut nos clarius exponamus, rem paulo altius repetere oportet. Triplex animorum uehiculum Platonici ponunt. primum aethereum, in quo animi omnes a Deo facti intelligibiles omnino sunt, antequam in corpus descendant: secundum est, in quo iidem spiritus ab elementari aeris natura accipiunt: tertium deniq; terrenum, ac sensibile, cum corpora sortiuntur animi, illisq; immerguntur. Ex hoc triplici uehiculorum genere tres animi partes deducunt. primam omnino intelligibilem, Deoq; similem, quae primo uehiculo respondet, quaeq; mens ac ratio dicitur: secundam, communem sensum, qui reliquos singulares sensus complectitur, ac secundo uehiculo tribuitur, quoniam materia partim constat, partimq; illius experta est: tertiam, singulares sensus corpori annexos, et patibiles esse dicunt, haecq; tertio uehiculo accommodatur. Haec ergo tria uehicularum in animi descensu ad corpora finguntur, quod per ea quasi gradus quosdam animi delabamur in corpus. Primo enim, cum a Deo creati sunt, purissimi existunt, illiq; simillimi: secundo, cum corporibus annexuntur, mortalem caducamq; uitam sortiuntur: tertio, quatenus corpori sunt immersi, impuram, animantiumq; uitam agunt. Vnde Plotinus in lib. de Anima descensu in corpora, animos inquit in corpus delatum propter naturae secundae, ac in germen pullulantis potestatem, tum quia in diuinis ultra consistere non possint: ideoq; animum eadem proportionem ad diuinam caducamq; affectum esse, quae aer medius inter ignem et aquam est. Quam etiam ob causam Porphyrius in lib. de Abstinencia animalium, remeare nos inquit ex mortali hac natura, quam sumpsimus, ad immortalem illam, ex qua sumus orti, si contemptis rebus corporeis ad contemplationem diuinorum erigamur, similesq; ipsis efficiamur. Hunc animorum descensum per diuersa uehicularum Plato intelligens in Phedone, animam inquit noua ebrietate in corpus tradi, quoniam ab illa intelligibili natura in materiae concretionem delabitur, et quasi immergitur. Atq; haec animorum connexio cum corporibus, obliuionem illam parere

Platonici dicitur, quam Lethaeus fluuius praestat. Quae de re plura Plotinus in lib. de Descensu animae in corpora, et Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. cap. 12. His ita expositis de animorum uehiculis, satis iam constat, animas tunc dici in curru a Deo poni, cum descensus iste, connexioq; illarum cum corporibus a Deo praescribitur. ipse enim tunc et diuersas vires suscipiunt, et instrumentorum corporeorum usum ediscunt. At quid nam Plato significare nobis uult in ijs uerbis? Monstrauit uniuersam naturam, ac leges fatales edixit. Si Procli, aliorumq; interpretationem sequi uolumus, tunc Deus creatis animis naturam uniuersi ostendit, cum originem ipsorum perspicere illis iubet, naturamq; diuinam et intelligibilem, ac ideam, ex qua non ipsi modo, sed mundi etiam uniuersitas nata est, perspicere easdem praecipit. Quemadmodum enim Deus, dum in exemplar suum respicit, animas, uniuersumq; procreat: ita uult eas ad illam intelligibilem uniuersalemq; naturam respicere, ut originem suam diuinam agnoscant, nec ab ea uelint degenerare, sicut Plotinus in lib. de Anima in corpora descensu testatur. Hoc ergo pacto naturam uniuersi animae creatae agnoscunt. Iam uero fatales illae leges, quas eisdem animis Deus imposuit, minime quidem significant fatum illud ab Stoicis Epicureisq; introductum: sed diuinam quandam legem, eternamq; cunctis rebus constitutam, quam ipse semper consequuntur. Nam si ueram Platonis sententiam de fato uolumus explicare, inueniemus sane uim illam necessariam generationem, quam fatum alij uocant, in nostris animis non esse, sed summam agendi libertatem, et consilium. Plato igitur hanc habuit de fato sententiam, ut idem Dei esse uoluntatem eternam dixerit. Id quod Plutarchus lib. 1. de Placit. philos. his uerbis confirmat, eiusdem sententiam referens: πᾶσι τοῖς λογικοῖς αἰσίου, καὶ νόμου δέσμιον τῆς τοῦ παντός φύσεως. Alcinous uero sententiam Platonis de fato hanc putat esse, ut illud uniuersales leges praescribat, non tamen causas rerum singularum. Apuleius de doctrina Platonis uim fati multo melius explicuit, cum diuinam legem, per quam inuitabiles cogitationes Dei, atque incepta cōplemur, fatum esse dicit. Itaq; providentiam summi Dei fatum esse inquit: et quicquid a providentia fit, fieri etiam a fato existimat. Nemesius in lib. de Natura hominis, omnium optime Platonis sententiam sic est interpretatus, ut duplex ab eo fatum dicatur esse: unum essentia, alterum actione. atq; illud mundi anima contineat, quae quicquid agit, facto etiam agat, quando uim habet agendi necessaria: hoc demum diuinam legem esse inuitabilem dicit, quae tamen sita in providentia Dei sit. Vnde fatum in humanis actionibus omnino tollit. Siquidem internum agendi principium positum in nobis est, quamuis finis necessariò eueniat. Atqui haec est uera Platonis sententia de fato, quam pleriq; philosophorum cōfirmant. Nam Plotinus in lib. de Fato, hoc modo

solum fatū in nobis ponit, ut quatenus anima se corpori submittit, necessitate agatur, siquidē naturales impetus quasi ui quadā sequitur: quos tamen, si uellet, refrenare posset, sicq; à fato liberari. cadē enim liberum actionum suarū principiū positum in se habet. Hanc quoq; sententiā Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorū cōfirmat, cum fatū inquit à Deo cōineri, etiam animis liberis manentibus: sed in animo tamen partem illam corpori annexam, ut impetus, propēionesq; naturales, necessitate quadam 10 naturæ regi putat, nisi mens illam cohibeat. Eandem ferē sententiam habet Proclus, atque his omnibus prior Trismegistus in Asclepio, qui fatum his tribus quasi terminis comineri inquit, εἰς χρόνον, id est fato, necessitate, ac ordine: ita ut εἰς χρόνον statutum Dei sit: ordo sit, rerum ex statuto Dei consecutio: necessitas uerò, consecutionis eiusdem necessarius effectus. Quamobrem hac est uera Platonis, eiusq; sectatorū de fato sententia, quam Plutarchus in libro de Fato, ac Simplicius uidetur confirmare, 20 quamq; Aristoteles lib. 2. Physic. & Alexander Aphrodisiæ lib. 2. de Fato, prolixè tuentur. Quamquam ij uim fati non adeò explicuerint. solus enim Plato, quemadmodum D. Gregorius Nyssenus affirmat, fati naturā melius ceteris expressit, in eoq; maxime ad Christianā nostram religionē accessit: præterquā quod fines humanarum actionum necessarios esse dixit, cum fortuiti etiā sint, ac liberi, quēadmodum & initia ipsa agendi. Ostendens quidem primam omnibus generationē ordine quodam 30 unā fore, ne quis ab eo nimis aliquid sortiatur.) Animas omnes creatas simul à Deo fuisse, apertè hic Plato fatetur, alijsq; locis confirmat: id quod à Pythagora mutuatus est. Nam cum leges & fata animis præscripsisset, cursuq; certos illis statuisset, in singula corpora eosdem distribuit, ut animalia composita ex animo & corpore fierent. Itaq; prima animorum generatio fuit simplex & una, qualis in primo fuit uehiculo, quanquam Iamblichus eandem illam uocat diffusionem animorum in sua uehicula. Secunda generatio est, cum legibus fatalibus astricte sunt anime: tunc enim in secundum uehiculum descendunt. Tertia demum, cum singule sua corpora sortiuntur, ijsq; annectuntur: quam quidem descensum animi in corpora Plotinus, alijsq; Platonici uocant. At cū sparsas à Deo animas in corpora Plato dicit, nihil aliud significat, ut Plotinus in lib. de Animi descensu in corpora refert, quā ut naturæ ordinem in ijs quæ fiunt, & quæ consistunt, demonstraret. Nam ut antea concionantem Deum induxit, 50 imperantemq; dijs iunioribus, inferiora hæc ut facerent, ad explicandā uniuersæ naturæ generationem: ita hic sparsisse illum inquit corporibus animas, ad corporum singulorum ostendendam animationem. Hoc modo igitur nate simul, sparsæq; in corpora dicuntur anime: atq; cum ortum primum unum esse, ac constansem, ne quicquam ex eo imminuatur,

Plato refert, ut animi eternitatem significet, de qua suprā dixit, cum animam ante corpus existere asseruit. Nam lib. 10. etiam de Rep. fuisse semel inquit unum animarum numerum certum productum, ex quo nullus detraberetur, sed eterni semper omnes manerent. Vnde immortalitatē animi Plato in Phædone, ac Menone, & in Phædro docens, fuisse animas ante corpus eternas asserit, ut easdem quoq; immortales fore confirmet. Quam etiam sententiam Origines secutus, animas omnes fuisse simul editas, cum Platone asseruit. Satis autem, & quasi sparsis animis per singula singulis conuenientia temporum instrumenta, fore ut animal nasceretur, quod omnium animalium maxime esset diuino cultui debitum.) Generatis primū animis, & in multitudinem ab unitate illa exemplaris diuisis, singula corpora quasi uehicula dijs iuniores illis accommodarunt, ut animalia efficerentur. Sed cum omnium animantium inferiorum præstantissimus sit homo, de ipsius generatione prius Plato disserit, cum in generatione illa animalium ex corpore animoq; facta, inquit factum in primis hominem fuisse. Ex quo etiā intellige, in hac eius productione animum rationalem à Deo provenire, ut antea diximus, connexionem uerò illius cū corpore à dijs iunioribus. Ideoq; quanto nobilior est anima corpore, & ratio sensibus, tanto est sublimiori Deo propinquior, ac similior, siquidē nobiliores anime sunt quæ sublimioribus dijs subijciuntur, quā quæ inferioribus, ut Proclus in lib. de Anima & demone refert. Cum ergo annexæ corporibus anime animalia constituent, corporibusq; sparsæ ob eam causam dicantur, ecquæ nam sunt ista temporū organa, quæ singulis animis conueniunt? Nempe id ipsum, quod antea retulit, animas quasdam ex tota illa productionis multitudine, cælestibus corporibus, quæ temporum sunt instrumenta, fuisse esse. Quod autē corpora cælestia temporum instrumenta sint, ut sol, luna, reliquaq; sidera, latius in superioribus Plato docuit, in temporis 40 generatione explicanda. Itaq; singulis sideribus accommodatas animas Deus sparsit, ut in primo uehiculo creatas fuisse omnes intelligibiles, & siderum animis similes ostendat, simulq; animos humanos sideribus subijciat. Igitur generationis hominum, atq; aliorum animantium ordinem hinc oportet spectare. Nam primo quidem generati animi sunt, ijsq; intelligibiles, ac Deo similes in primo uehiculo, deinde singulis sideribus sunt subiecti: ut intelligas, deos iuniores curam generandorum animalium suscepisse, ipsosq; animos corporibus diffusos illis ipsis, hoc est stellis subijci, ut antea diximus. postremo hoc facto, præstantissimus animantium omnium homo, diuine religionis particeps natus est, cuius nos ortū in sequentibus explicabimus. Atqui hæc Platonis uerba à nobis iam exposita, non satis bene Cicero transtulit in lib. de Vniuersitate, hoc modo: Satis autem, & quasi sparsis animis, fore uti certis temporū interuallis

teruallis oriretur animal. Cum sic dicat, *Αἰὼι γ. αἰσ. γέρας αὐτὰς αἰς τὰ προσέκοντα ἐνάγκαις ἐν γὰρ ὁ γὰρ ὁ γὰρ, φύξι σῆμα τὸ θεοσι βίαιον*. Ergo cū singulas animas cōuenientes unicuiq; astro, quod est temporis instrumentum, sparsas esse Plato dicat, Cicero tamen certo temporum interuallo oriturum hominem inquit: id quod nec Platonis uerbis. nec sententiae consonum est. Esse autem naturam hominis geminam, cuius id genus fore praestantius, quod uiri nomine sit appellandum.) Quemadmodum à rerum praestantiorum ortu ad minus praestantium generationem progressus semper est Plato, sic ab hominis animatione ad animationem sceminarum in his procedit. Nam cum duplex sit hominis forma, altera maris, alteraq; scemina, generatos prius homines dicit, quoniam praestantiores sunt: scemina uerò postea, quòd sint minus praestantes. id quod ex sacra scriptura manifestè uidetur desumptum, ubi generato mundo, factum à Deo esse Adamum, posteaq; Euam Moyses testatur. Cum uerò animae corporibus necessitate quadā insertae fuerint.) Animis leget quasdam fatales praescripsisse Deum, dixit in superioribus Plato, easq; ratione hac corporibus deumctas esse. nunc ad hominis animationem ostendendam, quomodo sensus, uiresq; omnes animales ex connectione animi et corporis ortae fuerint, in his demonstrat. Sed quia corporibus animae necessario infunduntur à Deo, et ab ipso fati necessitas, agendiq; uis necessaria ad animas prouenit, necessitate quadam insertas esse illas corporibus inquit. Nam ut ignis necessario urit, aquaq; humectat: ita anima corpus necessario fouet, atq; animat. quae quidem necessitas naturalis, et ex suppositione ab Aristotele libro 2. Physic. appellatur. Igitur constituto iam animali ex anima et corpore, uarij sensus, uiresq; diuersae ex illa connexionione proficiuntur. Nam cum animae in primo uehiculo sunt apud parentem suum Deum, nihil mortale habent, sed intelligibiles omnino, aeternaeq; sunt: cum uerò corpora sortiuntur, participes mortalis uitae fiunt, hoc est sensibilem partem assumunt, quae cum materia sit immersa, mortalis esse à Platone dicitur. Quare descensus iste ab artifice Deo in corpus, necessitate quadam, id est uoluntate Dei uim afferente fit. Atq; haec est accessio illa, quam fieri Plato inquit his uerbis: Et corporalibus earū accesserit aliquid. Cum uerò anima eadem à corpore recedit ob interitū mortalis uitae, abscissio haec fit, de qua idē sic ait: Vicissimq; abscesserit. Quod autem mortalem partem in corpus anima descendens assumat, aperte declarauit in superioribus, cum dijs iunioribus Deus iussit, immortalis parti, quam ipse praestabat, mortalem partem attexere. Ergo ex connexionione illa corporis atque animae, tum animal ipsum fit, tum sensus uiresq; omnes eduntur, de quibus postea dicemus. Quoniam autem persaepe dicimus, mortalem partem immortalis esse annexam, illamq; à corporis connexionione quasi umbram immor-

talis esse profectam, quo nam pacto animus corpori copuletur uideamus. difficile enim est, incorporeum ac intelligibile corpori sensibili cōiungi, cum diuersissima utriusq; natura sit. Ammonius, Plotini doctor, hoc modo animū copulari posse corpori dixit, quanquā ille incorporeus, hoc uerò corpus esset: quòd intelligibilia omnia eiusmodi naturam habeant, ut quamuis rebus corporeis, quae illorū sunt capacia, uniātur, minime tamē illis sese admisceāt, sed uelut illis adhercant. Nam unio quidem illa mutationem nullam assequitur, sicut alia omnia, quaecunq; alijs connectuntur. Et ut sol acrem suo lumine illustrans, minime quidem lucem aeri permiscet, sed per eum intactā ipsam diffundit: ita animus corpori annexus, nec certum aliquem locum obinet, nec se illi cōmiscet, sed per totum corpus procedēs, ipsum animat, nec partem aliquam eius inanime relinquit.) Primum utique necessario sensum unum omnibus inimum, et naturae cōiunctum illic à uiolemis passionibus excitari, deinde uoluptate et dolore mixtum amorē.) Anima, uti saepius diximus, media est inter essentias intelligibiles, et materiales. ideoq; duplex esse illius natura dicitur. pars enim illa quae materia constat, sensiens dicitur: pars uerò intelligibilis, prorsus est à materia aliena. Itaq; sensibilem illam, ac materiale, cum est corpori inclusa, pars intelligibilis à Deo nata sortitur. atque haec rursus quasi lucis quidam splendor et imago illius prioris est, quam recte Plato marino Glauco alius comparauit. Quemadmodū enim, qui se in mari perspicunt, turbidam quandam, aqueq; immersam sui figuram uident: sic in homine anima rationalis ex se aliam quasi animā producit, corpori annexam, quam sensitiuā appellamus. Sed ut ad Platonis sententiam explicandam redeamus: Primò, inquit, cum animae corporibus essent à Deo infuse, sensum illas sortiri. eumq; ex uehementibus affectionibus ortum: deinde uerò cupiditatem, ac demū iram, et timorem. Qua in re tres animalis partes adducit, ita inter se coniunctas, ut altera cōsequatur alterā. Primò enim animae, dum in corporibus sunt, sensiens diuim assequuntur. Omne enim animal sensiens necessario est, aut anima caret. Adepta igitur sensitiue facultate, diuersas sensuum uires cognitionemq; uariam per sensuum organa adipiscuntur: sensatio tamē illa non sine commotione quadam sit, quando sensus ab obiecto patitur, idq; uehementer. Necessè est enim, sensus ab externa re moueri, patiq; quodammodo, ut perceptio sensatioq; alicuius rei fiat: id quod Plato hic testatur. Post sensum autē, appetitum, cupiditatemq; animae assequuntur, cum ab obiecto nimirum commouentur. Nam post sensibilia rei comprehensionem, uel eius appetitus amorq; sequitur, uel eiusdem detestatio. Appetitus ab aliqua iucunditate, uoluptateq; rei cōprehensae prouenit: detestatio autem ex dolore, quem fugit. ideoq; Plato, amorem inquit cum uoluptate doloreq; mixtū,

animas corporibus inclusas secundo loco post adeptum sensum assequutas esse. Vltimò, post illum rerum perceptarum appetitum, iram, timorem, ceterasq; affectiones habere: quoniam ira et timor, hoc est commotio quedam animi uel ad res magnas inclinans, uel ad exiles deprimens, post rerum perceptionem euenit. Ex quo patet, animam per irascibilem facultatem, quam hic ponit, θυμός; uocat, ad res magnas efferri, ut ad ambitionem, cōtentionem, confidentiam, audaciam: per timorem ad res uiles abijci, ut ad mortis periculorumq; terrorem. Itaque hec est partium earum series, primò ut sit sensus animis, deinde cupiditas et appetitus rei in sensus cademis, postremò ira uel timor, alij ue affectus ex sensatione illa profecti. Hæ sunt animalis partes, uiresq; propositæ: quibus si rectè idem utatur, iustè uiuet: sin minus, iniustus erit. Aut enim anima perturbationibus his paret, aut imperat. si paret, quoniam corporis illecebris capitur, eiusq; uitij sese contaminat, supplicio digna est: si imperat, premijs afficietur. quia cum corpori esset adiuncta, illud contempsit: et ad primam suam naturam, quam in primo uehiculo puram retinebat, sese extulit. Quod in Phedone Socrates latius disseruit, cum de illo duplici animorum ab hac uita discessu loquitur. Atque illum qui rectè curriculum uiuendi à natura datum consecerit, ad illud astrū, cui accommodatus fuerit, reuersum, beatam uitam acturum. Animarum corpore utentium premia, pœnasq; hic docet: premia quidem rectè utentium, pœnas autem abutentium. Quamobrem cum initio productas simul animas dixerit in primo illo uehiculo etheræo, easq; unicuiq; sideri cœlesti accommodatas, prout similem haberent naturam: premium nunc rectè agentium animarū esse dicit, ut post uitæ corporeæ cursum peractum, ad aliquod sui simile astrū efferantur. id quod in Phedone latius, ac in Gorgia Socrates docet. Quia in re tria nobis Plato proponit. primò, conuenientem unicuiq; animæ uitam, et cursum naturalem peragendum esse. deinde, ipsam premij causa in sui simile astrū efferri. demū, beatam uitam post corporis discessum ibi habituram. Conuenientem, prescriptumq; unicuiq; animæ cursum absoluendum esse inquit: quia si se illa à corpore absq; Dei uoluntate extricare uelit, indigna iam premio illi proposito erit, uitiaq; et affectus corporeos minime purgatos sustinebit: quæ admodum in Phedone Socrates refert prolixius, et Plotinus in lib. de Rationali exitu ab hac uita. Iam uerò οὐρανίου ἀγρον, id est simile cuiq; animæ astrum id dicitur, circa quod animarum seminatio, diuisioq; in corpora facta est: unde similitudinem quandam cognationemq; inferiores animæ cum superioribus habent. Nam cum Deus mentem, ut Macrobius in Somn. Scip. testatur, ex se produxerit, eademq; parenti suo sit simillima, ex seq; animas hæc procreet, dum posteriora respicit, animas

omnes ab illa productæ cognationem inter se habebunt. Quo fit, ut astris naturæ suæ consentaneis unaqueq; anima adiungatur, post corporeæ uitæ interitum. Ad quem sanè locum animas ipsas à proprijs demonibus efferri, tum Plato in Phedone, tum Apuleius de Deo Socratis, et Plotinus de Demone proprio testantur. Hæc igitur sunt bonarum animarum premia, breuiter à Platone proposita: quorū latius meminit in Apologia Socrates, et lib. 10. de Rep. cum absoluta iam de uirtutibus, iustitiæq; oratione, premia tandem, pœnasq; hominum post uitam proponit. Contra uerò agentem cogi in ortu secūdo, sexu mutato fieri mulierem. Bonorum premia hætenus proposuit, nunc pœnas malorum subiungit: de quibus cum latius in Phedone ac Gorgia Socrates disputarit, plura in eam rem dicere non oportet. illud tamen nunc explicemus, cur animas malorum in feminas, alia ue belluarum genera degenerare inquit, aut quid nam sibi ea in re Plato uelit. Primum itaque non in hoc loco solum Plato, sed in Phedone quoq; humanas animas propter uitia mutari in diuersa animalia affirmat, ut semper in deteriores animalium formas degenerent, quo se magis uitij contaminarint. Qua in re contrarium ordinem, ac in superioribus, nobis ostendit. amea enim à rerum præstantiorum generatione ad minus præstantium ortum est progressus, nunc ediuerso propter malè factorum supplicium ex præstantiori natura in imbecilliorē ignobilioremq; que mutari homines dicit. Primò siquidem in feminas conuerti ipsos ait, quæ inferioris imbecilliorisq; naturæ sunt. Deinde in alia animantium genera migrare, si ne tunc quidem à uitij abstinerint. Qua in re Pythagoræ regenerationem secutus est manifestè Plato, qui cum animas simul ortas fuisse dicat, ipsas in uaria corpora migrare pro meritis asseruit. Sed ut nos huius sententiæ explicationem breuiter afferamus, quid in ea re Platonici sentiant, exponatur. Platoniorum quidem alij uerbotenius sententiam hanc Platonis accipere, uerèq; animas hominum in belluas degenerare putarunt. alij uerò allegoria quadam dictū id esse censuerunt. Prioris sententiæ fuit Plotinus in lib. de Demone proprio, qui ex eo, inquit, in quo animus excelsit, tota eius forma censetur: ideoq; si ratio plurimum in homine uigeat, rationalis etiam in futura uita anima remanebit: si autem belluina imaginatio et deprauata excellat, in eam se formam transmutabit. in eadem sententia fuit Cramor, antiquissimus Platonis interpret, et Theodorus Asineus. Contra secundam sententiam amplexi sunt alij Platonici, qui animas rationales in brutorum corpora migrare negant, sed id potius à Platone dici asserunt: quod homines uitij contaminati belluarum mores sumant, similesq; illis propter eadem uitia sint. Huius sententiæ fuit Iamblichus, Proclus, et Nemesius. Ergo uerò superiorum sententiæ magis approbo, Platonemq; ipsum uerè animas in belluarum

belluarum corpora pro commissis flagitijs migrare, dixisse affirmo. Nam Pythagoras, quem in hac parte sequitur, sententiam hanc habuit, eandemq; Lactantius in lib. de Falsa religione refutans, illi ipsi tribuit. Quinetiam Plutarchus in lib. An bruta animalia ratione utantur, et Apuleius in Metamorphosi sua, uidentur id sensisse, cum in ipsis belluis rationem aliquam ponant: tum Porphyrius in lib. de Anima, rationem dicit brutis inesse, sed eam quidē perturbatā. nam recta, inquit, ratio hominibus inest, facultas uerò rationalis omnibus animantibus. Eandem sententiam tribuit Platoni lib. 5. de Placit. philos. Plutarchus, his uerbis: πυθαγόρας, πλάτων, λογικὰς μὲν ἀνὰ καὶ τῶν ἀλόγων ζῶων καλῶμεν τὰς ψυχὰς, ὡς μὲν λογικῶς οὐδὲν ὄντας παρὰ τὴν διανοασίαν τῶν σωματίων, καὶ τὸ μὴ ἔχειν φράσιν, ὡς ὅσον ἐπὶ τῶν πιθικῶν, καὶ τῶν κυνῶν, λαλοῦσι μὲν γὰρ οὕτως, ὡς φράσσιν οὐκ ἔστι. Idem confirmat Trismegistus in Pimandro, à quo hanc sententiā omnes acceperunt, cum ab una mundi anima singulares omnes animas profluxisse inquit, easq; tum in melius, tum in peius mutari: siquidem terrestria in aquatilia, et haec rursus in illa conuerti, et homines in belluas degenerare confirmat. Quod autem hoc ita sit, ratione etiam confirmari potest. nam Plato ipse, cum animi immortalitatem in Phaedro, locisq; alijs tueri uult, ab interno eius motu id probat, quoniam anima à se ipsa moueatur: id quod brutorum etiam animis conuenit, ut Lactantius affirmat. Adde quod easdem esse omnium animas, tum ex precedentibus, tum ex alijs rationibus, quas huc possem adducere, Plato iudicauit. quod ne à me putes denuò inuentum, Iustinum Martyrem in lib. cōtra Tryphonem audi, qui sententiam hanc Platoni tribuit his uerbis: ὅτι οὐκ ἂν αὐτῷ διεκ' αὐτῶν αἱ ψυχὴ χωρῶσι τῶν ζώων, ἡρώτα, ἢ ἄλλῃ μὲν ἀνθρώπων, ἄλλῃ δ' ἵππων καὶ ὄντων: ὅτι, ἀλλὰ αἱ αὐταὶ οὐκ ἴσθιν εἶσι, ἀπειρινάμεν. Cum igitur haec ita sint, manifesteq; id Platonis uerba significet, quorsum attinet, uera dogmata ad allegorias deducere, et in naturalis philosophiae narratione moralia consilia asserre: praesertim cum nec omnia sub enigmate à Platone dicantur, nec in Physica translatione illis uti allegorijs liceat. Sed his nunc omis-
sis. ad reliqua progrediamur. Nec prius à mutationibus laboribusq; cessare, quam illam sibi insitam eiusdem ipsius similisq; naturam. Explicato poenarum genere, quo puniri debeant malorum animae, tempus durationis, quo ipse sint puniendae, declarat: siquidē pro meritorum ratione animae remunerantur, pro flagitijsq; puniuntur. Itaq; cum diuersis supplicij generib. apud inferos torquantur animae, aliaeq; in formas alias pro commissis uitij transmutentur, inde tamē non exeunt, quousq; cunctis expurgatae fuerint uitij. Nam cum triplex animorum uehiculum constituerimus, primum coeleste ac purum, alterum impurum et aereae naturae, tertium terrestre, si animae in terreno hoc uehiculo, id est corpore constitutae, la-

bem ex eius natura contraxerint, tandiu apud inferos punientur, quandiu huius quasi sordes purgauerint, et omnem irrationalis uitae naturam exuerint. Duplicem igitur animi uitam Plato statuit, unam rationis participem, alteram expertem. priorem illam habet animus in primo uehiculo. cum purus est, et corporea contagione carens: secundā uerò hanc in reliquis duobus uehiculis assequitur, cum à primo illo delapsus in corpus descendit. Quod si ergo purgatus animus irrationalē hanc uitam exuerit, ad priorem illam redibit, et naturae pristinae restituetur. Quod etiam Plato significans: Non ante, inquit, tempus supplicij peractum erit, quam conuersionem similis eiusdemq; naturae animus fecerit, turbamq; illam multam ex igne, aere, aqua, terraq; nascentem, ac rationis expertem euicerit ratione: hoc est, si animus intelligibile uitam agat, affectusq; corporeos cōposuerit ratione, tunc demum è supplicij liberabitur. Quibus uerbis, id quod nos haecenus de motu eiusdem naturae diximus, Plato hic recitat: quoniam anima cum in primo uehiculo est, intelligibilis omnino, experteq; materiae est, ideoq; circulari motu eiusdem naturae moueri dicitur. Iam uerò magna illa turba ex igne, aere, aqua, terra proueniens, secundum ac tertium uehiculum significat: in ijs enim corporeae mixtionis labem animus contrahit. Nam cum idem in corpus descendit, diuersa indumenta, quae χεῖρας Platonici uocant, ex aere, igne, aqua et terra sumit: hoc est, sensibili naturae, ac mixtae ex qualitatibus inheret, ab eaq; quasi inquinatur. At si post certum temporis spacium purgata fuerit, multam hanc turbam, id est corpoream mixtionem ex affectibus adeptam exuit, rationeq; illam euincit: hoc est, irrationali parte cohibita, ad pristinam naturam intelligibilem reuertitur. Quare senstricem animae partem, expertem rationis, et materiae corporeae immersam uocat: intelligentiam uerò, rationis participem. Hinc igitur purgationis animorum modum intellige, quo nam pacto à rebus corporeis ad intelligentiam efferri debeant, ut purgati planē sint: deinde qua ratione post uitae discessum apud inferos corporea uitia expiet, purgatq; demum ad sua corpora denuò redeant. Quamuis enim animae in uaria belluarum genera commigrent, eoq; modo à uitij purgentur, cum tamen purgationis tempus constitutum peregerint, ad priorem hominis uitam redibunt.

Quae cum illis ita designauisset, ne qua penes se fututē prauitatis causa esset, alios in terram, alios in lunam, alios in alia temporis instrumenta spargens quasi serebat. Post huiusmodi semen-tem, quod reliquum erat, dijs iunioribus agendum mandauit, ut corpora mortalia fingerent, quantūq; esset humanae animae quod reliquum huic deberet

beret accedere, id omne, & quæ consequentia essent, adiungerent regerētq̃, & quàm optimè & pulcherrimè fieri posset mortalis animalis naturam gubernarent: nisi ipsum sibi met malorū causa esset. Atq̃ is quidē qui hæc cuncta disposuit, ritè in suo habitu permanebat. Quo quidem permanente, eius filij cū parentis ordinē cognouissent, 10 eum protinus sequebantur.

Vniuersum opificis Dei munus ac prouidētia efficiendi hic absoluitur. hætenus enim, quo pacto vniuersitatem Deus construxerit, animumq̃ illi adiunxerit, animas omnes diuiserit, uimq̃ efficiendi iunioribus dijs præstiterit, Plato docuit. Quibus generatim statutis, iuniorum decorum, qui à Deo hæc inferiora efficere iussi sunt, opificiū exequitur. Quapropter cū Deus, inquit, hæc omnia, quæ diximus, effecisset, præcepissetq̃ dijs iunioribus, inferiora 20 hæc fabricare, ut ipse extra omnem culpam esset positus, nec uideretur alicuius mali auctor, in diuersas mundi partes animos sparsit, in lunam uidelicet, terram, reliquaq̃ temporis organa: illisq̃ libertatē permisit, qua uti possent, ut cum fatali lege, siue Dei opificis uoluntate in corpora descenderint, ipsiq̃ libertatis suæ ius fuerit permissum, si quid mali egerint, in nullam eius uitij culpam incurrat Deus. Ani- 30 mi etenim in primo illo uehiculo purissimi à Deo sunt producti: postea uerò, cum ad secundum tertiumq̃ uehiculum demittuntur, liberi relinquuntur, ut quod uelint agant, siue se corporis uitij coinquinent, siue ab illis abstineant. Ergo necessitas ac fatalis lex in productione animorum fuit, siquidem causa sua ui efficiens necessariò agit: libertas uerò in animarum iam productarum potestate est. Quam sane Deus illis permisit, ut ipse suorum malorum, bonorum uel causa sibi sint, non tamen ipse. Quicquid enim Deus efficit, optimum, menti q̃ consentaneum est, aliterq̃ fieri non potest. Quòd si uerò animis li- 40 bertatē illam non permisisset, ei, si quid boni, mali uel agerent, tribueretur. Quare hæc quæ de animorum origine hucusq̃ Plato differuit, quasi leges fatales à Deo animis constitutæ sunt. ideoq̃, inquit, διαθεσμεθεσας ἢ πάντα αὐτοῖς ταῦτα. Quæ uerò ab ipsis animis postea fiunt, liberè fiunt, liberāq̃ agendi potestatem et arbitrium in se habent. Quin etiam leges illæ fatales animis impositæ à Deo, decem sunt numero, ut Proclus refert. denarius enim numerus opifici rerum causæ tribuitur: quoniam ut effectrix causa cuncta in se habet, ita numerus denarius reliquos complectitur. ab unitate siquidem ad denarium omnes progrediuntur, indeq̃ iterum numerationem reflectūt. Quare leges eadem, quas generatis animis Deus statuit, in eiusdē mente tanquā una quadam lege comprehensæ inerant, ex eaq̃ cætere deductæ sunt. Itaque leges illæ decem hæc sunt.

Primo, ut animæ simul ortæ post natum mundum, spargantur in diuersas mundi partes. Deinde, ut unus sit ijs omnibus communis descensus in unaquaq̃ conuersione, item ut anima in prima generatione ad animal religionis particeps constituendum descendat. Præterea, ut ad hominis naturam, non autem fœmina, in eo descensu anima perueniat. Deinceps, ut cum in corpore est anima, materiale, diuiduamq̃ uitam sortiatur. Tum ut in eodem corpore inclusa, uite illius imperet, nec se uitij contamine, si iuste uelit agere: sin minus, iniusta, deprauataq̃ sit: item, ut iusta anima ad consimile sibi astrum præmij causa redeat. Dein, ut peccatis uitata, in fœminam in secunda generatione degeneret. Postremò, ut si adhuc in uitij persistat, in belluam aliquam mutetur. Hæ sunt leges omnes diuinæ illius legis in Dei mente insitæ, et ab eadem cõtinentæ, quasi prima omnium causa. Hætenus igitur Dei opificis institutum in spargendis animis declaratum sit. nunc rursus, cur eosdem animos in terram, lunam, ceteraq̃ temporis organa sparsisse illum dicat, explicemus. Quia in re secundum illud animorum uehiculum Platonem hic indicare cogitandum est. nam cum primum animi purissimi à Deo producti sunt in primo, ad secundum postea, quod ex ærea natura constat, emittuntur. Atq̃ hæc est animorum in diuersas partes seminat- 50 tio, qua iisdem inter se diuiduntur. Animi enim omnes cum apud primam illam diuinam mentē mundi effectricē erant, diuisionis erant ignari, et eiusdem planè similisq̃ naturæ: hoc est, quasi unus erat animus, quo illi omnes continebantur. postea uerò, cum iisdem diffunduntur, in diuisionem cadunt, singularesq̃ fiunt, quod Macrobius libro 1. in Somn. Scip. refert. Igitur singulares animi quoniam alterius iam naturæ fiunt in diuisione, cum unius, eiusdemq̃ naturæ prius essent, in diuersas mundi partes diuinæ mentis uolūtate sparguntur: hoc est, per uaria descendunt uehicular, ab illo priori fonte. Nam si secundum uehiculum, uti diximus, est id, quod à primo illo æthereo ad naturā inferiorē descendit: animi certè diffusi, diuersa indumēta ex unoquoque elemento ac cælo sumunt, hoc est, uarias uires et facultates. Nam in Saturno ratiocinationem, in Ioue agendi uim, in Marte animositatē, quam θυμός Plato uocat, in Sole uim fructuēdi, in Venere appetitum, in Mercurio facultatem pronunciandi et eloquendi, in Luna auctricem facultatem, in terra demum corpus ipsum accipiunt: quemadmodum latius Macrobius explicat. Quòd si ergo restè attendamus, in animorum hoc descensu secundum uehiculum inueniemus, in quo diuersas uires illi sumunt. Itaq̃ in primo uehiculo mentem, quæ una est, animi habent: in secundo uarias uires, ideoq̃ dicuntur diuidi: in tertio demum, siue in terra, corpus ipsum concretum ex quatuor qualitatibus induunt, tuncq̃ animal cōstituitur. Hæc igitur est animorum in lunam terramq̃ diffusio. quanquam Chalcidius hoc iuxta Pythagoræ

Pythagorae sententiam intelligendum existimat, ut seminari dicat Plato animas in luna ac terra: quoniam sicut in terra, ita in luna globo esse homines Pythagoras putauit. Sed cur nam lunam ac terram temporum organa uocat? aut cur in illa duo solum sparsos animos dicit? Quia ut Luna et terra extremi illius globi, in quo nati sunt animi, partes ultime sunt, luna quidem coelorum, terra uero elementorum: ita quoque extrema animorum uehicula, ad quae tandem descendunt, ista duo sunt. Itaque quoniam animae uires diuersas in secundo ueiculo adeptae, maximam cum corpore quod in tertio assumitur, consensionem habent: sic lunam, terramque solum commemorauit, quod simillimae naturae sint. Nam et luna aetherea terra dicitur: et luna commune cum terra est, opacam esse, luceque propria carere, nisi quam à sole acceperit. Iam uero temporum organa lunam ac terram appellat, quia luna per se tempus distinguit ut reliqua sidera, mensemque motu suo efficit: terra uero, quamuis fixa sit, et in medio mundi haerens, tamen temporis organum hic dicitur, non ex se, ut Plutarchus in Quaest. Platonice docet, sed quatenus in medio constituta, astrorum motus tum ortu tum occasu distinguit. Eadem enim interpositione sua inter nostrum aspectum et astra, noctes diesque efficit, quae temporum mensurae sunt. Vnde horologiorum in terra positorum umbrae, temporum etiam numeros, ut tota ipsa terra, declarat. Quo fit, ut tam terra quam luna temporum organa sint, quoadmodum ibidem explicat Plutarchus. Igitur in eas partes sparsisse animas Deum inquit Plato, quae temporum instrumenta sunt, ut ostendat, in secundo tertioque ueiculo animas temporariam uitam habere, contra uero in primo illo aeternam. Quo nomine duplicem animi naturam intelligit: alteram immortalem et intelligibilem, qualis est in primo ueiculo: alteram caducam et sensilem, quam in secundo tertioque assequitur. His generatim explicatis, ad reliquam nos conuertamus rerum generationem, quam à dijs iunioribus fieri, iussisse Deum inquit Plato: iudem enim inferiora haec efficiunt, et gubernant. Ut corpora mortalia fingeret, quantumque esset humane animae. Ut formarum, auctore Aristotele, altera est prima, alteraque secunda: ac prima quidem diuina est, et una, reliquaeque omnes complectitur, secunda uero inest corporibus, ab illaque prima inducitur: ita etiam opifex Deus prima est rerum omnium causa, et quasi forma: dii autem iuniores secundae causae sunt, secundaeque formae, non quod iudem corporibus insint, sed quia corpora eadem informant. Quare hoc ipsi à Deo differunt, quod hic quasi uniuersa quasi unum quiddam ad sui exemplar creauit, illi uero id unum in partes diduxerint, singulariaque corpora effinxerint: itemque quod hic quasi efficiens causa per se sit, illi uero effectiouis instrumenta. Deus enim ad inferiora haec fabricanda dijs iunioribus utitur, ut Plato putat. Quae si nos recte uolumus intelligere,

Deum quidem principem omnium causam esse dicamus, deos uero iuniores proximas accommodatasque rei cuius. Hoc modo igitur dii iuniores quasi ab omnium parente Deo uniuersale efficiendi principium accipientes, singula effingunt corpora, eaque mortalia: quia si à Deo fierent, aeterna essent. Iidem etiam animam absoluunt, et perficiunt, dum corpore illi circumducto, sensus, uitam corpoream, atque adeo totam hanc animae partem à mente, quam solus Deus produxit, diuersam, corporique cognatam adiungunt, quae pars mortalis à Platone Aristoteleque dicitur, illa uero altera immortalis. Atque hoc modo dii iuniores immortalis parti mortalem attexere, quod nos latius supra retulimus. Reueremusque, et quam optime et pulcherrime fieri posset mortalis animalis naturam gubernarent, nisi ipsum sibi met malorum causa esset. Quoniam eiusdem est mundo pro uidere, et eundem construere: eademque ratione qui hominem effecit, consulere ipsi debet, curamque illi us gere: in superioribus Plato hominem à dijs iunioribus effici docuit: nunc ipsum ab illis curari gubernarique dicit. Nam si curam hominum dii iuniores gesserint, ad optimaque semper illos inclinent, ipsi causa malorum non erunt: sed homines ipsi, qui parere illorum consilij debent. Itaque tum bonum cura in iuniores deos habere inquit, tum etiam ad bonam adducere, non autem trahere. Quod autem dii iuniores, siue angeli, curam hominum gerant, cum hic Plato significat, tum in Phaedone latius, cum deos inquit recte dici curam nostri habere, nosque illorum possessionem esse, quod et Diogenes Laertius ex Platone referens, eundem ait deos res humanas curare asseruisse, eosque deos siue demones esse. Quinetiam in Politico, et libris de Legibus, manifeste fatetur Plato, Deum hominibus diuinos quosdam custodes adhibuisse, qui curam eorum habeant. Porro cum dii iude siue angeli hominibus praefecti sint, ut curam illorum gerant, ad bonum semper illos inclinant, ad malum uero minime. nec enim mali principium aliquid est, ut falso quidam putabant: qui duplex statuebant initium, unum mali, alterum boni: quos Plotinus dicto ad id libro refutauit. Ergo dii iuniores boni auctores cum sint, quemadmodum et supremus Deus homines semper ad bonum inducent, optimaque illis consilia dabunt: homines autem corporis illecebras sequuti, causa sibi mali sunt, cum rectis iuniorum deorum consilij parere nolint. Vnde in homine ad uitia prono malum est, non autem in dijs iunioribus, qui ad bona semper illos hortantur. Atque huiusmodi quoque dii singulis hominibus praefecti, demones proprii à Platonice uocantur: de quibus latius Plotinus in lib. de Demone proprio, et Proclus in Alcibiade Platonice. Atque is sanè qui haec cuncta disposuit, ritè in suo habitu permanebat. Cum omnia Deus haecenus effecisset, ac uim agendi iunioribus dijs, hoc est naturae rerum permisisset, in se ipso, statumque suo permansit. Nam quatenus artifex idem, ut

ait Iamblichus, ad inferiora respicit, eadem nutu suo ac uoluntate producit. Cum uero in se respicit, naturamque suam contemplatur, unus idemque semper in eodem statu permanet. Quare omnia quidem in Deo una erunt, in se autem ipsa multitudinem habebunt: quemadmodum rerum sensibus perceptarum multitudo in mente una est, quod Plotinus in lib. Quid homo et quid animal, refert: in anima uero multiplex et diuisibilis. Quo nomine cum rerum a Deo productarum uarietatem Plato docuerit, quasi ad primam originem illos reducit, nimirum ad Deum, in quo cuncta unum quiddam sunt. At cur in suo statu mansisse Deum inquit? an quoddam labore defatigatus cessarit, et in pristinam quietem sese receperit? Minime quidem: sed ut eiusdem Dei unitatem, stabilitatemque eternam ostendat, qua cuncta continet. Igitur eodem in se manente, iuniores dii ab eo iussi rerum inferiorum opificium aggrediuntur, ipsumque imitantur. nam dum illum hi mente concipiunt, exemplar etiam rerum efficiendarum sibi proponunt: manente autem in se Deo, ipsi tunc intelligentia sua res producunt. Itaque hoc erit eorum officium, ut cum parentis sui ordinem in rebus efficiendis considerant, efficiendi modum ediscant, ipsique ad sese conuersi, rerum ab illo praescriptarum generationes proferant, ita tamen, ut iidem quasi secundae causae sint, ille uero prima, et potissima: hoc est, ille generatim cuncta disponat, hi uero singula, supremi Dei ordine adhibito, uelut exemplari, efficiant.

Itaque accepto ab illo mortalis animantis immortalis principio, sui effectorem imitati, ignis, aeris, aquae, terrae particulas, quas rursus redderent, a mundo mutuabantur: easque inter se copulabant, haud iisdem illis indissolubilibus uinculis, quibus ipsi fuerant colligati, sed talibus quae propter paruitatem cerni non possent: crebrisque huiusmodi clauis coniunctis, unum ex omnibus corpus efficiebant, atque in hoc ipsum tum influente, tum effluente corpore animae diuinae circuitus illigabant. Itaque hi circuitus in profundum flumen immergi, neque tenebant neque tenebantur, sed ui ferebantur, atque ferebant. Ex quo factum est, ut totum animal moueretur, sine ordine tamen, et fortuita quadam iactatione. Cui quidem sex peruari motibus contingit, undique per sex loci differentias progrediendo, uidelicet ante et retro, ad dextram et laeuam, sursum atque deorsum. Cum uero plurimus inundaret fluctus atque deflueret unde animal nutriretur,

multo etiam maior a passionibus extrinsecus illatis turba sequebatur, cum corpus aliquod ignis exterioris incurrisset offensionem, uel a terrae soliditate, aut aquae humore, aut aeris flatu laesum esset. Porro ab his omnibus per corpus motus usque ad animam transeunt, qui propterea et initio et nunc sensus cognominati sunt. Hi quidem ab initio continuè multos et maximos motus cient, riuo illo iugiter fluente, atque his fluctibus uehementer animae circuitus quatiantur. Et circuitum quidem illum eiusdem similisque naturae in ipso cursu prorsus impediunt: alterius uero circuitum distrahunt: usque adeo ut dupla illa et tripla utrinque disposita interuallaria, medietatesque et colligationes sesquitercia, sequialtera, sesquioctaua ratione interiectas, quae dissolui a nullo nisi ab eo qui coniunxit possunt, omni reuolutionis genere torqueant, omnesque anfractus et uarietates orbium, quotcumque contingere queunt, inducant: ita ut ambitus ipsi uix sibi inuicem connexi, ferantur quidem, sed sine ratione ferantur, tum contra, tum ex obliquo, tum resupina quadam dispositione. ceu si quis caput pro pedibus humi figat, pedes uero pro capite tollat in altum. tunc arbitror tam eius qui sic affectus est, quam eorum qui spectant, dextrae partes sinistrae, et contra sinistrae dextrae sibi inuicem esse uidentur. Itaque cum hoc ipsum caeteraue huiusmodi animi quoque ambitus maxime patiuntur, si tunc extrinsecus aliquid eiusdem ipsius uel alterius generis inciderint, falso quid idem alicui sit, quidue alterum ab aliquo iudicant. Ideoque mendaces tunc dementesque sunt, nec ullus princeps et dux in eis tunc est circuitus. Cumque extra positi sensus pulsauerint animam uehementius, totaque eam possederint, tunc illi subiugati quidem et seruientes dominari uidentur. Quas ob res ab initio anima cum mortalis corporis uinculis includitur, amens efficitur. At postquam nutritionis et augmenti riuus lenius minusque fluit, animaeque circuitus tranquilliore motu iter suum peragunt, processuque temporis sedan-

ris sedatiores fiunt, & in figuram naturæ suæ congruā restituuntur: tunc singulorum circularum directæ conuersiones, eiusdē & alterius naturam probè discernunt, hominemq; sic institutum, prudentē efficiunt. Quod si quis educationi rectæq; nutritioni disciplinam quoq; & eruditionem conuenientem adiunxerit, morbo grauissimo deuotato sanus & integer prorsus euadet: sin autem neglexerit, claudum uitæ inter ingressus, tanquam mancus & omnino inutilis rursus ad inferos decedit.

Quoniam philosophi est, primò uniuersales rerum causas, deinde proprias ac singulares reddere, id Plato in his facit. hæc enim communem rerum omnium effectarum causam, id est Deum proposuit, ipsiq; in efficiendo ordinē tradidit. Nunc rursus singulares causas ab illa prima deductas subiungit, hoc est deorum iuniorum opificiū. Sed hoc est inter utraq; causas discriminis, quòd prima, immortalia animantia, incorporea; facit: secundæ, mortalia & corporea. item illa simplices eiusdemq; naturæ producit. hæ uerò compositas, naturæq; diuersæ. Quare immortalem animi partem Deus producit, dijsq; iunioribus ipsam tradit annexendam mortali, uidelicet sensitrici. Ex quo etiam duplicem animæ uitam intellige, de qua Plato multis in locis, ac Plotinus in lib. Quid homo & quid animal, differunt. Nam priorem uitam mentis esse propriam, & à Deo infusam dicunt, eamq; quasi formam secundæ, ac totum quiddam in se existens appellant. Secundam uerò prioris imaginem uocant, quæ cum forma corporis uitam habentis sit, ab eadē illa priori inducitur. Itaq; prior secundā, secunda uerò corpus informat. Igitur principium illud, quod iuniores dii accepere ad animi constitutionem, mens est, & rationalis anima à Deo producta: quod uerò ipsi addunt, est corporis & animi copula. Particulas ignis & terræ. Cum dii iuniores auctorem suū Deum imitarentur, animæq; immortalī partem mortalem adiungerent, ipsam quidem mortalem ex ignis, terræ, aquæ, aerisq; mixtione cōposuisse à Platone dicuntur. Quibus uerbis sensitricem hanc partem materiæ corporeæ annexā intelligit, non quòd illa uerè corporea sit, sed quia corporis naturæ maximè adhaereat, ferèq; ab ea nequeat seungi. Siquidem sensus omnes per organa sua eduntur, ac sine ipsis esse nequeunt. Quo fit, ut eorundem se naturæ applicent, dicamusq; alium ab igne sensum, alium à terra, aliū ab aere, aquaq; desumi, quod Cicero lib. 2. de Nat. deorum inquit: Sed ut elementorum duo extrema sunt ignis & terra, duoq; intermedia aqua & aer: ita quoq; ex sensibus uisus & tactus extremi sunt, ille naturæ igneæ, hic terræ, inter quos me-

dij olfactus & gustus, ac auditus participes utriusq; sunt. nam olfactus aeræ naturæ est, partimq; humide: auditus aeræ solum, gustatus aquæ, tactusq; perfimilis. Quod autem sensus naturam eorum elementorum habeant, Aristoteles lib. 2. de Anima, Platoq; in sequentibus docet. Visus enim, quoniam omnium celerrimus, ac luce est constitutus, igneus esse dicitur: tactus, ut omnium hebetissimus, terreus. inter hos medij sunt, gustus, odoratus, & auditus: gustus quidē aqueus, auditus aeruus, odoratus partim aeruus, partimq; humectus. Hi ergo sensus omnes eandem seruant rationem, quam inter se elementa, ad eorumq; naturam maximè accedunt, ideoq; ex illorum particulis temperatis constare dicuntur. Hæc est demum elementorum mixtio in mortali animæ parte constituenda, à dijs iunioribus facta: quam sumptis de mundo ijs elementorum particulis, quæ reddantur postea, fieri Plato dicit, ut ostendat ex ipsa materiali mundi natura corpoream animæ partem esse sumptam, qua intereunte, partes illæ elementorum dissoluuntur, naturæq; suæ redduntur, ut mens etiam suo uehiculo. Easq; inter se copulabant haud iisdem illis indissolubilibus uinculis, quibus ipsi fuerant colligati, sed talibus, quæ propter paruitatem cerni non possent. Secundum animi uehiculum ex elementorum mixtione fieri, idemq; à dijs iunioribus adhiberi, diximus. Nunc modum, quo fuerit idem factum, doceamus. Idem ergo uehiculum ad animam organico corpore utentem refertur. Quatenus enim qualitibus quatuor cōstituta partem illi addit iuniores dii, secundū intelligimus uehiculum: & cum pars hæc animi sentiens sit, corporiq; adiuncta, uitam eidem præbet. Quare animam quidem, cum in primo uehiculo est, οὐρανὸν χαίρειν, id est actum primum nominare cum Aristotele possumus. Cum autem est in secundo, eandem corpore organico uti, uitamq; illi præstare dicemus. Cum autem in secundo hoc animi uehiculo efficiendo elementorum fiat commixtio, tenuissimis, aspectumq; fugientibus particulis constitui in eo animum Plato inquit. Quatenus enim ad ignis accedit naturam, tenuissimā, inuisibilēq; ignis parte constat: hoc est, qualitatis eiusmodi, quæ incorporea est, particeps erit. Atq; idem de reliquis elementis putandum est. Hæ igitur particulas tenuissimas, siue qualitates, quæ in animi effectione commiscantur, γόμεναι, id est cuneolos Plato hic uocat: quoniam elementa contrarijs qualitibus commixta, unam quandam efficiunt temperationem, calor enim efficit, humor subijcitur, & conglutinat: frigiditas & siccitas utriusq; excessum temperant, frigiditas calorem, siccitas humorem. Atq; hæ, ut diximus, qualitates occultæ temperationem elementorum in corporibus efficientes, cuneoli illi sunt, qui corpoream animæ partem conneclunt: non autem corpuscula illa minima, siue atomi, quos Democritus et Leucippus induxerunt, quemadmodum putat Chalcidius.

/ Atq; in hoc ipsum tum influente, tum effluente corpore, anime diuina circuitus illigabant. Mortalis anime pars corporeis uinculis et clauis, hoc est qualitatibus, annectitur à dijs iunioribus, ut dissolui facile possit. nec enim ea immortalis est, & indissolubilibus uinculis à supremo Deo colligata: quando omne id quod à Deo fit, immortale est, ut Plato uult. Ergo anime immortalis, corpus ex qualitatibus compositum dii iuniores adhibent, ex eaq; cōnexionē mortalis & caduca totius animantis uita oritur. Sed quid nam Plato in his uerbis significat, ἢ ἐξ ἀπαύτων ἀπορραζόμενοι σώμα ἑπαιτοῦ, τὰς τὰς ἀθανάτων ψυχῆς πρὸς ἰόδους ἐνέδωκεν αἰς ἐπιρριπτοῦ σώμα, καὶ ἀπορριπτοῦ. Hoc est, cum corpus unum quasi ex omnibus qualitatibus constitutum dii iuniores fecissent, circuitus quidem immortalis anime corpori influenti, effluentiq; illigantur. Anima rationali in corpus descendente, corporis materia quasi inundatio quedam influens illam immergit, ac sibi alligat, ita ut corpoream naturam sequatur. Atq; hoc modo corpus influere in rationalem animam dicitur. At uerò corpus tunc effluit, cum dissoluitur simul cum irrationali anima. idem enim quia qualitatibus cōstitutū est, dissoluitur, atq; hoc modo quasi ab ipsa anima effluit. Ergo rationalis anima, ex qua irrationalis uelut umbra quedam nascitur, corpus semper sustinet: irrationalis uerò sustinere minime potest, quando ab illa profluit. Itaq; influxus iste, ac effluxus corporis, cui anima illigatur, nihil aliud est, quàm materialis illa, corporeaq; substantia, quæ immortalem animam à Deo infusam immergit, atq; ambit, dum corpori annectitur, aut etiam eandem illam dissolutione corporis exutam, ac nudam corpore relinquit. At quæ nam est illa periodus anime, quæ corpori alligatur? Nempe ipsius anime motus, qui, dum ipsa in corpore est inclusa, editur, circularisq; ut diximus, est, siquidem anime rationalis motum circula rem esse, ac periodicum, dicit Plato. Vnde cum anime periodum illigari corpori ait, idem est, ac si dixisset, animam rationalem, quæ motu circulari ex se mouetur, corpori alligari, motumq; illum in eodem ciere. Itaque hi circuitus in profundum flumen immersi, neq; tenebant, neq; tenebantur, sed ui ferebantur, atq; ferebant. Metaphora quadam Plato, ab ijs quæ in flumine merguntur, corporeæ materiæ cum anima rationabili cōiunctionē declarat. Quedam enim, inquit, corpora fluminibus, aut aquarum ui magna submerguntur: ita anima corpori inclusa, eiusdem materiæ immergitur, ex eaq; quasi labem cōtrahit. Vnde quod in Phædone, ac libris de Rep. allegoria quadam de Lethæo flumine Plato dixit, anime descensui ad corpus tribuendum est. ipsa enim eidem inclusa, naturæ suæ pristinae intelligibilis obliuiscitur, terreæq; cōcretioni sese accommodat. Ergo per flumen hoc multum & exundans, quod ποταμὸν πολλόν Plato hic uocat, materiale corpus,

corporeæq; actiones intelligit: cui animam illigari, immergiq; dicit, propter mentis cum corpore cōnexionē. Præterea cum illigatæ sunt anime huic corpori, siue hoc flumine materia immerguntur, nec sperant, inquit, nec superantur: quoniam nec ab eodem corpore tanquam præstantiori superemur, inferioresq; illo sint, quando incorporeū à corporeo superari, interiri uel non potest: nec etiam ipsemet anime corpora superant, incorporeæ uel, ac sibi similia reddunt, cum nihil corporeum in eâ etiam incorporeâ mutari ualeat. Quo fit, ut cum anima corpusq; diuersæ naturæ sint, adeo tamen inter se cōnectantur, ut altera non uincat alterum subtilitate naturæ suæ, nec alterū illam grauitate moleq; sua deprimat, sed magnam inter se cōsensionem habeant.

Vi ferebantur, & ferebant, ita ut animal mouetur. Vt in anime cum corpore cōiunctione magna est substantiæ utriusq; cōsensio, ita quamū ad motum totius animalis attinet, partim quidem ui fertur anima, partim fert ipsa. Mouet enim ui sua corpus anima, cum ipsum ex se minime moueatur, nec sentiat, nec uiuat, sed ab illa id habeat. fertur uerò eadem à corpore, dum eo ipso utitur, uariasq; uires habet illi cōiunctas. Quare utriusq; impulsus quasi ui quadam sit, hoc est, non ex propria cuiusq; illorum natura id prouenit, sed ex toto composito. corpus enim fert animam, non quidem ex se, cum rude & nulla ui præditum sit: sed ex sympathia, quam ex illius ui retinet. Anima quoq; corpus externa ui fert, quoniam eidem annexa corporeis rebus utitur. siue ut Chalcidius exponit, fertur quidem ui anima à corpore, cogente nimirū illo ipsam ad uitia: fert uerò illud eadem, dum uitam salutemq; ipsius curat, quod anime proprium est. Ergo ex toto compositum anima, tum corpus sympathia quadam fertur, cum alterutrum per se minime id haberet. anima enim à corpore separata, nullas corporeas uires haberet: nec corpus etiā inanime uitā, sensumq; retinere posset. Vnde alias esse animi uires proprias, alias corporis, aliasq; totius compositi, considerandum est, ut Plotinus in lib. Quid homo & quid animal, refert. Nam intelligere, ratiocinari, huiusmodiq; alia, anime separatæ sunt propria: procliuent autem ad uitia affectusq; esse, id ex corporis natura prouenit: sentire demum, moueri, appetere, ad totū ipsum animal refertur. Quoniam uerò cōposita omnia ex diuersis contrarietatem motus habent (simplicia enim corpora unico tantum motu mouentur, ut Physici asserunt: composita uerò pluribus, quia partium diuersarū motus habent diuersos) animal quidem ipsum, quod ex anima corporeq; constat, diuersos, cōtrariosq; motus habeat necesse est, alios uidelicet ab anime natura, alios uerò à corpore. Et quidem si naturæ hæc duæ, anima & corpus, maxime inter se sint contrariæ, motus itidem totius contrarijs partibus constabit. Ergo sex illa genera motus, de quibus antea diximus, animali cuiq; conueniunt:

miunt: quoniam generationi numerus senarius com-
petit, ut Pythagorici asserunt. Nam in corpore tri-
plex dimensio est, longitudo, latitudo, crassities: ac
in longitudine punctū quasi unitas inest, in eadem
quoque linea ut dualitas est, in latitudine planities ut
ternarius: in toto uero composito quaternarius, qui
soliditatem corporis efficit. in Symmetria partium
corporis iam constituti quinquarius est, in toto de-
mum animali senarius. Itaque in anima cum corpore
connexionem quinquarius consideratur, in eadem uero
illa corpore iam utente senarius. At qui nam sex illi
motus inter se contrarij erunt? hi nimirum, ante, po-
ne, sursum, deorsum, dextra, sinistra, qui solum ani-
malibus insunt, diuersaq; ratione, contrarij in illis
ponuntur. Cum uero plurimus inundaret flu-
ctus, atque deflueret, unde animal nutriretur, multo
etiam maior à passionibus extrinsecus illatis turba
sequebatur. Vt hactenus translatione quadam u-
sus Plato, materiae corporeae animam ambientis mo-
lem ac densitatem descripsit: ita quoque in his per flu-
ctum illum, de quo loquitur, effluens et exundans
corpus hoc terrenum, cui anima est inclusa, intelli-
git. Sic enim ille ait: πολλὸν γὰρ ὄντος τὸ ἀπὸ πλὴν ἰσ-
τός, καὶ ἀπὸ πείροτος κινήματος. id est, cum multa sit,
ac densa corporis moles, quae grauitate quadam ue-
luti exundat, animus illi adiunctus quasi submergi-
tur, ac partes illae duae totius animalis, alitrix uideli-
cet facultas, ac sentiens, hebetantur. Nam cum uires
quasdam totum animal habeat, ut nutriendi, semien-
di, mouendi; se, atque alias demum eiusmodi, pro al-
trice quidem facultate animalis undam illam deflue-
tem accipimus, quoniam eadem uis alimenta corpo-
ri suppeditat, magnamque materiae externae copiam
ad sustentandum corpus assumit, qua intelligibilem
etiam animi partem aggrauat. Vnde fit, ut corpus ma-
gis tumultuetur, animaeque repugnet, ipsaque interim
quasi submersa illius mole perturbetur. Siquidem ma-
gna corporis indulgentia, et mollicies, animum e-
molliat ac enervat, ingenium offuscat, planeque depri-
mit. Hinc uidemus, eos qui seminum cibo potius
dedidere, quasi bruta quadam animamania esse, ui-
derique rationis ferè expertes, cum nimia corporis
mole opprimantur. At quæres tu fortasse, posuit
ne animus à corpore quicquam pati, cum incorpo-
reus, purusque sit, nihilque incorporeum perpeti à cor-
pore unquam possit? Animus certè à corpore pati
non potest, non magis quam si rei alicuius imago in
speculo apparens, moto speculo, fracto uel moueri,
frangique dicatur. Nam cum sentiens hæc, alitrixque a-
nimæ facultas, intelligentie ac membris imago sit, ut
Plotinus in lib. Quid homo et quid animal, inquit,


apta sunt ad res concipiendas, intelligendas uel. Cum
itaque ex sensitrice animi parte intelligentem cogno-
scamus, illaque huius imago quadam sit, si eadem illa
minus apta sit, patiatur uel ab externis rebus, hæc et-
iam pati quodammodo uidetur, quamuis ex se pati
nullo modo possit. Ergo propter altricem faculta-
tem rationalis anima corpori inclusa, pati aliquo
modo sympathia quadam dicitur: ut dum facultas illa
ab externis rebus alendo, fouendo uel corpus affi-
citur, mens quoque patiatur ad illius affectionem, hoc
est, quasi nebula quadam offussetur. Vnde fit, ut pue-
ri, influente semper (ut diximus) materia ad cor-
poris incrementum, rationali anima minus utantur,
itemque senes, quorum corpus semper imminuitur, eo-
dem laborem uitio propter abscissionem perpetuam
ambo enim nec recte recordamur, nec ratiocinamur
promptè. Quamobrè materia illa corporea ad cor-
poris alimentum semper accedens, fluctus ille est,
à quo nutriri animal Plato dicit. Nec tamen per se
ipsum pati corpus ab externa re, aut animam seorsum
putes: sed totum ipsum animal compositum, ut Ploti-
nus inquit, anima enim ex se pati non potest: corpus
etiam, nisi uitam ab anima haberet, nullo quoque mo-
do sentiret, cum sensus expertus sit. At uero cum ani-
ma rationalis ob corporis molem patitur, cur nam
Plato dicit, maiorem tunc fieri turbam ab illatis pas-
sionibus, cum corpus à quatuor qualitatibus elemen-
torum patitur? sic enim ait: Multo etiam maior
à passionibus extrinsecus illatis turba sequebatur,
cum corpus aliquod ignis exterioris incurrisset of-
fensionem, uel à terræ soliditate, aut aquæ humore,
aut aeris flatu laesum esset. Quia animæ irrationa-
lis uires corporeas qualitates sequitur, adiunctaque
illis sunt, eadem quoque ab externis qualitatibus pa-
tiuntur. Nam quatenus natura ignea, hoc est natu-
rali calore corpus constat, accedente maiore ignis
copia ipsum afficitur, eodemque modo anima pertur-
batur. Quatenus etiam aeræ naturæ, ac spirabilis
idem habet aliquid, eadem item natura accedente
commonetur. Ergo similium qualitatū accessio cor-
pus commouet, illoque commoto totum animal per-
turbatur: perturbatoque toto composito, anima etiam
sympathia quadam patitur, tuncque sensus rei com-
mouentis fit, id quod Plato in his docet: Porro ab
ijs omnibus per corpus motus usque ad animam tran-
seunt, qui propterea et initio et nunc sensus nomi-
nati sunt. Quo nomine in secundo uehiculo, quo
anima corpus sortitur, sensus omnes, sensitricemque
animam adipiscimur, ideoque ex accessione quatuor
illarum qualitatū diuersi sensus eduntur simul cum
corpore, ut ex ignea natura aspectus, ex aeræ audi-
tus, ex aquea gustatus, ex terræ tactus, ex fumiga-
tione odoratus. Igitur constituto iam ex quatuor qua-
litatibus corpore, sensuum quoque similium uires con-
stituantur in toto animali: iisdem autem comotis ab
externis rebus, sensus ipsi pariuntur, siquidem in per-
pensione sensitricis facultatis ab obiecto sensus effici-

tur. Vnde nominis etymologiam Plato deducens, αἰ-
 δίνας inquit, id est sensus sic appellari, αἰδὸ τῶ ἀί-
 νου, quod est commoueri, et αἰδῖν id est positionē,
 quoniam à rebus extrà positis moueamur. necesse
 est enim ab externa re obiecta perpeti sensum, ut sen-
 satio fieri possit. Quamobrem hoc modo anima, to-
 tumq; compositum pati ab externis rebus dicitur,
 ut quoniam anima corporis qualitates, constitutio-
 nemq; sequitur, corpusq; rursum, quatenus uitā ac
 sensum habet, ab illa moneri ab externis rebus po-
 test, commoto quidem corpore animato, ipsum com-
 positum animal afficiatur. affectio uerò omnis ani-
 matis in sensum aliquem cadat necesse est. Ergo ex
 cōmotione sensus paritur, ex sensu demum rei com-
 prehensæ perceptio. Si quidem ab initio cōtinuē
 multos et maximos motus ciet, riuo illo iugiter
 fluente, atq; his fluctibus uehementer animæ circui-
 tus quatunt.) Ex sensitrice animi parte singuli o-
 riuntur sensus, diuersisq; corporis partibus explicā-
 tur. Quare constitutis iam sensuum facultatibus, di-
 uerse illorū uires tum ex se, tum ex tota anima fiūt,
 id quod in illis uerbis Plato indicat: Nam cum sen-
 sus, inquit, ab anima sensitrice proficiantur, unaq;
 rerum corporearum imagines afferant, animam ra-
 tionalē perturbant, idq; præfenti tempore: siqui-
 dem præfentium rerum cōprehensio sensus est, præ-
 teritarum uerò memoria: simulq; et obiectum et
 sensus esse debet, ut sensatio fiat. Quare Plato et τῷ
 παρόντι, hoc est præfenti tempore sensus fieri dicit.
 Vnde illud, καὶ διὰ τὸ ἐν τῷ παρόντι, non bene
 translatus est, Ab initio cōtinuē, ut Latinus inter-
 pres uertit. Iam uerò et magno frequentiq; mo-
 tu cieri sensus Plato dicit, quoniam sine motu ab a-
 nima ad obiectum progrediente, et ab hoc rursus ad
 illam redeunte, sensatio fieri non potest. sensus enim
 ab obiecto moueri necessariò debet, quod passionem
 uocamus, ut rei cōprehensio fiat. Quinetiam, riuo
 quodam iugiter fluente, motum illum sensuum effici
 refert: quia res omnes sensiles et corporeæ, propter
 materie, qua constant, latē fusam per omnia natu-
 ram, flumini cuidam comparantur, ex qua uelut ri-
 uuli, ita sensus diuersi oriuntur. Nam ex materia
 corporea, et uitam ab animo habente, sentiens ani-
 ma emanat: ex sentiente uerò anima, sensuū omniū
 uires. Atq; ita sensus proprio suo motu animam sen-
 sitricem commouent, hæc autem rationē perturbat.
 Ergo sentiens anima corpori annexa, per riuum
 illum perpetuò defluentem, quem πῶτα οὐτιδεχῶν
 ὁ χῆρὸν nominat, significatur: cum qua sensus coniun-
 cti, siue in qua uires sensuum posite, motaq; ab ex-
 ternis rebus, mentem ipsam perturbant. Sed cur
 nam animam sensitrice, riuum perpetuò decurrē-
 tem nominat? Quia eadem, quandiu mense est inclu-
 sa corpori, in perpetua est rerū corporearū perce-
 ptione. deficiente enim sensu, et anima etiam de-
 est. Vnde cum materia quasi flumen quoddam sit,
 sentiens etiam anima ex illa constans, quatenus cor-

pori est adiuncta, fluere quodammodo dicitur, ob-
 uersante semper in ea rerum materialium compre-
 hensione: nō quod illa semper sentiat, nullumq; tem-
 pus intermittat, sed quia semper eam habeat sentien-
 di facultatē, cuiusq; obiecto oppositam, ad res o-
 mnes corporeas comprehendendas. Cum igitur sen-
 sus memem perturbare cōstet, quo nam pacto illam
 possint afficere uideamus. id enim obscurè in ijs uer-
 bis Plato indicat: Atque his fluctibus uehementer
 animæ circuitus quatunt.) Duplicem esse animi pe-
 riodum, seu motum circulare, suprā retulimus: u-
 num eiusdem nature, alterum alterius: illumq; men-
 ti ac intelligibili animæ parti, hunc sensibus, sensi-
 triciq; facultati tribuimus. Vterq; motus ab exter-
 nis rebus perturbatur, nec alter solū ab altero, quo-
 niam sensus ab obiectis cōmoti patiuntur, et mens
 propter sensuum perpeffionem ratione quadam pa-
 titur, quatenus à sensibus impeditur. Ex quo dupli-
 cem animi uim cōmoueri intellige, et intelligibilē,
 et sensibilem. Vtraq; enim facultas tum mouet, tum
 etiam mouetur, quoniā anima rationalis primo suo
 motu corpus mouens, sensuum quoq; potentias seu
 sensitoria commouet: sensus præterea ipsi illam mo-
 uent, cum adductis corporearū rerum imaginibus
 ad eam quasi nunciij rerum perceptarum redeunt.
 Itaq; motus utriusq; periodicus est, alterq; circa al-
 terum cietur, ut in circulo eiusdem alteriusq; natu-
 re suprā demonstrauimus. Hic est ergo circuitus ille
 animi, qui materie quasi fluctibus quatitur, ac impe-
 ditur: quicq; duplex cum sit, diuersaq; nature, diuer-
 sa itidem ratione perturbatur. Nam circuitus eius-
 dem nature, hoc est memis motus à sensibus commo-
 uetur. cōstringiturq; quasi cōpredibus, ne latius per
 omnia possit diuagari. Porro motus alterius natu-
 re, hoc est animæ sensitrice facultas, contrario mo-
 do impeditur, cum à sensibus uelut alluione qua-
 dam cōmouetur. Sensus enim in stabili suo motu a-
 nimam sensitrice commouentes, nihil firmum ad
 ipsam perferunt: hoc est, quicquid animæ sensitiue
 uis percipit, opinabile, infirmaq; sciētie est, idcoq;
 infirmum ac inconstans, nisi à rationali parte diju-
 dicetur, confirmeturq;. Hanc perceptionum animi
 differēciam Plato intelligens, rerum intelligibiliū
 cognitionem menti tribuit, sensilium et opinabiliū
 animæ sensitiue. Quapropter errorem in se sensu-
 bus, ex propria illorū uis hinc liquet, nisi mēs ipsos
 corrigit. Nam et uisus bipedalē esse solem putat,
 nisi mens id aliter dijudicasset, ueramq; illius magni-
 tudinem intellexisset: id quod tum hic Plato, tum in
 Phedone latius confirmat. At huic rei obiectio
 quedam occurrit, quo nam modo sensus, atq; adeo
 sensitiua uis animi, memem impedire: aut mens ipsa,
 diuersa cum sit à corpore, peccare illius causa pos-
 sit. Cui certē, ut cum Plotino in lib. Quid homo et
 quid animal, respondeamus: Cum duplex homo esse
 dicatur, alter uerus et rationalis, qui mens ipsa uo-
 catur, alter expertis rationis, et bruto similis, qui ani-
 ma

ma sentiens, peccandi sanè, ac perturbationum initium in sensitrice anima est, consensus autem in mente. ab illa enim ad hanc uita ipsa, perturbationesq; proueniunt: rationalis autem ex se non peccat, sed propter assensum duntaxat, quo animae irrationali obsequitur. Quia ergo corporeas illecebras mens non cohibet, quod ipsius officium est, sed illis paret, et quasi uicta dat manus, peccat, uitijq; contaminatur. Vnde fit, ut rationalis anima, quando irrationali est adiuncta, propter sympathiam solum ab ea 10 patiatur. Patientem siquidem à corpore anima rationis experte, rationalis quoq; simul patitur, non autem corporis passionibus submittitur. est enim ut forma quedam, sic anima in corpore. Hoc ipsum confirmat Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorum, cum affectiones omnes à corpore ad animum peruenire dicit, ipsum uero ex se minime pati, sed quatenus corpori adhaeret. Atqui hoc Plato nobis significare in his uerbis uult: Et circuitum quidem eiusdem, similisq; naturae in ipso cursu prorsus impediunt, alterius uero circuitum distrahūt.) Hoc est, magna rerum corporearum accessio mensis motum simplicem, et eiusdem naturae impedit, cum rectè illam suo munere uti non finit: et sensus etiam, qui ob uarietatem alterius naturae sunt, distrahit, adeo ut turbatis sensibus, mens ipsa, totumq; animal perturbetur. Vsq; adeo ut dupla illa, et tripla utrinq; interposita interualla tria, medietatesq; et colligationes sesquialtera, sesquialtera ratione intericiat.) Hinc poteris manifestè cognoscere, et 30 nimiam harmoniam non esse, sed ratione quadam compositam ex harmonicis proportionibus dici. Nam cum animā, eiusq; uires magna inter se proportio-

ne deumctas, perturbationibus corporeis commoueri Plato dicat, illas inquit duas numerorum series in triagulis superius explicatas, medietatumq; ipsarū colligationem perturbari, ita ut anima suis officijs fungi rectè non ualeat. Qua de re cum multa supra dixerimus, proportionessq; ipsas animi uirium explicuerimus: nunc qua ratione uires eiusdem proportionem inter se cōnectamur, iterum dicamus, quando id numeris solū antea demonstrauimus: postea uero, cur uires easdem perturbari dicat, docebimus, et ultimò uerba Platonis interpretabimur. Animae substantia una est, uariasq; uires habet, quae numerorum musicorū proportionibus designantur, propter magnam earum consensionem. illas tamen uires Deus opifex ita disposuit, et colligauit, ut dissolui possent à nemine, nisi ab eo qui easdem cōiunxit, ut antea diximus. Cum ergo una sit à Deo anima constituta, uiresq; habeat diuersas, huiusmodi proportionem intra se complectitur, ut Plutarchus in Quaest. Platonis annotat: ut quoniā eius tres partes sunt, quorum prima, id est ratio, est in cerebro, secunda, hoc est ira in pectore, tertia, uidelicet appetitus in uentre, harmonica illa inter se proportio deumctantur. Nam ut proportio harmonica inter tres terminos cernitur, ita anima tres corporis partes sortitur: cerebrum, pectus, uenter. Item tres sunt harmonicae proportionis extremitates, quibus eadē tres animi partes respondēt: ὑπέρτατα, id est altissima: μέση, id est media: et ὑσώτερη, id est infima. His tribus tres hae animae partes accommodantur: rationalis quidem primo, hoc est hypatē, quoniam uirium omnium suprema est: appetitoria, utpote infima, neatē: media inter eas duas irascibilis, cum Mese conuenit.



Igitur inter illas tres animi partes proportio musica seruatur, quae omnes copulat, ac unum quiddā efficit. Nam ut primus terminus ad medium, et medius ad ultimum se habet: ita rursus ultimus ad primum, hoc est inter hypaten et mesen proportio est diatessaron siue sesquitercia, quae eadem inter rationem et iram ponitur. Item inter hypaten et neaten, seu inter rationem et appetitum, est diapason, hoc est dupla proportio: demum inter mesen et neaten, est diapente, id est sesquialtera. Quare proportionibus his medius terminus cum duobus extre- 30 mis connectitur, et duo extrema inter se. Nam quatenus ratio imperat irae, diatessaron dicitur: quatenus autem ira imperat cupiditati, est diapente. Quatenus ergo ratio appetitui praestit et hic rursus ira subijcitur, diapason fit, hoc est dupla proportio: si-

quidem bis imperatur, primò à ratione, deinde ab irascibili. Ecce igitur sesquialtera proportionem in diapente, sesquitercia in diatessaron, et dupla in diapason constituta, animi substantiam complent. Nam rationem in summo, appetitum in infimo, mediam inter utranq; iram habent. Hac itaq; ratione partes animi inter se colligatae, unum quendam in motu suo cursum orbicularem efficiunt, in eoq; magnam diuersarum uirium proportionem seruant: ut latius Plutarchus in eo libro, quem nos citauimus, testatur. Quando igitur animi uires debitam proportionem non seruant, sed ratio, quae imperare debuisse, subijcitur, aut appetitus iram superat: tota ne anima constitutio perturbatur: tunc demum proportionem ille triplē, duplē, colligationesq; numerorum supra traditae torquentur, commouenturq;. Nec enim

enim aliud est proportionem illas non seruari, quam animi vires suo munere minime fungi, nec debita ministeria exercere. Vnde Socrates in Phædro, animam aurige comparans, vires eiusdem duobus equis similes facit, ipsosque tumultuari inter se dicit: uincique nonnunquam præstantiorem equum, id est rationem, à deteriori, siue appetitu. Ergo ut Platonis uerba interpretemur, ad eò turbati animi statum externis corporeis; affectionibus ait, ut tria illa interualla numerorum, duplam triplamque proportionem habentium, ac tota denum animi compositio, quam nisi solus eius opifex Deus dissoluere possit, perturbentur, viresque animi omnes suis officiis abutantur. Omni reuolutionis genere torquant, omnesque anfractus et uarietates orbium, quotcumque contingere queunt, inducant, ita ut ambitus ipsi uix sibi inuicem connexi, ferantur quidem, sed sine ratione ferantur, tum contra, tum ex obliquo, tum resupina quadam dispositione.) Easdem animi perturbationes latius demonstrat Plato, cum duplicem illum motum commoueri, nullaque ratione cieri dicit. Nam cum mens ipsa proprio suo motu simplici, ac eiusdem nature moueri deberet, itemque sensitiua anima motu alterius impellenda foret, uariè quidem ambæ perturbantur, nec certam statutamque motus sui rationem seruant, sed quasi fortuito feruntur tum contrario tum obliquo, tum etiam supino motu. Itaque contra fient animi motus, si contraria quis iudicet, quam uere sunt: ut quod mundus eternus sit, et idem genitus, et quod anima immortalis sit, et morti obnoxia. Item obliquus motus appellatur, cum falsa pro ueris assumimus, illisque assenimur: ut cælum stare, terram moueri. Denique supinus est, cum absurda bonis anteponimus: ut quod uirtus sit uituperanda, et uitium laudandum. Cum ergo animus perturbatus motus suos proprios, ac suis uiribus accommodatos nequit conficere, triplici motu illo turbulento, et à ratione alieno mouetur: nimirum contrario, obliquo, et supino. Quapropter nihil aliud per triplicem illum motum significare nobis Plato uult, quam perturbatum animum non modo naturalem uirium suarum cursum non tenere, nec debita ratione uiribus suis fungi, sed etiam contrario motu impelli, ac sine ratione uagari, id quod similitudine quadam docet his uerbis: Ceu si quis caput pro pedibus humi figat, pedes uero pro capite tollat in altum, tunc arbitror tam eius qui sic affectus est, quam eorum qui spectant, dextra partes sinistrae, et contra sinistra dextrae sibi inuicem esse uidentur.) id est, Quem admodum qui corpore inuerso sunt, dum caput humi figunt, dextra sinistra putant esse, omniaque contra iudicant, quam uere sunt: ita qui perturbato sunt animo, erroribus multis falluntur, nihilque uere discernunt. Ut si quis odio flagret aduersus aliquem, omnia in illo mala esse putat, quamuis sint bona: aut si amore sit captus, etiam rem turpissimam pulchram existimat. Vnde in hac comparatione omnes

perturbati animi errores facile possumus intelligere. Nam per caput inuersum, terraque defixum, rationem oppressam cogitamus: per pedes autem sursum elatos, iram, cupiditatem, ceteraque inferiores animi vires ulgere, ita ut cum hæc illi subiectæ esse debuissent, illaque his imperare, contra tamē fiat. siquidem ratio terræ infigitur, id est corporeis terrenisque rebus sese contaminat, uitisque appetitui ac affectionibus submittitur. Iam uero ut caput inuersum sinistra capit pro dextris, et hæc rursus pro illis: ita ratio perturbata, et quasi ad terram depressa, motum alterius nature, qui sinister est, ac sensitiuæ anime proprius, pro motu nature eiusdem, qui ad illam pertinet, dexterque est, capit. Quæ de causa mens ratioque fallitur, et quasi demens sit, cum suo munere recte non fungatur, sed à corpore uelut in tyrannide opprimatur. Atqui hoc ipsum in his uerbis Plato aperte significat. Itaque cum hoc ipsum, ceteraque huiusmodi animi quoque ambitus maxime patiuntur, si tunc extrinsecum aliquid eiusdem ipsius, uel alterius generis incidere, falso quid idem alicui sit, quid uel alteri ab aliquo, iudicant. Id est, Cum animus perturbatus dextra sine bona, sinistra, hoc est mala cogitat esse, nec eius proprius motus certa ratione sit, tunc res externas diiudicare nequit: nec quid sit simplex et eiusdem nature, nec quid multiplex et alterius, potest dignoscere, sed falso de illis sentit, falsaque pro ueris capit ac confundit: quod quia sine ratione, consilioque recto sit, demens tunc est. Neque ullus princeps et dux in eis tunc est circuitus.) Hoc est, nullum habet certum motus principium, sed omnia confunduntur: dominaque ipsa ratio, quæ motrix totius animalis est, subiicitur, sensusque dominamur, ex quo summam animi perturbationem cognoscere possis. Cumque extra positi sensus pulsauerint animam uehementius, totamque eam possederint, tunc illi subiugati quidem et seruientes dominari uidentur.) Quæ ratione sensus ab externis rebus perturbentur, in his docet, quando affectionum animi causas reddit. Nam sensus quasi nuncius ad externas res mittuntur ab animo: quibus perceptis, ad illum, ueluti allato nuncio, redeunt: id quod cum perceptione fit. siquidem sensus ab obiectis patiuntur, quatenus illa percipiunt: itemque animus à rerum perceptione patitur, quatenus res comprehendit. Vnde patiens intellectus ab Aristotele uocatur, quod in rebus percipiendis quasi afficiatur. Ergo propter sensum affectiones animus sepe afficitur, patiturque à rebus externis. nam sensum cupiditas sequitur, aut odium: quibus si animus non imperet, præceps fertur, perturbationemque comotus sui compos non est. Quin etiam sensus ipsi cum harum perturbationum extrinsecus aduenientium cause principiaque sint, ipsi quidem animum non superant, ut Plato inquit, quamuis superare uideantur: sed superantur potius ab externis rebus, usque iam perturbatis, animus uti illis nequit. sensitiua enim anima ab obiectis extrinsecis commouetur

commouetur per sensus, ipsa uero ratione ex se non superat: quia mortalis pars immortalem commouere non potest. Videtur tamen illa hanc superare; quod sympathia quadam mens afficiatur, uitiatque sensitricae facultate, sensibus recte uti nequeat. Itaque sensitua anima ex sua natura perturbatur, quia est affectionibus obnoxia: ratio uero ab illa, quoniam eidem iam perturbata assensitur. Atque hoc modo omnes animi affectionum formae gignuntur, ut latius postea dicitur. Quas ob res ab initio anima, cum mortalis corporis uinculis includitur, amens efficitur. Hec est totius animorum generationis conclusio. nam cum Deus Plato primò induxisset animas omnes simul creatas, deindeque diis iunioribus eas tradens, iubentemque partem mortalem immortalis attexere, immortalis mortalisque partis connexionem descripsit, naturamque utriusque ostendit, demum, quid ab alterutra proveniret ad alteram, docuit, cum ab immortalis parte intelligentiam, scientiam, diuinorum contemplationem oriri dixit: à mortali uero perturbationes, errores, uita, opiniones falsas, et dissidia. Unde fit, ut cum hi duo animi motus contrarij sint, interdum ex connexionione animae cum corpore nascamur, tunc primum anima cõs, id est sine mente illa pristina, quam in primo uehiculo habebat, efficiatur, et ex ea corporis connexionione perturbationum omnium originem assequatur. Nam cum mentis à Deo habeamus, sentiemus uero animam à corpore animato, atque ab illa recta ratio, ab hac perturbationes omnes oriuntur: fit, ut ingrediente corpore anima, illique copulata, errores perturbationesque corporeas sequatur, nec tam recte sua ui uti possit, quam si à corporeis uinculis libera esset: ideoque oppresso corpore, magis animus uiuit, ac uiget: uigente autem illo, deprimitur. Quam ob causam, mortem corporis expectandam esse philosopho, iubet Socrates in Phaedone, ut anima comodius uiuat. Quo nomine Plato primum inquit animae demeriam, ex qua cunctae affectiones oriuntur, connexionem ipsius cum corpore fuisse. Quod etiam Plotinus in lib. de Animis descensum in corpus, et Porphyrius de Abstinentia animalium, latius demonstrant. At postquam nutritionis et augmenti riuus lenius minusque fluit, animaeque circuitus tranquilliore motu iter suum peragunt. Eandem causam originis affectionum animae accidentium confirmat, quod idem animus propter illam cum corpore connexionem iam inde ab initio subiici perturbationibus incœperit. Nam principio propter corporis imbecillitatem in pueris quasi confopitus est, nullamque rationem habere uidetur: deinde etate uigens, paulatim sese ipse explicat, donec omnem suam uim, confirmato iam corporis statu, ostendit. Multum enim confert corporis constitutio, temperatioque, ad animi promptitudinem: siquidem pueri, rudique corpore constantes homines, minus uigens animo, imò nullam ferè rationem habere sepe uidentur. Ex quo intelligimus, animam corpoream

concretionem sequi, omnemque suam imbecillitatem à corpore habere: quando eadem semper illius essentia est, nec intensionem, remissionem ne recipit. Quamobrem et illi quorum corpus indies incrementa suscipit, propter conuinam materiae accessionem ex cibi alimento, minus aptè ratione utuntur, quia sensuum organa inepta sunt ad sensus efficiendos: nec memoria propter nimium humorem retinere quicquam potest, aut sensus recte aliquid comprehendere, aut ratio diiudicare. At cum adulta sunt homines etate, qualitatumque, quibus corpus constat, temperatio est facta, ratione melius utuntur, sapientioresque etate fiunt. Itaque fluxus iste, siue *πόσις*, de quo Plato loquitur, naturalem materiae accessionem ex cibo proueniensem significat. Nam substantia sumpti cibi in corpoream molem mutatur, atque ita incrementum hominis corpore usque ad etatem adultam, *ἡρώπης*, id est alimenti perpetua fit accessio, quae animi uires impedit, et quasi inundatione quadam submergit: quemadmodum *ἵψ*, qui multo cibo potius grauat, hebetiori sunt ingenio. Igitur quandiu accessio hae materiae ad corpoream hominis molem fit, animi cuiusque uirium imbecillitas oritur: cessante uero illa, hominemque in etate adulta constituto, tranquillitas eiusmodi perturbationum sequitur, comodeque animus suis uiribus fungitur, ipsiusque motus tranquille, debitaque ratione fiunt: nec illi potest externa accessio ciborum impedimento esse, si appetitus uelit cohibere. Atque hoc Plato significare nobis in illis uerbis uult. ait enim, confirmato iam corporis humani statu, animi motus recte fieri, nullisque commotionibus externis perturbari: sed pacatam, tranquillam ab affectionibus, sapientem denique uitam agere, dummodo uelit. nam si se corporis uoluptatibus tradat, non minus perturbabitur, quam antea. Quod si quis educationi, rectaeque nutritioni, disciplinam quoque, et eruditionem conuenientem adiunxerit. Quamquam etatis incrementum corporeas commotiones ad animum peruenientes tollat, multum tamen etiam educationis, institutionisque efficit. Nam si disciplinarum cognitione, morumque recta institutione informetur animus, magnos effugiet etatis suae adhuc imbecillis morbos, ac ignorantiam, inscitiamque liberabitur: quibus esset profecto astrictus, antequam ad adultam etatem perueniret. Unde magni esse momenti rectam institutionem Plato docet, quando animus recte institutus, uel naturae imbecillitatem uincit: contra uero mala institutio non modo corporeas affectiones non tollit, sed auget etiam, mancumque reddit hominem ad reliquum uitae cursum peragendum. Atque haec satis de perturbationum animi causis dicta sunt: latius enim in sequentibus ea de re dicemus. Hinc tamen magnam Platonis prudentiam considera, quo pacto semper rectam institutionem nobis commendat, et in media naturalium rerum tractione ad homines informandos bonis moribus digrediat, ut non modo ueram doctrinae cognitionem assequatur,

q sed

sed mores etiam suos rectis consilijs possint componere. Hic etenim Platonis finis est in plerisque Dialogis, ut Proclus, Platoniciq; alij docent, essentie sue cognitionem cuiq; commendare: tum docere, quare ratione recte, bonisq; moribus possit uiuere.

Sed hæc quidem post ortum contingunt. Nunc uerò de prima hominis cōpositione exactius differendū, ac probabili ratione monstrandum, qua causa & prouidentia deorum singula mēbra corporis ad singula animæ officia sint accommodata. Principiō dij figuram capitis ad rotunditatem mundi finxere, in eoq; duos illos animæ diuinos circuitus statuerunt. Est autem caput membrum corporis diuinissimum, reliquorumq; membrorum princeps: cui totum corpus cōnexum dij subesse & parere iusserunt. Excogitauerūt enim, motuū omniū quocumq; esse queant, compos id fore. Cum uerò inæqualis & aspera, ac partim quidem accliuīs, partim decliuīs terra sit, si humi caput serperet, perq; terræ superficiem uolueretur, hos anfractus sine offensione trāsire non posset. Quod sanè malum ut uitaretur, procerū hunc habitum corporis ad facilitiorē progressum dij pro uehiculo capiti subiecerunt. Corpori præterea quatuor in longum porrecta & flexibilia mēbra annexuerunt, quibus facile diuina prouidentia moueretur: apprehenderet uidelicet obiecta quæq; staret, & sisteret, perq; omnia graderetur caput supernè subsistens diuinissimi sacratissimiq; habitaculum. Hanc igitur ob causam nobis crura manusq; dedere. Anteriores autē partes posterioribus præstantiores, & ad imperandum aptiores arbitrati, in anteriorē quoq; partē moueri nos ut plurimū uoluerunt. Oportebat porrò anteriora discreta & dissimilia esse. Quapropter primū globo capitis faciem adiecere, facieiq; instrumenta quæ ad minicularētur omni animæ prouidentia, assignauerunt, decreueruntq; naturale hominis imperium in hac parte anteriori prioriq; consistere.

Constitutio iam animalis, consequens est, ut singulas illius partes explicemus: id quod hoc loco fusiuse tractatur. Sed cum de animarum informatione, institutioneq; morum mentionem Plato fecisset, consensu

neum uidebatur tractationi huic, ut de moribus discereret, deq; affectuum curatione. Sed cum eius rei tractatio ad moralem philosophiam pertineat, institutumq; huius libri sit, naturalem scienciam tradere, in alium locum prætermittēdam illam esse dicit. Quo nomine hæc, inquit, quæ de animarum institutione diximus, post ortum cōtingunt: id est, post tractationem de animi generatione dicenda sunt. prius enim animi generatio, perturbationumq; origo tradenda est, quàm institutionem, remediaq; tradamus. Igitur omnis nunc ijs quæ ad moralem philosophiā spectant, ad animæ tractationem redit, uiresq; singulas ipsius docet, cum ait, Nunc uerò de prima hominis generatione exactius differendum.) Id est, Quo nam pacto anima componeretur, antea diximus: nunc exactius, qua ratione ijs partibus utatur, aut quæ partes illæ sint, docebimus. Quare Platonice philosophiæ in rerum naturalium productione ordo is est, ut omnium rerum generationem ad artificis Dei prouidentiam, quasi ad primam causam, & primā naturā, ut uocat Aristoteles, reducat: ideoq; bastenus Deum cunctorū auctorem præposuit, deinde iuniores deos ueluti causas secundas & instrumentarias adiecit. Itaq; cum has ipsas causas rerum effectuarum præponat, animarum generationē ab illis perfectam, absolutamq; persequitur, singulasq; animi uires, partesq; totius animalis exponit. Quæ de causa dicendū, inquit, est in sequentibus. de singulis animæ corporisq; partibus, quo pacto ab efficiētib; illis causis, quas supra memorauimus, generate sint. In quo, ait, nihil pro certo affirmabimus, sed probabilitatem solum sequemur, quæ in naturalium rerum explicatione potissimum spectanda est, ut antea diximus. Quare autias naī neorōias τὰ πρὸ τῶν φύσεως illas efficiēdi res naturales, ortumq; rerum producendi uocat. nam ut rerum productarū perfectionem magis ostendat, illarum generationem ad prouidentiam Dei reducit. create siquidem res effectioris perfectionem, quam maxime possunt, imitantur: & quo similiores illi sunt, eo sunt perfectiores.

Principiō dij figuram capitis ad rotunditatem mundi finxere, duosq; illos in eo animæ circuitus statuerunt.) Quando dij iuniores totū animal, nimirū hominē, fabricati sunt, singulasq; illius partes miro consilio effecere, à capite, tanquam corporis præstantissima parte auspiciatur, generationem quæ illius docet. Quæ in re exemplarem causam, & efficiētem adiungit, quemadmodum in omnibus bastenus fecit. Igitur totum, inquit, hominem ita dij iuniores res fecere, ut in eo sui auctoris ordinē sequuti sint. Nam ut ijdem ad imaginem summi Dei sunt geniti, ita quoq; ipsi eundem illum tanquam exemplar sibi proponentes, hominem efficiunt. Et ut Deus uniuersitatem rotundā, in orbemq; mobilem construxit, duplicemq; illi motum tribuit, unum eiusdem nature, atq; alterum alterius: itemq; illum simplicem, ac mentis proprium fecit, hunc autem in sepiē alios motus

motus diuifum, fenfibusq; fimilē: fic etiam dij iuniores hominem ad huius mundi archetypi imaginem, quafi paruum mundum, quem *μικρονόμον* Græci uocant, effœcere, duplicemq; ambitum illum capiti alligarunt, uniuersi mundi figuram imitati. Quapropter qui nam duo illi ambitus diuini ſint à Platone hic traditi, aut quo pacto rotundam mundi figuram homo imitetur, doceamus. Duplex ille diuinus ambitus homini tributus, conuerſionem animi ſignificat, quam *μεντις*, animæq; ſentienciæ eſſe diximus. Nam ut primum mobile uno ſemper motu cietur, reliquosq; ſeptem orbes impellit: ita mens uno tantum circulari, reflexoq; motu mouetur, ſenſusq; omnes mouet. Atque hic eſt eiufdem naturæ motus, quem motui octauæ cœli tribuimus. Alter autem ſenſitiuæ animæ proprius eſt, & in uarias partes diuiditur, qui alterius naturæ dicitur, quemadmodum planetarum omnium motus propter diuerſitatem ſuorum curſuum eodem nomine appellatur. Ergo duplex iſte motus nihil aliud eſt, quam duplex animi facultas, ſenſitiua & rationalis. Præterea motus iſti in orbem impelli dicuntur, quemadmodum uniuerſitatis conuerſio: quia totius animæ uis ac motus, orbicularis à Platone dicitur. Hoc modo etiam diuini illi duo ambitus intra caput hominis illigari, moueriq; in orbem dicuntur, quod in uno capitis ambitu rationis, ſenſuumq; omnium radices ſint, ut Galenus in lib. de Vſu partium docet. Quod ſi ergo ueram capitis ſimilitudinem cum cœlo uolumus oſtendere, ſenſus omnes utriuſq; motus animi proponantur, iſdeq; cum cœli motib; cōparemur. Itaq; octauo cœlo ſeu *ὀκταυτῆ*, ut uocant, mens & intelligentia reſpondet, quia ſimplex, cōſtansq; illius motus eſt, & reliquos ſenſus mouet, ut octauum cœlū errantes ſtellas. Saturno contemplandi uim tribuamus, Ioui ciuiliſ facultatis perceptionem, Marti iram, Mercurio facultatem eloquendi, Veneri cupiditatem, ſenſitiuam Soli, Lunæ uim gignendi. Hæ autem omnes uires recte ijs cœli motibus ſimilitudine quadam comparantur, quod ſingula illorum ſidera ſimiles uires habent, ut Astrologi aſſerunt. Nam Saturno, qui atram bilem gignit, contemplandi uis tribuitur: quoniam atra bilis homines ad contemplationem excitat. Iupiter ſanguineæ naturæ, communitatem inter homines conciliat, ideoq; ad ciuilem facultatem refertur. Mercurius humectus, eloquendi facultati accommodatur. Venus humida & frigida, cupiditatem indicat: humor enim, & frigus, appetitum excitant. Sol calidus & humidus, ſenſibili facultati comparatur. Luna demum humida & frigida, gignendi uim ſignificat: eſt enim ut mater humidorum omnium. Ecce igitur uirium omnium animi cum cœli orbibus ſimilitudo. nam reliquam partem hominis terrenā, hoc eſt corpus, inferiori naturæ, quæ ſub luna eſt, mutabili & caduce, comparare poſſumus. Corpus ſiquidem ex quatuor elementis, quæ ſub luna ſunt, componitur: idemq; perpetua mutatione, alteratione tū

materiæ ex ciborum alimento accedentis, tum morborū, tum deniq; ætatis occidentis uariatur, ut mundus hic inferior. At cur nam caput rotundum eſſe dixit? Certè non modò quia figuræ rotundæ ſit, ſed quia uires omnes animi, quæ circulari motu cietur, à capite ad reliqua membra perueniant. in eo enim ratio, memoria, imaginatio, cæterorumq; ſenſuum radices ſunt: id quod ex ipſis ſenſuum organis, hoc eſt neruis, ab uno cerebro naſcētibus, colligere poſſumus. Adde quod uniuerſa ſtructura corporis rotunditatem maximè imitatur. nam et totum corpus hominis rotundum eſt: quod facile apparet, ſi homo (ut Vitruuius lib. 5. docet) ſupinus, expanſis manibus ac pedibus, collocetur, & ab eius umbilico, qui medium corporis eſt, circumducto circino, circulus deſcribatur, cuius ambitus extremas capitis, digitorum, manuum ac pedum partes attingat. Quinetiam multæ quoq; aliæ partes rotunditatè imitantur: ut oculi, uenter, cor, tota deniq; corporis compositio. Sed de his quidem hætenus, ad reliqua progrediamur. Hic tamen conſidera, Commentarios Procli huc uſq; ſolum Platonem interpretari. nam quæ deinceps ſequuntur, à nullo ſunt ſcriptore explicata. Eſt autem caput membrum corporis diuiſiſſimum, reliquorumq; membrorum princeps, cui totum corpus connexum dij ſubefſe, & parère iuſſerunt. Quemadmodum animi partium mens eſt præſtantiſſima, ita potiſſimum, ſupremumq; locum occupauit, hoc eſt caput. Idem enim in altiffima totius corporis parte poſitum, quaſi gubernator reliquarum partium eſt. quod cum mentis ſedes, ac membrorum aliorum ſit præſtantiſſimum, in primis à Platone hic ponitur, cuiusq; uſus declaratur. Quo nomine pars, inquit, illa, quam *νεφελῆ*, id eſt caput uocant, diuiſiſſima eſt, & omnium corporis partium domina, quia rationalis animæ ſedes in ea collocatur. Quæ cum capite ut inſtrumento ad reliquū corpus impellendū utatur, ipſum etiam caput præſtantiſſimum erit. nam & cerebrum neruorum omnium, qui motionis animalium organa ſunt, radices in ſe continet. Vnde moto illo imaginatione quadam, nerui mouentur: ab his uerò muſculi, ab ijs demum totum animal. Iam uerò caput (ut Ariſtoteles lib. 1. de Partibus animalium, & Galenus de Vſu partium deſcribunt) in tres partes diſtinguitur: in anteriorem, quæ ſinciput: poſteriore, quæ occiput, cui cerebrū ſubjicitur: & mediam inter duas illas, quæ uertex dicitur. In priori quidem communem ſenſum, phantaſiamq; ponunt: in medio, eſtimatricem facultatem: in poſteriori, memoriam, ac rationalem animi uim. Quo ſit, ut ſpiritu cerebri neruos inſtigante, totum corpus moueatur. Atq; ea de cauſa Galenus lib. 8. de Vſu part. ſenſus ac motus humani corporis initium cerebrum uocat. Quamuis Ariſtoteles in lib. de Animalium motu, principium illud in corde ponat, quod corporis medium ſit, pariq; ratione partes omnes impellat. Hanc igitur ob cauſam imperare in-

quit caput reliquis corporis partibus, illiq; has esse subiectas, quòd idem motionis, sensuumq; omnium origo sit. Iam uerò iuniores dij corpus, ut ait, capiti subicere, quia intelligebāt, idem ipsum motuum omnium corporis particeps futurum: hoc est, quia motus omnes corporis siue ad latera, siue sursum ac deorsum, siue in anteriorem posteriorem uel partem fiant, ex ipso capite initium habent, ideoq; particeps eorundem uocatur. Adde quod potissima animi uis, à qua omnes motuum differentie proueniunt, in capite ipso est. Ex quo sequitur, motionū omnium initium idem esse. Cum uerò inæqualis et aspera, ac partim quidem accliuus, partim decliuus terra sit.) Causam, cur caput supremam corporis partem obtineat, reddit. Ait enim, propterea subiectum esse capiti corpus, ut hoc tanquam uehiculū illud sustentaret, ne si eo careret, per terram uolutaretur, progrediq; non posset, cum in uarias terre cauitates eminentiaq; loca perueniret. Itaq; ut mentis uehiculum est caput, ita corpus est capitis: id quod Galenus lib. 2. de Vsu part. confirmat. Atqui hæc Platonis ratio probabilis solū est, ut rationes etiam Galeni de Vsu partium: nec enim ueram, exactamq; causam locationis membrorum reddere possunt, sed adumbratā solum: cum uerissima ratio omnium sit, auctoris Dei uoluntas, et in homine efficiendo consilium. Corpori præterea quatuor in longum porrecta et flexibilia membra annexerūt, quibus facile diuina prouidentia moueretur.) Explicato motionis animalū principio, instrumēta ipsa Plato nos docet. Eadem autem quatuor esse dicit, bina scilicet brachia, binaq; crura, quibus motionum omnium uarietas perficitur. Quæ cum propter facilitatem, agilitatemq; motus curuari, apprehendereq; quiduis possint, *ἐν τῇ καὶ παύση καὶ ἀλᾶ*, id est apprehensoria, curuatiliaq; membra nominat. Nam et brachia facile curuari, cōprehendereq; aliquid possunt: eodemq; modo crura, manus ac pedes, quæ Galeno auctore, eandem ferè uim habent: pesq; manum maxime imitatur, apprehendēdo, ac sese flectendo. Quapropter munus quidem manuum brachiorumq; est, apprehendere ac retinere: pedum uerò, et crurum, ambulare. Sed ut ambulatio firma sit, ne corpus uacillet, hoc modo fieri à Galeno dicitur, ut firmato in terram altero pede, alter circumferatur. Horum igitur quatuor membrorum officia Plato describit, cum ait, Quatuor illa membra corpori data esse, ut caput moueri, actionesq; mentis exerceri possent. siue enim quicquam apprehendere, siue progredi, siue tangere, siue deniq; aliud huiusmodi agere animus uelit, necesse est brachiorū, crurumq; ministerio ad id uti. Quo nomine duo hæc officia cōprehendendi, insistentiq; de quibus Plato loquitur, partim manibus, partimq; pedibus tribuenda sunt. Ergo ut caput à corpore commodius deuehat, pedes corpus uehūt, atq; ita mentis actiones instrumēto corporis peraguntur. Anteriores autē

partes posterioribus præstantiores, et ad imperandum aptiores arbitrati, in anteriorem quoque partem moueri nos ut plurimū uoluerunt.) Quæmodum cum de cæli motu loqueretur Plato, motum anteriorem præstantiorem reliquis esse dixit, eumq; cælo tribuit, ut ab ortu in occasum moueretur: eodem quoq; modo hominem, qui ad imaginem uniuersi factus dicitur, in anticam partem incedere nunc inquit. Nam cum sex sint motuū differentie, de quibus diximus frequenter, duasq; ex illis homo ad ingrediendum habeat potissimum, anteriorem uidelicet, et posteriorem, præstantiorem ait motum, hoc est in partem anteriorem, homini tributum esse. Vnde pleraq; corporis membra in anticam partem mouentur, ac flectuntur: ut brachia, caput, spina, quæuis flecti etiam in partem posteriorem possunt. quo fit, ut solus homo ex omni animantium genere, rectus stare, sedereq; ualeat. Cum demū anterior motus dignior reliquis omnibus sit, et ab alijs distinctus est, et homini potissimum tributus, ut his uerbis Plato inquit: Oportebat porro anteriora discretæ et dissimilia esse.) id est, motum partis anterioris, utpote dissimilem, et præstantiorem alijs, dij iuniores distinxere, hominēq; potissimū tribuere. In qua itidē ratione, ut in reliquis omnibus, probabilitatem solum require, qua contentū esse se Plato dixit, firmiores enim huius rei causas reddere facile non est. Quapropter primum globo capitis faciem adiecerat.) Ex omnibus corporis partibus nulla magis declarat animi motus, quàm hominis facies. primò enim per oculos animi affectiones clarissime indicantur: deinde ipsa oris, nasi, frontis, ac totius faciei figura, et uultus, diuersos mores, ut Physiognomi tradunt, declarant. Quapropter uelut animi indicem illam in parte anteriori Deus posuit, utincipiti esset subiecta. ea siquidem facies dicitur, quæ caluæ subiecta est: cuius partes sunt, frons, oculi, cilia, supercilia, nasus, maxilla, tempora, labia, os, mentū. In hac ergo, præter id quod animi motiones manifestè indicantur, pleriq; sensus collocati sunt. In oculis enim uisus, in naso olfactus, in ore gustus ac sermo fiūt. Quæ de causa in eadem, inquit, facie instrumenta sunt à dijs facta, ad omnem animi prouidentiam: id est, ut in eadem animus uires omnes suas ostendat. nulla enim corporis pars est, in qua plures sensus edātur, quàm in facie. cuius rei causa est, ut Galenus lib. 11. de Vsu partium tradit, quòd magna est cerebri cū illa cōsensio: et cum ab hoc sensuum omnium uires profisciscantur, ad faciem, quæ proxima est, continuò deferuntur.

Sed ex omnibus faciei partibus primi luciferi oculorum orbes coruscant, hac causa dati. Ignis certè illius qui nō urit quidem, sed illuminando suauiter diem inuehit mundo, participes oculorum orbes dij fecerūt, Intimū siquidem

dem nostri corporis ignem huius ignis germanum syncerumque per oculos emanare uoluerunt, in quibus lenis congestusque ubique ignis huiusmodi sit: sed per eorum duntaxat solidiorem angustiamque medietatem ignis purior euolet, crassior uero cohibeatur. Itaque diurnum lumen applicat se uisus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atque 10 commixta, quod oculorum acies diriguntur, ibi in unius iam domestici corporis coherent speciem, ubicunque uidelicet tam intimi quam externi luminis sit concursus. Totum igitur hoc propter similitudinem passionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit, uel ipsum ab alio tangitur, motum huiusmodi ad corpus omne, perque id ad animam 20 usque diffundens sensum efficit, qui uisus uocatur. At postquam in noctem discesserit cognatus ignis, uisionis radius euanescit. Nam in aerem sibi dissimilem erumpens permutatur atque extinguitur, cum nullam habeat cum proximo aere, utpote ignis splendore carente, naturae communionem. Idcirco uidere desinit, somnumque inducit. Ete 30 nim salubre palpebrarum tegmen deus oculis machinati sunt: quibus obductis, uis illa ignis intimi conuentia tegminis coercetur, compressaque interiores motus perfundit & mulcet, quibus relaxatis atque mollitis quies oritur. Si profundus ob multam quietem motum nos occupat sopor, exigua sequuntur insomnia. Sin uehementiores aliqui 40 motus quasi uigiliarum reliquiae relictis sint, quales quidem & qualibus ex locis haustae reliquiae sunt, talia somniorum simulacra nascuntur, eorumque nobis expergefactis restat memoria. At uero simulacrorum quae uel in speculis oboriuntur, uel in perspicua lenique cernuntur superficie, facilis assecutio est. Nam ex utriusque ignis tam intimi 50 quam extra positi comunionem, eiusque rursus concursu & congruentia, qui passim tergo lenique corpori accommodatus est, necessario haec omnia oriuntur, cum ignis oculorum cum eo igne qui est in conspectu effusus, circa lene nitidumque corpus sese confudit, Dexteram

uero uidentur quae laeva sunt, quia contrarijs partibus oculorum insolito more contrarias partes attingimus. Respondet autem dextera dexteris, laeva laeuis, quando commixtum lumen cum eo cui permiscetur, transilit. Id cum speculorum lenitas hinc illincque altitudinem assumpsit, & ita dextram oculorum partem in laeuam speculi, laeuamque in dextram detorsit. Quod si speculum ad uultus longitudinem conuertatur, uultum reddit resupinum, cum superior luminis pars ad inferiora, inferior uero ad superiora uertatur. Atque haec omnia ex eorum genere sunt, quae principales rerum adiuuant causas: quibus ut ministris utitur Deus ad optimi, quoad fieri potest, ideam perficiendam. Sed existimant plerique, non adminicula haec principalium causarum, sed has ipsas esse omnium causas, quae frigoris & caloris, rari & densi, ceterorumque similium naturam habeant, rationem uero mentemque nequaquam. Mentem enim a nulla re alia nisi ab anima possideri conuenit. haec uero aspectum effugit oculorum. Sed ignis, aqua, aer, ac terra corpora sunt, atque cernuntur. Oportet autem mentis & scientiae amatorem principales sapientis naturae causas quaerere: atque eas quae necessario ab alijs quidem mouentur, alia uero mouent, secundas causas arbitrari. Quocirca a nobis sic censeo faciendum, ut de utroque causarum genere differamus, separatim autem de his quae cum intelligentia effectrices sunt pulchrarum rerum atque bonarum: de istis rursus, quae uacantes prudentia, quodlibet passim sine ordine faciunt. Ac de secundis quidem causis oculorum ad eam uim quam habent conducentibus, satis esse dictum puto. Maximam uero opus cuius gratia utiliter nobis a Deo donati sunt, deinceps explicandum censeo. Rerum enim optimarum, ut arbitror, cognitionem nobis oculi attulerunt. Nam haec quae de mundo disputantur, nunquam inuenta essent, si neque sidera, neque sol, neque coelum suspici potuissent. Cognitionis uero diei ac noctis ab oculis orta fecit, ut dinumeratione quadam mensum

annorumq; ambitus metiremur, tempus cognosceremus, uniuersæ naturæ ordinem scrutaremur. Quibus ex rebus philosophiam adepti sumus: quo bono nihil unquam maius mortalium generi datum est deorū munere, neq; dabitur. Hoc igitur maximum oculorum beneficium esse dico. Minora alia prætereo. Quibus qui à philosophia alieni sunt, orbatī si querantur, frustra querentur. Nobis uerò asserendum est, ob hanc potissimum rationem Deum oculos genuisse, ut mentis circuitus qui in cœlo peragitur, intuiti, in usum redigamus nostræ mentis: cogitationisq; nostræ discurſiones illis cognatas, sed perturbatas quodammodo ad illorum temperiē reuocemus. Et cum illos agnouerimus, & recta ratione secundum naturam præditi singulorum ordinem perceperimus, conuersiones Dei, quæ sine ullo errore aguntur, imitemur, atq; ad earum exemplū discurſiones nostræ cogitationis uagas & erraticas componamus. Vocem quoque auditumq; eiusdē rei gratia Deos dedisse nobis existimo. Nam ad hæc ipsa sermo pertinet, plurimumq; conducit, omnisq; musicæ uocis usus harmoniæ gratia est tributus. Atqui & harmonia, quæ motiones habet animæ nostræ discurſionibus congruas atq; cognatas, hominī prudenter musis utenti non ad uoluptatem rationis expertem, ut nunc uidetur, est utilis: sed à Musis ideo data est, ut per eam dissonantem circuitum animæ componamus, & ad concentum sibi congruum redigamus. Rhythmus quoq; ad hoc uidetur esse tributus, ut habitum in nobis immoderatum, gratiaq; carentem, aptissimè temperemus.

Quoniam faciei mentionē Plato fecit, eandemq; sensuum organa pleraq; habere dixit, singulas eius partes persequitur: quando omnia latius in sequentibus dicenda sunt. primoq; situm oculorum, uisionisq; modum ostendit. Sed antequam ipsa Platonis uerba explicemus, situm oculorū in primis tradamus, deinde modum uisionis ex Platonis sententia exponemus. Oculos Plato inquit in sublimi faciei parte affixos esse tanquam duo membris luminaria, quibus cernere omnia possumus. Iidem autem bini sunt, & fronti subiunguntur, ambiūturq; undiquaq;

tum supercilijs & cilijs, tum naso. Qui, ut rerum imagines facilius percipiant, lucidi sunt, ac mobiles in orbem. Horū corpus quatuor ex humoribus constituitur, quos tenues quedam membranule distinguunt. prima & extrema omnium, quam palpebræ integunt, crassa & perspicua est, quæ cornea dicitur: hæc secundam, quæ tenuior est, uineaq; nominatur, ambit: tertia aranealis uocata, albugineū illum humorem continet, in quo imagines rerum imprimuntur. Tota autem humorum istorum constitutio rotundam efficit figuram, ut facilius oculi moueantur. Vtrunq; autem oculum duplex quidam neruis ex una cerebri anterioris parte ortus, & in duas partes bifurcatim porrectus amplectitur, qui opticus, quasi perspicax dicitur. Itaq; bini oculi, tanquam specula, formas concipiunt in humoribus illis pellucidis, nimirū albugineo & uitreo: conceptasq; per pupille foramina, ac duos illos neruos opticos, ad cerebrum deducunt: eoq; pacto fit uisio. Cum ergo hic sit oculorum situs, & usus breuiter explicatus, qua ratione uisio fiat uideamus. Plutarchus lib. 4. de Placit. philosoph. hanc fuisse Platonis de uisione sententiā dicit, ut oculi ex se naturā quandam lucidā habeant, ex qua radij uisui effluentes in externam aeris lucem, obiectæ rei imaginem adducant, & in animo representent, ex qua imaginum representatione fiat uisus. Sic enim ipse ait his uerbis: πλάτων κατὰ σωμαίους τὸ μὲν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ φῶς ἐπὶ πᾶσι ἀπορρέοντος εἰς τὸ ὁμογενὲς αἴμα, τὸ δὲ ἀπὸ τῶν σωματίων φέρομενός ἀπορρέει, τὸν δὲ μετὰ αἴμα συνδιδάχοντα ἔντα καὶ ὀτρυνόμενα, σπεινέειν τῷ πυρώδει τῆς ὀφθαλμοῦ, καὶ τῇ δὲ λέγεται πλατωνικὴ σωμαίους. Alcinoüs quoque de doctrina Platonis, eandem de uisu sententiā illius recitat. Itaq; cum facultas uisiva ab obiecto mouetur, tunc radij lucidi ab oculo effluentes, per lucem aeris sibi cognatam obiecti imaginem percipiunt, & ad oculum refrunt. Hanc quoq; sententiam Macrobius lib. 7. Saturnal. cap. 14. confirmans, Genuinum inquit lumen ē pupilla directā lineam micare, eumq; profluium oculorum, si lucem aeris externi offendant, directim per hanc pergere usq; ad obiectam rem. Vnde tria ponit ad uisum efficiendum necessaria: lumen ab oculis emissum, medium aerem lucidum, & oppositum corpus in quod uisus tendat. Quin etiam Theophrastus hoc ipsum uidetur sensisse, ut Priscianus Lydus eius interpretes in lib. de Phantasia testatur, his uerbis: ὅ ἡ πλάτων, καὶ εἰδωλὸν τινὰ οὐ τῇ προίσει τῆς ὀφθαλμοῦ γίγνεται, ἀλλὰ τὸ λεῖον τῶν σωματίων ἐξ αἵματος ἐμφασίμ, ἢ κατὰ ἀπορροίαν σωματίων, ἀλλὰ κατὰ τὴν αἵματος σκιαγραφίαν, οὐ τῷ δυνάμει καὶ φαίνεσθαι, ὑφίστασθαι βέλεται. ὁ δὲ ἴσως καὶ ὁ Θεόφραστος οὐ δεικνύται κατὰ τὰς ἀνακλάσεις λέγων τῆς μορφῆς, ὡς ἀποτύπωσιν οὐ τῷ αἵματι γίνεσθαι. Preterea Galenus lib. 10. de Usu partium, manifestè cum Platone consensit. Cui astipulatur Plotini testimoniū in lib.

in lib. de Visione, qui eandem Platonis sententiam confirmans, uisionem fieri extramissione radiorum uisuiorum censet. Postremo mathematicorum siue opti-
corum auctoritas huic sententiae fauet, qui lmeis quibusdam ab oculo emissis uisionem effici demon-
strant, ut in Perspectiua latius uidere licet. His om-
nibus sententijs Aristoteles ac Peripatetici aduer-
santur, qui radiorum emissionem uisum fieri negant,
sed potius intramissione. Quae in re Platonem accu-
sant multis argumentis, quae lib. de Sensu et sensili
prolixè urget Aristoteles, atq; Alexander Aphro-
diseus: aiuntq; uisionem solum fieri per multiplica-
tionem quandam formarum uisibilium in aere lucido,
quae in uidendi sensorium per oculos intramissae, il-
lud ipsum moueant, atq; ita rerum imagines mate-
riae iam expertes animo referant. Sed huic nos Ari-
stotelis sententiae ipsius Aristotelis testimonio refra-
gari possumus, qui uisum extramissione radiorum fie-
ri alibi dixit. Nam in Problematis quidem, sectione
31. his uerbis id asserit: Διὰ τὴν διαγὰ μόνους δύο φαί-
νεται; ἢ διότι τὸ ἀφ' ἑνὸς ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον ἐκ
τέρων τῶν ὁμμάτων ἢ κινήσεως. Itaq; motum ex ocu-
lis ad obiecta signa prodire fatetur, ut uisio fiat. Itē
paulo inferius, cum inquirat cur luscii exiguos scri-
bant characteres, quando parum uideant, exeuntē
inquit uisum efficere ut magis uideamus, hoc modo:
ἀσθρὰ γὰρ ἐξίστα ἢ ὄψις, μᾶλλον ὄρα, ἀναπτύ-
σσεται δὲ τὸ ὁματὸς διασπᾶται. Quimetiam lib. 3.
Meteororū, iridis et halonis causas, cur ita appa-
reant, reddens, uisuius id radijs, qui retro flecti ne-
queant, tribuit his uerbis: τρίτον δὲ, ὅτι τὸ μέλαν
οἶον ἀπόφασίς ἐστι, τῷ γὰρ ἐκλυπῶν τὴν ὄψιν φαίνε-
ται μέλαν. διὸ τὰ πόρρω παρ' ἡμῶν φαίνε-
ται, διὰ τὸ μὴ διὰ νύκτα τὴν ὄψιν. Hoc ipsum ra-
tione possumus confirmare contra Peripateticos,
quoniam si formarum intramissione fiat uisio, etiam
unico intuitu diuersissimarum rerum imagines obue-
nirent, cum omnes formae uisiles oculis sese offerant.
Praeterea si obiecta semper imagines in oculum in-
tromittantur, tam cernet is qui luscus sit, quàm qui
perspicacissimus. pariter enim omnibus formae sese
offerunt. Hinc demum aperte uisionem fieri extram-
issione luminis oculorum constat, quod palpebras
comprimimus, si quid minus uidere possumus, ut di-
rectiores oculorum radij effluant, nec imbecillitate
diffundantur, antequam ad obiectum ueniant. Ex
his, alijsq; multis, ueram esse Platonis, Academicorūq;
sententiam de uisione constat, quam ipsemet à
Pythagora sumpsit, qui, ut ait Plutarchus lib. 4. de
Placit. philos. uisionem fieri uoluit per uisui cuius-
dam luminis emissionem, et retro unde exierat, re-
cursum, cum obiecta rei species percepta est. Quam
quidem reflexionem ἀντανάλασιν τῆς ὄψεως no-
minabat. Hanc quoq; sententiam sequuti sunt Stoici,
qui igneum quandam spiritum, ac uisuum, ad pupil-
lam oculi defluere, indeq; in conij figuram emitti, at-
que aerē circumfusum repercutere, quousq; ad rem

uisilem perueniat, eamq; percipiat, asseruerunt. Sed
nos iam Platonis uerba interpretemur. Ignis cer-
tè illius qui non urit quidem, sed illuminando suauiter
diem inuehit mūdo, participes oculorum orbes
dij fecerūt.) Quemadmodū in superioribus igneū
esse cælum diximus, non quòd igni hoc elementari
constet, sed quia lucidum sit: sic etiā oculos ignis esse
participes Plato dicit, quod in se habeāt splendorē
quendam lucidum. Appellamur autem ignei, quia lux
omnis igneae naturae est, quemadmodū Plotinus ait
in lib. de Cælo. Quod autē igneae naturae uocet o-
culos Plato, propter insitam illis lucem, nō modò Al-
cinous, Platoniciq; alij asserunt, sed Galenus etiam
lib. 10. de Usu part. idq; ratio uidetur persuadere:
siquidē oculi fricatione scintillare uidētur. ex quo li-
quet, ut cum lux omnis igneae naturae sit, atq; aliqua
in se lucem habeant oculi, igneae naturae propterea
dicantur. Quid quòd Priscianus Lydus hanc ipsam
sententiam in lib. de Phantasia tuetur, qui lumino-
sum quiddam in nostris oculis esse, quo res externas
adiumento lucidi aeris cernamus, inquit: idq; anima-
lium quorundam exemplo probat, quae propter in-
sitam ipsis lucem, uel noctu quiduis possunt cerne-
re. Est et aliud huius rei nō futile argumentū, quòd
noctu sepe igniculum longè remotū cernimus, cum
medius aer inter illum atq; oculum lucidus non sit.
Ex quo sequitur, aliquam esse nostris oculis lucem
insitam, qua cuncta facilius cernimus. siquidem tan-
ta est rerum uisibilium cum sensu uidendi consensio, ut
quotiescumq; res sese offerat, quasi sympathia quadā
oculi eam percipiat. Et ut Plotinus in lib. de Visio-
ne refert, sensationes in nobis fiunt per uitae commu-
nis Sympathiam quandam, quae ab unica mundi ani-
ma ad partes suas prouenit, efficitq; ut tanta sit sen-
sum cum obiectis consensio, ut obiecta re, sensus il-
lam suapte natura cōprehendat. Ergo cum lux ocu-
lis à natura insita, per eam ignis participationē de-
qua Plato loquitur, significetur, manifeste patet, eum-
dem ipsum ab Aristotele immeritò accusari in lib.
de Sensu et sensili, cum ob id refutatur his uerbis:
ἐπεὶ εἰ γὰρ πῦρ ἦν, καθ' ἅπαντα ἐμπροσθεν φησὶ, καὶ οὐ
τῷ τιμαίῳ γέγραπται, καὶ συνέβαινε τὸ ὄραρ ἐξέχοντος
ὡσπερ ἐν λαμπτήρῳ τῷ φωτός, καὶ διὰ τὴν καὶ οὐ
τῷ σκότειν ἴσθρα αὐτὴν ὄψις; τὸ δὲ ἀποσβεννύσθαι φα-
ναι οὐ τῷ σκότειν ἐξίσταν, ὡσπερ ὁ τιμαίος λέγει, κερ-
νόν ἐστι παντὸς. Sed huic obiectioni satis est re-
spondisse, igneum à Platone oculum uocari quasi lu-
cidum, cum et ipse Aristoteles in Problematū alio
loco, sectione 31, igneae naturae oculos esse dicat his
uerbis: αὐταὶ δὲ αἱ αἰσθήσεις εἰσὶν ἐξ αἰληρινῶν, ἢ
μὲν ὄψις πυρρός, ἢ δ' ἀνοήδης. Nos ergo ad reliqua
properemus. Intimum siquidem nostri corporis
ignem huius ignis germanum sincerum quae per o-
culos emanare uoluerūt, in quibus lenis, congestusq;
ubique ignis purior euolet, crassior uerò cohibea-
tur.) Tria in unoquoque sensu esse necessariò de-
bent: facultas sentiendi: medium, quò sensus progrediatur:

diatur: obiectum, in quod tendat. De facultate quidem uidendi Plato dixit, cum innatum esse oculis lumen ad res uidendas retulit. De medio uero uisionis nunc differit, quale nam esse, aut quod debeat. Itaq; cum cognatus, inquit, oculi nostri ignis sit cū igne aeris exterioris, idemq; purus existat, illo quasi medio utitur: hoc est, ut oculi nostri lux aliquid cōcipiat, medio aliquo lucido indiget, nimirum aere solis radijs illustrato. Vtraq; autem lux cognata puraq; dicitur, tum quod incorporea sit, tum quod rerum imagines pariter cōcipiat. Differunt tamen inter se, quod lux oculi in aeris lucē recipitur, indeq; imagines perceptas reducit ad ipsum oculum: siquidem uisui radij per medium aerem lucidum penetrant, formasq; percipiunt. Quo nomine id ita concludēs Plato inquit, cum duplex sit ignis ille purus, alter oculorum, alterq; aeris lucidi, hic utpote densior, illum excipit: hoc est, lucida oculi facultas, quæ aeris perspicuitati similis est, quatenus per mediam illius lucem fertur ad obiectum, in hanc recipitur, quæ crassior, hoc est aeris corpori mixta est. Siquidem lux aeri mixta, nō modō crassior luce oculorū est, sed fusior etiam. Atq; lucē illam ob oculos offusam esse, mediamq; uisioni interponi, Galenus itidē docet, cum humorem quendam tenuem ac sincerū, qualis est ovis, oculo infusum, acrioq; et splendido spiritu pupille locum omnem oppletum esse dicit. Quando igitur medium uisus aerem lucidum uocamus, eaq; lux similis oculorū luci est: illud nunc queramus, quomodo lux aeri diffundatur, aut quo pacto radij penetrare illam possint, ac nunquid necesse sit medium aliquod uisui adesse, ad res percipiendas. Primō lucem omnem incorpoream esse, quamuis à corpore profluat, et Aristoteles lib. 2. de Anima, et Plotinus, ceteriq; affirmāt. Eadē autem nihil aliud est, quàm actus quidam corporis perspicui, ut Aristoteles definiuit. Nam perspicuum potentia dicitur: accedente uero illi luce uelut forma, lucidum actu fit. Vtrunq; tamen, ut Priscianus refert, corpus non est, sed ut qualitas quædam corpori adheret: aer enim perspicuitatē ex se habet, lucē uero à sideribus. Itaq; lux ignis qualitas propria est, perspicuitas uero aeris et aquæ. Ergo cum lux sit incorporea, aeri sese miscens lucidum cum efficit. nam si corporea esset, misceri cum illo non posset, cum duo corpora in eodem nequeant confundi. Ex quibus omnibus constat, medium uisus esse aerem luce circumfusum ac illustratum. Iam uero radij lucidi oculorum incorporei quoq; sunt, ideoq; aerem penetrant: quod facere nequirent, si corporei essent. Dicuntur præterea ijdem transire per aerem, non quod motu aliquo ferantur: corporei enim essent, si per locum motu ferrentur: sed quod facultas quædam agendi oculis insit, quæ propter animam in obiectū agat, quemadmodū idem Priscianus explicat. Nam quatenus percipiendo agit facultas uisua, radios dicitur emittere: ac medius aer lucidus facultatem so-

lum illā adiuvat, et perficit, dum rei obiectæ formā clarius representat. Siquidē lux media uisionis causa non est, quando obscuritatem ipsam cernimus: sed adiumentum quoddam dici potius debet, ut idem ait. Priscianus. Quam ob causam Plotinus in lib. de Visione, non esse opus inquit corporeo aliquo medio, quasi ad uidendum necessario: quando ipse per se uisus suapte natura paratus ad luminosum percipiendum sit. nam perspicuitas medijs cōmoditatis solum causa est, ne uisus impediatur. Ergo propter magnā uisus ac uisibilis rei consensionem, uisionem fieri asserit. nec enim obiectum à uisu patitur: sed ut homine inclamante paries resonat, ita uidendi facultate in rem uisilem agente fit uisio. Itaque cum diurnum lumen applicat se uisus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia, atq; commixta, quō oculorum acies diriguntur, ibi in unius iam domestici corporis coherent speciem, ubicunque tam intimi quàm externi luminis sit concursus. Cum hic de radiorū mixtione Platonem loqui uides, minimē intelligas, cum corpoream radiorum, lucis uel naturam significare: nec enim lux, aut radij uisui corporei sunt, quando ea de causa penetrare aerem sine cōmotione aliqua non possent. sed consensione hinc, et sympathiam oculorum lucis cum externa intellige, quæ uisuiam facultatem adiuvat. Vnde Plotinus in lib. de Visione ait, primum corpus siue cælum cælestis ignis esse, ignis autem primam qualitatem esse lucem: hanc itidē uniuersis rebus diffusam colores efficere, atq; ita per diffusum rebus lumen colores rerum omnium perspicere: quando uisile omne sine colore nō est, nec uisus sine re uisibili, ut Aristoteles lib. 2. de Anima docet. Ergo coloratū corpus uisui obijci necesse est, ut uisio fiat. omne autem coloratum absq; lumine circumfuso aspici non potest, ideoq; nec uisus sine luce est: siquidem lucis externæ ratio ad uisionē habetur non in sensorio uisus, sed in obiecto, quatenus per lucem obiectum uisibile fit, et ab oculi splendore percipitur. Quamobrem cum unum quasi corpus ex oculi luce, et externa luce aeris fieri, uisionemq; gigni eo modo Plato dicit, consensionem obiecti cum sensorio intellige: ut quemadmodum ignis sulphur, aut magnes ferrum sequitur, ita corpus coloratum obiectum sequatur. Nam radij oculi spirituales animalesq; sunt, dicunturq; extrinsecus effluere, quia uis illa uidendi ad rem obiectam protendatur, eamq; percipiat. Totum igitur hoc propter similitudinē passionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit, uel ipsum ab alio tangitur, motum huiusmodi ad corpus omne, perq; id ad animam usque diffundens, sensum efficit, qui uisus uocatur. Hec est dictorum omnium de uisione conclusio, in qua breuiter, qua ratione fiat uisio, demonstrat. Ait enim, quod cum spiritus quidam uisiles ac lucidi ab oculo exeant, pariq; ratione à rei obiectæ imagine propter colorem luce externa circumfusus similes radij lucidi profluant, commixti inter se illi rei ob-

iecta

iectæ imaginem reflexione quadam ad oculos defer-
ram, perq; pupillam, ac nervos opticos ad cerebrũ,
ubi animi sedes est, introducant. Itaq; congressus il-
le utrorumq; radiorũ inter se, nihil aliud est, quàm
ipsa obiecti ac sensus sympathia, quam ea de causa
Plutarchus *συμπάθεια*, quasi corradationem no-
minat. Quoniam uerò sensus in obiectum agens ab
eodem patitur, eodemq; modo obiectum à sensu, to-
tam inquit illam sensus & obiecti irradiatione pro-
pter similitudinem passionem eandem sortiri: siqui-
dem sensus à similibus qualitatibus patiuntur, con-
trà quàm res aliæ, ut uisus à lucido, auditus ab æ-
reo. Quod autem mutua passione & uisus & obie-
ctum in se agāt, in ijs uerbis Plato significat. Cum
quid aliud tangit, uel ipsum ab alio tangitur. Nam à
sensibilibus rebus pati debent sensoria, ut Aristoteles
tradit: idq; quatenus animati corporis perpeßio
est. inanimatum enim nihil percipit, ac proinde nō
patitur. Ergo ut mutua fiat sensus & obiecti per-
peßio, similitudo aliqua prius debet intercedere: ex
perpeßione uerò similium sensus fit. uisus enim fa-
cultate illa naturali cernendi in obiectũ uisile agit:
perceptaq; rei obiectæ imagine, sensationem fieri ne-
cesse est. Igitur motus ad corpus omne, de quo Pla-
to loquitur, nihil aliud est, quàm progressio illa uisi-
ue facultatis ad percipiendā colorati corporis ima-
ginem: quæ cum in pupilla oculi impressa est, ad ce-
rebrum, in quo anima inest, traducitur. Ipse uerò ui-
dendi modus, ut latius demonstrat lib. 5. Vitellio, per
pyram idē sit, cuius uertex est in oculi cetro siue pu-
pilla, basis uerò rei uisilis est color extremus. hoc en-
nim modo imagines rerũ concipi, indeq; iterum re-
flexione quadā radiorũ ad oculum, cerebrũq; de-
mum reportari creduntur: cum tamē experimento
uideamus, imagines rerum omnium in oculis ocula
ta quadam ratione imprimi, sicq; ad cerebrum per-
duci: cuius rei causas prolixum est curiose conqui-
rere, quando latius in Opticis traduntur. Sed cum
hic breuiter de uisione dicta fuerint ex longissima
philosophorum tractatione, in summa quid de uisu
statuendum sit dicamus. Visus est facultas quæ-
dam animalis, ad rerum coloratarum imagines per-
cipiendas. Huius actus est ipsamet uisio, quæ ex ac-
tione formæ uisilis in uisum, & passione uisus ab
hac forma fit. Visus præterea consecutione quadam
naturali ad coloratum obiectum fertur, idq; radio-
rum extramissionem Plato uocat. Item tria hæc in
usu, ut in alijs sensibus, considerantur: facultas ui-
dendi in animali, & ex anima proficiscens: obiectũ,
& medium lucidum. Adde quòd hæc eadem accom-
modata esse ad sensationem efficiendam necesse est,
ut facultas uisua sit prompta, nec organum eius le-
datur: ut medium sit æquē accommodatum, ac luci-
dum: ut obiectum sit coloratum, corporeum, & ad
sensum pariendum aptum, nec nimia luce uisum im-
pediat, nec exilitate non cernatur. His ita propo-
sitis, ecquid nam in ijs uerbis Plato sibi uult? Mo-

tum huiusmodi ad corpus omne, perq; id ad animā.)
Totus aer circumfusus nobis, medium est uisionis,
quando per illum cernendi facultas ad obiectum fer-
tur. Cum autem per aerem concepta rei species ad-
ducatur, eadem non ad totum hominis corpus deue-
nit, indeq; ad animā (sic enim omnes corporis par-
tes cernerent) sed ad totum oculorum corpus, quod:
uisionis est instrumentum, accedensq; ad illud rei
perceptæ imago per nervos opticos ad animam,
hoc est ad cerebrum, ubi est sensuum facultas, defer-
tur. Itaq; per corpus illud totam oculorum compa-
ginem intelligit, quoniam ad cernendũ aliquid totis
oculis inspicere oportet. ambo enim se mutuò con-
sequuntur, ita ut moto uno, alter quoq; moueatur.
Atqui hanc esse Platonis ueram interpretationem,
Alcinous auctor est. Nam si uisus ueram uisæ rei for-
mam primo intuitu cernere non potest, sed post di-
ligentem intuitionem, ut Perspectiuū demonstrat:
profecto si totis oculis non cernamus, intuitus cer-
tus non erit. nec enim uisui omnes radij ad obiectũ
peruenient, aut ita fieri uisio poterit. Ex quo con-
stat, ad totum oculum obiecti imaginem deferri o-
portere, simulq; ab oculo directè radios emitten-
dos esse. At postquam in noctem discesserit co-
gnatus ignis, uisionis radius euanescit.) In his om-
nibus, lucidos oculorũ radios ad mediũ lucidũ exen-
tes, ignem uocat Plato, quòd lucida omnia ignis
naturæ sint. Proindeq; inquit, cum interna oculi
lux cognata sit cum luce aeris externi, necesse est il-
lam extra ob oculos offundi, ut radij oculorum mit-
ti extrā possint. Ergo emissis foras radijs, lux utraq;
se se commiscens, ac tangens, iterum cum rerum per-
ceptis formis ad corpus hominis regreditur: perq; i-
dem ingressa, nimirum per oculos ad cerebrum usq;
perducitur, atq; ita fit uisio. Quare contactum ra-
diorũ oculi cum externa luce ponit, quem propter
utriusq; lucis similem perpeßionem fieri ait: quia
sensus ab obiecto motus radios uisuiuos, hoc est ani-
malem quendam spiritum emittit, qui in aerem lu-
cidum incidens penetrat usq; ad obiectum: iterumq;
comprehensa illius imagine, ad oculum redit, ac per
nervos opticos ad cerebrum traducitur, animoq;
imagines representat. Atq; hic uisionis est modus,
quem luminis extramissione fieri Plato censet, con-
firmatq; Galenus lib. 7. de Placitis Hippocratis &
Platonis. Ex quo relinquatur, id quod sepe dici-
mus, tria in unoquoq; sensu necessaria esse: obiectũ
mouens, ut in uisu color: mediũ corpus interiectum,
ut lux aeris: ac facultas ipsa sensorij, ut uisui radij,
siue spiritus quidam ab anima proficiscens, qui cer-
nendi uim habet. Quorum si quidquam defuerit,
uel nullo modo, uel egrè sensus paritur: ut noctu,
cum aer lucidus non est, quamuis lucidi oculorũ ra-
dij extrā mittantur, quia nullum habent medium lu-
cidum, cum quo cohereant, dissipantur, atq; euane-
scunt. nec enim cognatus ignis, id est, lux solis diur-
na aerem illustrat, ut cognatam oculi lucem ad obie-
ctũ uisilia

Et uisilia possit perducere: siquidem contraria contrariis dissipantur, ut similibus conseruantur similia. Hinc tamen intellige, Platonem censuisse, etiam sine medio lucido uidere nos posse, quamuis agrè. nam medijs quidem aeris splendorem inuare uisum duntaxat asseruit, id quod Plotinus in lib. de Visione putauit. Quin etiam igneos uocauit oculi radios, spiritum quendam animale, qui sensuum omnium uehiculum est: quoniam ut Galenus docet, uitalis ille spiritus per arterias ad cerebrum excitatus, ac lucidus, sensuum omnium instrumentum sit. qui cum sit corporeus, et à sanguine propter calorem excitatus, ab externis obiectis patitur. Idem aut calidus est, ac proinde igneus uocatur. Vnde Aristot. in lib. de Anima sensum omnem calido, id est spiritum naturam indigere dixit. Itaque cum oculus cernere propter mediæ lucis absentiâ noctu agrè possit, somnus obrepit. Sola enim animalia sensu utentia, somni uigiliæque participant, ut Aristoteles in lib. de Somno et uigilia docet. Somnus enim fit, ut ibidem docet, cum natius calor aut fatione, aut humiditate nimia ad alimentum sese conuertit, aut ob nimiam humiditatem foras nequit progredi. Itaque somnum tunc fieri Plato affirmat, cum spiritus cerebri ob offuscationem ab stomachi uaporibus proueniens enanescit, sensuumque organa deserit. tunc enim consopitis spiritibus, obrepit in partem anteriorem capitis, sensuumque communem offuscatur. Qua de causa cessante uisu, inquit Plato, somnus noctu aduenit, non propter uisus imbecillitatem duntaxat, sed quia sensuum omnium uires noctu potius quam interdiu sopiuntur, tum propter noctis humiditatem ac frigiditatem, tum propter sensuum diurnam uigiliam fauigatorum quietem. Est enim, ut Galenus inquit lib. 1. de Symptomatum causis, sensuum feruatio somnus: quia tunc animalis facultas in cerebro consopitur. Contra, naturalis uis, ut alendi, nutriendique corporis, uehementius in stomacho operatur, atque ita cibi tunc magis concoquuntur. Etenim salubre palpebrarum tegmen dijs oculis machinati sunt. Causas somni communes in animalibus breuiter percurrit. quiescentibus enim sensibus, inquit, potissimumque facultate uisus consopita, motus omnium spirituum à cerebro procedentium coercentur, nec ad uisus instrumentum perueniunt: ex quo somnus, uti diximus, gignitur. Sed quia oculorum radios lucidos, quos igneam facultatem hic uocat, comprimere oportebat, ne extrâ uagarentur, palpebrae factæ à dijs iunioribus sunt, ut oculus in somnis tegerent, radiosque profluentes intrâ cohiberent, ac demum tenuem oculi substantiam protegerent. Id quod Galenus lib. 10. de Vsu part. affirmat, cum palpebras quasi scuta quedam factas esse inquit, ut coirent, et complicarentur, oculumque clauderent, ne quid forte maiorum corporum in ipsum illaberetur. Qua de causa Aristoteles lib. 2. de Partibus animalium, hominem inquit ex omnibus animalibus frequentissime commovere insomnium


quodam natura, ut si que incident, palpebris cohibere possit. Igitur tanta est motricis facultatis cum sensu cōsensio, ut cum diuersi sint nervi sensuum, et nervi qui organa illorum mouent, tamen si sensuum facultas in cerebro consopitur, et motorij nervi quiescant. Veluti in oculo, quiescente uisus facultate, nervi quoque palpebrarum motores quiescunt, palpebraeque immotæ oculum tegunt. Si profundus ob multam quietem motuum nos occupat sopor, exigua sequuntur insomnia: sin uehementiores aliqui motus quasi uigiliarum reliquiae relictæ sunt. Causas somni ac uigiliarum, insomniorumque persequitur. nam qui de somni causa, differit, de uigiliæ quoque, atque insomniorum causis tractare debet: id quod Aristoteles, dicato seorsum in id libro, fecit, post longam de animo tractationem. Quapropter in longa, (Plato inquit) quiete, qua recreamur à labore sensus, nullum insomnium fit: sed nimius humor, qui altissimi soporis causa est, impedit, quo minus fiat. Nam cum somni causa sit, ut idem ait Aristoteles, calor cordis refrigeratus cibi exhalationibus, consumptis tandem ipsius uaporibus, calor idem exardescit, et quibusdam quasi stimulis hominem excitat, atque ita fit uigilia. Quo enim magis calor refrigeratur, eo durat somnus diutius: quo uero magis exardescit, eo citius animal excitatur. Quam etiam uigiliæ causam Galenus tradit, cum somni causam humiditatem dicit esse, uigiliæ autem siccitatem et calorem. Igitur in somno, cum sensus omnes sopiantur, phantasiaque libera et dissoluta sit, rerum imaginum in memoria insculptæ, ab illa educuntur, insomniæque ex illis fiunt. paulatim enim educis imaginibus, mirabilia insomnia pro humoris ab stomacho ascendentis natura gignuntur. Quare insomniū, ut Aristoteles in lib. de Somnijs ait, phantasma quoddam est in somnis apprensus: ex somno siquidem insomnium oritur. Quoniam enim libera, uti diximus, phantasia est reliquis sensibus consopitis, impressæ rerum imagines in memoria producantur ab illa, re presentanturque in cerebro, atque ita fiunt insomnia. Sed cum non satis sit, hominem sopiri somno, ut insomnium edatur, nisi etiam uaporum ex stomacho ascendentium natura sit apta: si altissimo sopore homo sit sepultus, nihil somniabit. magna enim frigiditas, quæ maximum efficit soporem, cerebrum omnino offuscatur, ita ut nec imagines, rerum in memoria impressæ proferri possint, insomniæ uel oriri. Id ipsum Plato intelligens, facta, inquit, multa quiete: id est, sopore altissimo: βραχυότατος ύπνος ἐμπιπεί, id est, somnus cum exiguo insomnio fit. Sed si calor idem mirum in modum refrigeretur, nullum omnino insomnium fiet, cum calor euehere spiritus nullos ualeat. At si in ipso etiam somno motiones sine aliquæ maiores in locis quibusdam relictæ, totidem illarum phantasmata in locis ipsius relinquuntur: hoc est, cum frigiditas tanta non est, ut motu omni animi priuet, ipsaque phantasia liberior sit, imagines omnes

omnes rerum insculptae, quae ex diuersis sensuum motionibus per diuersa instrumēta perceptae fuerunt, in cerebro obuersabuntur, insomniāq; proferent. quod et Plato hic docet, et declarat his uerbis *Alcinous*: πολλὰς μὲν δὲ ἰσυχίας γινομένης, βραχὺν καιρὸν ἐμπιπείτωσαν, ὑπολαφθεῖσιν δὲ τινῶν κινήσεων, φαντασματὰ συχρὰ γίνεται πρὸς ἡμᾶς. Hinc ergo insomniorū causam somniq; satis cognosci posse arbitror. Primò enim somnū quasi quietē sensuum, quā ἰσυχίαν Plato uocat, ponit: deinde insomniū oriri ex illo docet, cū motuū relictōrū in diuersis locis, hoc est imaginū perceptarū ex sensuum motu phantasmata in cerebro representatur. insomniorū enim uisio ex sensitiua facultate est, ipsumq; insomniū phantasma in somnis uisum appellatur. In quo sanè per motus istos quasi uigiliarū reliquias in diuersis locis impressas, imagines rerum in sensorijs impressas ab externis obiectis intelligit: nō quod eadē in ipsis remaneāt sensorijs, sed quia per sensoria perceptae, in memoria recondantur. Atq; id Aristot. in lib. de Insomnijs, hinc uidetur mutuatus his uerbis: ὅτι δὲ κληθῆναι λέγεται, καὶ εἰς κινήσεις φανταστικὰς οὐ τοῖς αἰσθητήρισις, ἀλλὰ ἐν τῇ προσέχωρ περιεῖται μνημονεύειν ἢ πάλαι ποτὶ καταφειρόμενοί τε καὶ ἐπαφύμενοι, οἵσις γὰρ τὰ φαινόμενα εἰδὼς καθύπνουσι, φηράσαι ἐπαφύμενος, κινήσεις οὖσας ἐν τοῖς αἰσθητήρισις. Quare Plato καταλαφθεῖσας τὰς κινήσεις uocat illas imagines rerum sensilium, Aristoteles uerò φανταστικὰς κινήσεις. Quoniā uerò haec sunt ad Platonis intelligentiam de somno, insomnijsq; breuiter dicta, huc nos compendiarium quandā somni insomnijsq; rationem breuiter ex Platone, Aristotele, alijsq; collectam addamus, quando eius rei cognitio ad hunc locum maximè spectat. Plato, et Stoici, somnum effici putarunt ex sensitiui spiritus remissione, cum ad principem animi partem, quam ἡγεμονικὸν uocant, quae anteriorem capitis locum obtinet, somnus obrepserit: eundemq; animi et corporis, ac non alterius solum, communem esse statuerunt. idem Aristoteles, atque Peripatetici affirmant: licet alijs uerbis, cum somnum asserant, communem esse totius animantis perpeffionem, fieriq; ipsum tum ē calore cordis uaporibus stomachi refrigerato: tum halitu quodam à pectore in caput ascendente, ac cerebrum occupante: id quod Plutarchus lib. 5. de Placit. philosoph. de illis testatur. A somno diuersum est insomnium, quasi actus quidam illius. Siquidem insomnium phantasma est, in somnis appatens. Itaq; communis nomine insomnia dicuntur, quaecunque uisus in somnis apparent, noctuq; se nobis offerūt. Quae plerumq; talia esse solent, qualia uigilantibus contingunt. At quæres fortasse, unde nam somnia nobis adueniant, à corpore ne, an ab anima, an potius à toto composito? Certè ab ipso composito. nam ut idem Aristoteles in lib. de Sensu et sensili docet, quaedam facultates sunt animi separati, ut intellige-

re: quaedam totius compositi, ut dormire, somnare. quamuis enim anima separata à corpore imagines illas impressas memoriae sine corporis ministerio producat, quia tamen una cum corpore eadē sunt, communes esse dicuntur. At uerò simulachrorū, quae uel in speculis oboriuntur, uel in perspicua, leniq; cernuntur superficie, facilis assecutio est.) Quando obiter somnij causas Plato docuit, cum de uisionis forma loqueretur, ad eandem uisionē redit, rationemq; illius explicatius reddit. Quocirca similitudine quadam speculorum lucidam, leuemq; naturam oculorum ad concipiendas rerum uisionum imagines aptam, quasi subiectū proponit, ex quo radij uisui emittantur. hoc enim statuto, uisionis modum, radiorumq; proiectionem demonstrabit. Itaque oculos, qui lucidi perspicuiq; sunt, similitudine quadā κατόπτρα nominat: εἰδολοποιῖαν uerò, imaginum comprehensionem in ipsis factam. Ut enim in speculo lucido ac leui obiectarum rerum imagines impressae cernuntur, ita in oculi pupilla lucida omnes rerum uisionum species representantur, et ad cerebrum per opticos nervos deferuntur. Atqui huiusmodi speculorū similitudinem à Pythagorici accepisse Platonem apparet. illi enim, reuerberatione quadam uisus in speculi leuitatem, imaginem illam fieri asserbant, ut Plutarchus lib. 4. de Placit. philosoph. hoc modo testatur: οἱ ἀπὸ πυθαγόρου, κατὰ αὐτὰν ταυακλάτης τῆς ὄψεως, φέρεται μὲν γὰρ τὴν ὄψιν τεταμένην ὡς ἐπὶ τὸν χαλκὸν, σείσσαν δὲ πυκνῇ καὶ λεῖπῇ πληχθείσαν, ὑποστέφειν αὐτὴν ἐφ' αὐτὴν, ὁμοῖον τι πάχοςσαν τῇ ἐκτάσει τῆς χειρὸς, καὶ τῇ ἐπὶ τὸν ὤμον αὐτῆς περιστροφῇ. Quare ut ad uisionis formam, quam Plato in his docet, accedamus, singula ipsius uerba sequamur. Nam ex utriusq; ignis tam intimi quàm extrā positi cōmuniōne, eiusq; rursus concursu et congruentia, qui passim terfo leniq; corpori accommodatus est.) Propositum uisionis modum in his ostendit Plato, quo nam uidelicet patio uisui oculorum lucidorum radij ad obiecta deferantur. Quia in re primo nos ipsam uidendi rationem breuiter explicemus, ut melius Platonis uerba exponamus. Ad rectum uisionis modum, ut Perspectiui docent, duo radij quasi lineae ex utroque oculo ad obiectum mittuntur, quendamq; conum efficiunt, cuius apex est in oculis, basis uerò in obiecto. Eadem autem rectae sunt, et in orbes circūductae, in apicem acuminantur, qui conicuspis dicitur. Axis etiam ipsius conii recta quaedā linea est, à pupilla oculi ad obiectum usq; per medium aerem protensa. Quo fit, ut uisio omnis per lineas fiat rectas, quae tanquā solares radij ad obiectū deferantur, ipsiusq; imaginē cōprehendāt. Nam cum in cerebro duo illi optici nerui, per quos fit uisio, coniuncti in radice sint, posteaquā ad oculos diuiccati porrigantur, ex ipso quidem cranio, ubi iidem cōnectuntur, duae lineae rectae ad oculos produci finguntur, quae conii figuram eandem efficiant, quam duo radij ex oculis producentes

prodeuntes ad rem uisilem. Nec tamen duo oculi duplicem rem uident, sed unam, quia utriusque radius in unum apicem coniungitur. Ergo ut ad Platonē redeamus, ex interni ignis, inquit, qui est in oculis, et externi, qui est in aere, communione mutua uisus cum fiat, id est, oculorum uisui radij ad obiecta perducti cum medium aerem lucidū pertranscant, ignis quidem circa lenē corpus fusus, id est lux corpori perspicuo adherens multiplicatur, omniumq; formarum imagines ad ignem oculorū perfert: hoc est, cum radij uisui lucidi ad obiectum perueniant, idemq; lucidum ac medium esse debeat, species illius obiecti in medio multiplicatur, et ad oculum deducta uisionem efficit. Quare primò lucē obiecto circumfusam, seu lucidum colorem inherere oportet, eamq; moderatam, deinde aer medius lucidus interponi debet, ultimò uisui radij protendi, et quasi ab obiecto corpore imaginem eius spiritale abstrahere: id quod Plato in citatis uerbis significare nobis uult, quemadmodum Alcinoi etiam interpretatur. Quibus ex rebus omnium obiectorum uisibilem planam superficiem primò subijci oculis oportere censendum est. siquidem, ut Priscianus refert, primò uisus colorem corporis extremitati inhaerentem percipit, deinde magnitudinem, ceterasq; qualitates sensiles. Dexter a uerò uidetur, quæ leua sunt, quia contrarijs partibus oculorum insolito more contrarias partes attingimus.) Quando communem uidendi modum agnoscimus ex Platonis doctrina, uarietatis uisus rationem addamus, ad planiorē ipsius intelligentiam. nam ex radiorum, inquit, in obiectū uisile reflexione, uel dextra uideri sinistra, uel ediuerso sinistra dextra, uel superiora inferiora,


Quatuor sunt motus oculorū, auctore Galeno lib. 10. de Visu part. unus quidem, quo sursum: alius, quo deorsum: ac duo, qui ad dextram, sinistramq; partem feruntur. li uerò à quatuor cerebri musculis ita eduntur, ut pro rei obiectæ imagine, distantiaq; uariemur, ac confundantur. Nam si corpus, quod à dextro oculo cernitur, propinquius sit, in sinistra parte apparebit: sin autem longius distet, ad dextrā esse uidebitur. itaq; si obiecta æquē distent ab oculis, dextra loca à dextro, sinistraq; à sinistro oculo cernētur: sed si spaciū immutetur, immutabitur etiam locorum positio in oculo: dextra enim leua uidebuntur, et uice uersa. Cuius rei causa est, quia linearum equidistantiū situs pro remotione partium suarum à uisu concurrere uidetur. Sed breuem nos huius rei demonstrationem, qua uti Perspectiui solent, addamus, hoc prius theoremate statuto: Omnium uisibilem obiectorum pro distantia ab oculis, quæ in dextra sunt, ad sinistram, quæq; in sinistra, ad dextram partem uertere uidetur. Sint duo quedam obiecta æquidistantia, duabusq; lineis rectis descripta, nimirum A B dextrum, et C D sinistrū. sit quoq; aspectus noster in puncto E. Aio, obiectū illud A B dextrum, sinistrum uideri: et C D sinistrum, uideri dextrum. Ducantur ab utroq; latere diuersæ lineæ ex uno illo puncto E protractæ, in dextro quidem latere inter A et B lineæ, FGH: item in sinistro, inter C et D, lineæ LMN: lineæ profectò dextræ, sinistrae uidentur esse: et contrà sinistrae, dextræ: quia eadem equidistantes lineæ in remotioribus à uisu partibus concurrere uidentur, quanquam uerè non concurrant.



Atq; huius demonstrationis iudiciū quanquā proximiorib. rationibus, et ex ipsa perspectiua petitis proferri posset, à sensu potius petendū est, quo uno uerā huius deceptionis causam noscimus. Hac ergo de causa propter uisus deceptionem sinistra dextra, et dextra sinistra nobis apparēt, quemadmodū Plato inquit, declaratq; his uerbis Alcinoi: τῶνταῦτα δὲ ἰπομόνως, καὶ τὰς κατὰ τῶν κατόπλων εἰδωλοποιίας, καὶ ἄλλων ὅσα διαφανῆ καὶ λεῖα ἢ ἄλλως ἢ κατὰ ἀνάγκην συντελεῖσθαι, ὡς αὐτὸν τὸ κατόπλον κυρτότης, ἢ κοιλότητος, ἢ διαφορῶν γὰρ ἔσονται φαντασίαι αὐταποθυμόνων τῶν φῶτων πρὸς τὰ μέρη τὰ ἑστέρα, ἀπολιθαίνοντων μὲν τῆς κυρτότης, εἰς δὲ τὴν κοιλότητα συνιόντων. Οὕτω γὰρ ἐφ' ὧν μὲν ἐξ ὀφθαλμοῦ τὸ λαϊὸν καὶ τὸ δέξιον ὁρᾶται, ἐφ' ὧν δὲ κατὰ ἴσον, ἐφ' ὧν ἢ τὰ κάτω πρὸς τὰ ἄνω,

καὶ ἐμπαλιν μεταπίπτει. Ergo potissima oculorum deceptio ex obiecti positione, corporea quæ figura prouenit. quoniam si obiectum rectè opponatur, nullus error sequetur. Quod si speculam ad uultus longitudinem conuertatur, uultum reddit supinum: cum superior luminis pars ad inferiora, inferior uerò ad superiora uertatur.) Hec omnia quæ similitudine speculorum à Platone dicuntur, ad ostendendam uisus deceptionem ex diuersa obiecti dispositione pertinent. persepe enim sensus aliud iudicat, quàm uerè est, nisi quòd mens aliter discernit. Quocirca cum ex obiecti distantia dextra pro sinistris, aut sinistra pro dextris capiantur, ut suprà demonstraui, alium etiam uisus errorem nobis Plato ostendit, cum ex motu illo diuerso oculi in superiorem, inferiorem uel partem, inferiora quoque pro

pro superioribus, aut haec rursus pro illis iudicat. Hec enim omnia ex diuerso obiecti situ, motioneq; oculi proueniunt. Siquidem quatuor modis moueri oculum diximus ex Galeno, dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum. In quocunque igitur horum locorum obiectum non apte, distantiaq; minime conueniente, ponatur, error uisus efficitur: ut in hac breui demonstratione patet, quam Vitellio lib. 3. Perspectiuae, alijq; Mathematici adducunt, ad probandum, superficiem omnem sub oculo iacentem eo altiore apparere, quo longius distet ab oculo: itemq; superficiem supra oculum eleuatam eo inferiorem cerni, quo fuerit eodem oculo sublimior. Ad hoc igitur theorema demonstrandum, ponatur oculus in puncto A, altior obiecto, item huic oculo subiiciatur superficies B G infima. Aio, altiore uideri superficiem partem ab oculo magis remotam. Primo erigatur perpendicularis linea ab ipso oculo A, usq; ad



Ex hac ipsa demonstratione, si figuram inuertas, oculumq; ponas inferiorem sublimioremq; superficiem, quo remotiorem posueris illam, oculumq; inferiorem, eo decliniorē putabis esse eam. Atq; huius theorematum demonstratio ex precedenti pendet, cum eodemq; conuertitur. Quibus ita propositis, causas errorum uisus hinc intelliges: quas etiam Galenus attigisse in libris de Usu partium uidetur, cum axes conorum uisuum in uno eodemq; plano sitos esse debere inquit, ne quod unum est, duplex uideatur, radij uel uisui conuersione luminum confundantur. Hinc tamen duo ista errorum genera oculis obtingentia, quadruplici illi motui oculorum, de quo diximus, tribuenda esse intellige. Nam motui illi à dextra in sinistram error is accommodatur, qui pro dextris sinistra, aut contra iudicat: qui motus in latitudinem ferri à Platone dicitur. item motui sursum et deorsum similis aduenit error, cum sublimia pro imis putantur: quem etiam in longitudinem fieri, idem refert, respectu quodam partium diuersarum. Ergo ne omnia prolixius exequamur, causas omnes huiusmodi errorum apud Vitellionem in Perspectiua, et Aristotelem in Problematis lege. Atq; haec omnia ex eorum genere sunt, quae principales rerum adiuuant causas, quibus ut ministris utitur Deus ad optimi, quoad fieri potest, ideam perficiendam. Singulares generationis humani corporis causas antea Plato retulit, cum to-

Et punctum superficiem subiectae. Eodem modo ducantur aliae lineae ab illo puncto A ad superficiem subiectam, nimirum E F D. Quoniam ergo lineae haec omnes, quo magis ab illa perpendiculari A B recedunt, maiores sunt, superficies quoq; sub illis ad basim comprehensa longius ab oculo distabit. Id quod facile perspicitur, si linea quaedam alia perpendicularis illi equidistans ducatur, quae transuersas lineas interfecet. eadem enim maiores angulos linearum ab illa perpendiculari A B recedentium continet. Ex quo fit, ut in linea subiecta B G magis recedant à uisu partes à perpendiculari remotiores, altioresq; appareant. Cuius rei causa est, quod uisus longe eleuatus, superficiem in plano iacentem concavam iudicat: quoniam eiusdem extrema puncta, in circumscriptione formam efferruntur ad uisum, propter uisus facultatis aequabilitatem.

tum illud iuniorum deorum opificium haecenus exponeret, rationemq; qua illi figuram hominis, caput, oculos, instrumentaq; sensuum effecerint, doceret. Nunc rursus ad primam causam, quam in omnium rerum generatione semper proponit, deorum iuniorum effectum reducit, breuiterq; causarum genera perstringit. Quo nomine ipsam nos iterum causarum rationem breuiter repetamus, ad horum uerborum intelligentiam. Causarum genera haec retulit Plato, ut nos antea tradidimus: efficientem, quam Deum siue mentem nominat: materiam, quam eternam fuisse dicit: formam, materiae inherētem: et finem, hoc est Dei bonitatem. quibus ideam tanquam exemplar effectum adiecit. Has causas ita distinxit, ut Simplicius lib. 1. Physic. annotat, ut quaedam *συμμιχται*, id est concausae seu adiuuantes sint, nimirum materia et forma: aliae uero per se sint efficientes, primaeq; causae, uidelicet efficiens Deus, ac idea in eius mente sita: et finis, quem in se ipse statuit. Itaq; tres haec posteriores in Deo sunt, tanquam una quaedam: materia uero et forma, in rebus ipsis, quae suae generationis quasi adiutrices sunt. Totidem serē causarum genera tradidit Aristoteles, praeterquam quod exemplar et formam pro eodem sumpsit. Cum igitur haec sint de causis à Platone tradita, aliud ijs genus uidetur ab eodem esse additum, nimirum iuniores dii, quos ueluti instrumentarias causas adiecit: ita ut Deus tanquam prima omnium causa.

causa, cum illa efficiat primò, iuniores uero dii postea secundò illa absoluant. Ergo dii iuniores, tum cause secundæ ac instrumentariæ siue adiuuantes sunt, tum etiam materia et forma cuiusque rei, ut Aristoteles quoque putauit, Themistio attestante. Quare cum dii iuniores, Plato inquit, hominem terrenum effecissent, animique sedem, ac sensuum organa constituissem, ex causarum adiuuantium genere ista sunt, quibus utitur Deus. Quasi diceret; uisionem quidem eo modo fieri, itemque somnum, insomnia, oculorum motus, atque adeò totam hanc animi locationem in corpore, ut sese mutuò adiuuarent, uelut concause ille, quas diximus. Nam cum Deus animum ut efficientem causam animalium omnium facultatum fecerit, diique iuniores corpori cum inclusserint, totus quidem ille animantis motus ex compositione animi ac corporis profluit: tuncque anima uelut forma eius est, corpus autem ut materia, ambo denique sese adiuuantes uires illas compositi totius proferunt. Quamobrem cum docere uelit Plato, somnum, insomnia, uisionem, eiusmodique alia toti animali communia esse: nec animi per se solum, nec etiam corporis propria, ex genere adiuuantium esse illa dixit: intelligens nimirum, in toto animali composito duplicem esse causam sese mutuò adiuuantem, ex qua uires omnes nascantur, uidelicet corpus et animam. Etenim ut materia et forma concause sunt, auctore Aristotele, mutuoque se adiuuant in compositi totius generatione: ita animus et corpus sese mutuò adiumento colligant, totumque animal diuersis uiribus præditum constituunt. Quod autem anima forma sit animalis, et corpus materia, ipsemet Aristoteles, Peripateticique omnes affirmant. Siquidem ille lib. 2. de Anima, formam esse illam et *ὅτι τὸ ἀνέχον* definit. idem confirmat Alexander Aphrodisæus in suo libro de Anima. item Plato in superioribus, animam speciem esse asseruit, cum de ipsius ortu loqueretur. Ergo Academici et Peripatetici in eadem sententia consentientes, animam et corpus concause esse animalis efficiendi affirmant, actionesque illas, quas retulimus, communes esse toti illi dicunt, ideoque ipsas ex adiuuantium genere faciunt. Atqui hic uerborum Platonis sensus uerus esse uidetur, nisi alio modo etiam illa eadem interpretemur: ut cum idem de uisus erroribus propter obiecti uarietatem situm euenientibus dixerit, ita esse ad sensus efficiendos constitutum obiectum ac sensum, eamque inter se consensionem ac proportionem seruare dicat, ut obiectum sensus adiuuet, atque hi rursus illud. Siquidem sensus per se nihil efficit, nec obiectum etiam in sensum: sed ambo simul concurrere debent, ut sensatio fieri possit. Sensus enim potentia quedam est animalis ab anima proueniens, sensatio uero actus potentie huius. Quod si ergo sensatio alicuius obiecti esse necessario debet, et sensus etiam simul cum re sensili concurrat necesse est: id quod Aristoteles lib. de Sensu et sensili, Plo-

tinusque in lib. de Visione docent. Hæc tamen sententia, quanquam aliquo modo posset quadrare Platonis uerbis, uera non est: sed prior illa, quam diximus, quod ex his uerbis perspicuum esse potest. Sed existimant plerique non adminicula hæc principalium causarum, sed hæc ipsas esse omnium causas, quæ frigoris et caloris, rari et densi, ceterorumque similitum naturam habeant, rationem uero mentemque nequaquam. In his manifestè docet Plato, animam et corpus concause esse in animali constituendo, ipsam uero primam causam Deum esse. Et cum ubique ad illam recurrat, Deum, inquit, siue mentem primam esse causam effectricem, quam in omnibus proponi oporteat: at uero animam et corpus, adiuuantes esse solum, ad animal constituendum diuersis uiribus præditum. Quæ de causa hæc, ait, quæ de animalibus uiribus in homine positis diximus, ad causas adiuuantes pertinent, non ad primam causam. Deus enim prima causa est, mentemque solum concipitur: corpus uero causa prima esse non potest, quando oculis cernitur, compositumque est. nihil enim compositum, primum esse potest: sed aliud ante se, à quo fuerit compositum, habeat necesse est. Quod si ergo corpus animatum, siue ipsum animal ex se compositum non est, sed ab alio priori, ipsumque ex sua natura diuersas habet uires, qualitates, aliaque huiusmodi: certe hæc omnia ex adiuuantium causarum genere, siue ex ipsa animi et corporis connexionem proueniunt, prima autem non sunt. Vnde errant quidam illi, qui primam omnium causam negligunt, atque ad corporis naturam, compositionemque omnes hos effectus animalis referunt. Quo in genere fuerunt Anaxagoras, Empedocles, Heraclitus, alijque philosophi, qui (ut auctor est Aristoteles) corpoream naturam initium rerum posuere. Plato igitur, et Aristoteles, atque ante illos Pythagoras, ac Socrates, primam quandam rerum omnium causam uniuersalem statuerunt, quam tum mentem, tum Deum appellarunt. Cum itaque ad hanc nos primam causam noscendam Plato semper hortetur, ad ipsamque omnia redigat, affectiones illas omnes animantis, sensusque, quos diximus, ab adiuuantibus causis prouenire inquit non à se ipsis. Atque hinc etiam intellige corporearum rerum causas ab incorporeis primis: Platonem semper deducere, quod in mundi origine explicanda fecit: confirmatque lib. 10. de Legibus, cum nullum principium commune esse corpus docet. Nam, ut Plutarchus in lib. de Primo igne refert, Plato causas caloris, frigoris, reliquarumque corporearum rerum ad intelligibiles, efficientesque primò redigit. Hæc cum ita sint, in his Plato sic argumentatur: Ignis, aer, terra, corpora sunt, eaque sensilia: omne autem sensile non ex se, sed à causa intelligibili pendet: ergo corpora illa prima initia animalis constitutionis non sunt, sed secunda, ac proinde solum sunt cõcause: uera autem prima causa est ea, quæ mente solum concipitur, aspectumque omnino fugit. Oportet autem mentis,

Scientiae amatorum principales sapientis naturae causas querere.) Quoniam eos reprehendit, qui causarum secundarum cognitione solum contenti, mentem illam primam pretermiserint: nunc rursus cuiusque philosopho, mentisque amatori, non secundas modo causas, sed primas etiam cognoscendas esse docet. Nam philosophi sane est, causarum omnium exactam cognitionem tenere, id quod Aristoteles initio lib. 1. Physic. uidetur hinc trāstulisse his uerbis: *ἐπεὶ ἀπὸ τοῦ εἰδέναι καὶ τὸ ἐπίστανθαι συμβαίνει πρὸς πάσας τὰς μεθόδους, ὥς εἰσι ἀρχαί, ἡ αὐταὶ, ἡ σοι-χία, ἐν ταῖς ταύταις γνωρίσαι* (τότε γὰρ οὐ μέγα γινώσκουσιν ἑαυτοὺς, ὅταν τὰ αὐτὰ γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς πρῶτας, καὶ μὴ τὰς σοιχίας.) Cum ergo causarum alie primae sint, aliaeque secundae, tum apud Platonem, tum apud Aristotelem, utrasque nosse, cuiusque philosopho maxime conveniet. At cur nam mentis amatorem causas primas et intelligibiles nosse iubet, aut cur mentis amatorem uocat philosophum? Quia, ut idem in Phaedone, alijsque locis docuit, tunc demum homines menti, id est Deo similes fiunt, cum corporeis rebus neglectis, ad diuinorum se contemplationem erigunt, intelligibiliaque consecretantur. Cum autem primarum causarum cognitio ad intelligentiam pertineat, qui easdem inuestigare nititur, mentis, scientiaeque amicus est: siquidem intelligibilium rerum uera, stabilisque scientia est, ut in superioribus dixit. Ergo ille qui ueram scientiam assequi uolet, sapientis naturae causas persequetur, hoc est, rerum omnium accommodatas ad uniuersale memem Dei artificis reducet. Quod ipsemet Plato latius in Phaedone docet, cum de Physice incertitudine loquens, illas solum causas quae probabilitate traduntur a multis, non esse tradendas inquit, sed ad primas potius recurrendum. In quo etiam Anaxagoram irridet, qui cum mentem ut primam causam proposuerit, illam uniuscuiusque rei generationi minime accommodet. Quocirca a nobis sic censeo faciendum.) Distinctis causarum generibus, ordinem, quem in his sequatur, proponit. primo enim causas illas, quae cum mente intelligētiāque pulchras, bonasque res efficiant, deinde eas quae sapientia priuatae quodcumque inordinatū utroque modo operantur, ostendit. In quo per primum illud genus tum mentē, siue Deum, primum omnium opificem, tum deos iu mores eius ministros intelligit: qui cum intelligētiā, id est intelligendo solum res producant, ut lib. 10. de Legibus docet, ad pulchrum bonumque exemplar aspicientes, bonas pulchrasque res efficiunt. Nec enim illi, cum optimi exemplar imitentur, malum quidquam efficere possunt. Porro per secundum causarum genus cōcausas intelligit, ut naturam inferiorem, quae sine ratione τὸ τυχρὸν ἀτακτον, id est quācumque materiae partem inordinatam constituit: inductaque illi forma, in ordinem reducit. materiae enim deformitas ex inordinatione intelligitur, ex ordine uero illius cognoscitur informatio. Igitur priores causas plan-

efficientes dixit esse, ideoque ἀρμυρῆς uocat: secundas quasi operarias et administras, et idcirco ἐξόρῃς fortas nominat. Sed cur nam Plato secundas causas, seu prudentia uacantes, quodlibet passim sine ordine facere dixit? An quod fortunam inter causas rerum naturalium recenscat, ut lib. 10. de Legibus aliorum sententiam referens uidetur? Minime quidem. Sed hac ratione solum fortunam in rebus inferioribus esse putauit, quemadmodum Simplicius in lib. 2. Physic. Aristotelis refert, ut quoties rerum naturalium euidentis causa ignoratur, cur ita facta sint, forte ita esse dicantur: hoc est, tum haec, tum illa causa assignari possit. Vnde Proclus fortunā cecā non esse, sed diuinā potestatem in unū exitū diuersas causas deducētē uocat. Itemque Plato lib. 4. de Legibus, cum tria ponat principia, Deum, fortunā, et artē, haec duo illi subijcit. Vnde Plotinus lib. 2. de Providentia, uniuersitatē inquit providētia summa administrari, nihilque fortuitum relinquī, sed id potius ad providentiā sequi. Hinc demum Plotinus lib. 2. de Dubijs animae, contemplatricem uitam liberos efficere homines asserit: affectus autem, corporisque curam, illos fortunae subijcere. Ex quibus omnibus constat, causas rerum corporearū, quasi fortuito oblatas, propter magnam earum incertitudinem, a Platone dici: eoque pacto secundas causas corporeas passim sine ordine fieri docet. siquidem intelligibilium rerum certae causae sunt, ut amica asseruit: sensilium autem et corporearum probabiles, et ueluti obuia. His ita explicatis, ad Platonis interpretationem redeamus. Cum in reddenda uisionis ratione ad communes causas, earumque mentionem digressus sit Plato, ad idem propositum rediens, utilitatem, praestantiamque uisus commendat: quam uel hoc uno maxime laudat, quod illius beneficio cognitionē rerum multarum homines sint assecuti. Nam cum admiratione rerum homines ducerentur, causas earum inuestigare coeperunt, atque ita ex uisus potissimum conuitu coelorum motus, astrorum conuersiones, temporum uarietates, huiusmodi alia peruestigarunt, ex quibus artes omnes constitutae sunt, ut latius Aristoteles lib. 1. Metaphysic. docet. Ergo omnia haec a Platone de uisus utilitate dicta, ad artium inuentionem referenda sunt. siquidem ex rerum, uti diximus, uisum admiratione, causarum inquisitio est orta: ex inuentione autem, cognitioneque illarum prudentia, artesque inuenta. Quod etiam in Epinomide Plato, et in eo libro Aristoteles tradunt. Maximum uero opus cuius gratia utiliter nobis a Deo donati sunt.) In rebus omnibus finis semper proponendus est. nihil enim a ratione fit, quin aliquem in finem refratur. Itaque cum causas uisionis, compositionisque oculorum Plato docuerit, ad finem illas refert, propter quem fuerint facta. In quibus uisus utilitatem multis de causis laudat. Primo, quod uisum Deum nobis tribuerit, ut cum coeli ordinem, motuum certitudinem, astrorumque conuersiones cernimus, temporum cognitionem,

nitonem, numerorumq; peritiam, ut in Epinomi-
ce inquit, assequamur. Deinde, quod philosophiam
cunctam fuerimus assecuti ex ulsu: quia ducti rerum
admiratione, causas, rationeq; illarū inuestigamus.
Siquidem, auctore Aristotele in libro de Sensu et sen-
sili, ex sensibus omnibus ad uitam necessarijs præ-
stantissimus est uisus. His aliam oculorum utilitatē
adijcit Plato, cum ait: Nobis uerò asserendum est
ob hanc potissimū rationem Deum oculos genuis-
se, ut membris circuitus, qui in cælo peraguntur, in-
tuitu, in usum redigamus nostræ mentis: cogitatio-
nisq; nostræ discuriones illis cognatas, sed pertur-
batas quodammodo, ad illorum temperiem reuocem-
mus.) In his utilissimum esse nobis aspectum inquit,
quia cum cæli ordinem, motusq; certa ratione com-
positos cernimus, inde possumus nostræ mentis inor-
dinatos motus, affectibusq; perturbatos emendare,
exemplumq; diuinæ conuersionis imitari. Nam ut
octauus et inerrans cæli motus simplex est, et men-
tis motui similis, uti asseruimus, idemq; semper uno
modo incitetur: si membris nostræ, quæ simplici etiā
motu mouetur, perturbationes, morbosq; qui mo-
tus inordinati dicuntur, ad illius exemplum com-
ponamus, rectam seruabimus rationem. Sed nun-
quid solo aspectu eius motus animi nostri affectus
temperantur? aut non ne possumus intentis oculis
illum aspicere, nec ideo meliores euademus? Maxi-
mè quidem. Ecquid ergo in ijs Plato sibi uult? Pro-
fecto id quod in omnibus locis nobis commendat, ut
mentē ab his rebus inferioribus, quæ membris nostræ
uires affectibus perturbant, ad contemplationem di-
uinorum et intelligibilium, quæ uno semper modo
sunt, erigamus, ueramq; philosophiam, hoc est ani-
mi et corporis dissolutionem, ut in Phedone Socra-
tes definit, amplectamur. Quoniam ergo animus
noster motus suos habet cælorum motui persimiles,
uti docuimus, ac motus cæli certa semper ratioe fit,
erroreq; omni uacat: errores, perturbationesq; no-
stri animi rectè temperabimus, affectusq; omnes cō-
ponemus, si cæli motum illum constantissimum, con-
uersionesq; Dei, siue à Deo cælis tributas imitemur.
Vnde Proclus in lib. de Anima et demone, per harmoniam in cælo regnamem reliqua omnia
harmonicè, id est magno cum ordine et concentu
à superis disponi, itemq; animū nostrum uires suas
ad illius ordinis imitationem recta ratione exerce-
re dicit. Ex quo fit, ut per uisum et aspectum re-
rum cælestium ad diuinorum contemplationem eri-
gamur, ex cōtemplatione uerò illorum affectus cō-
ponantur, et mentis nostræ uires certam seruent ra-
tionem, ac demū similes diuinorū statui sincerita-
tiq; fiant. Atqui hæc satis de uisu dicta sint. Vo-
cem quoque, auditumq; eiusdem rei gratia deos de-
disse nobis existimo.) Quamquam de sensuum om-
nium uiribus latius in sequētib; dicatur, tamē quia
uisus utilitatem explicuit, auditus quoque, ac uocis
præstantiam illi subiungit. Hæc uerò duo tum uisui

subiunxit, tum uno ordine posuit, quia post uisum
præstantissimi sensus sunt auditus et uox, et quod
auditum propter uocem factus esse uideatur. Quod
etiam imitatus Aristoteles in lib. de Sensu et sensili,
auditum ac uocem uisui subiecit: illum quidem tan-
quam ad prudentiam, et intelligētiā, quam ex
auditione assequimur, comparandam: hanc uerò,
quasi auditus causam, quæ una à bellis homines se-
parantur. Itaq; tanta est uocis cum auditu cognatio,
ut alterum sit alterius quasi obiectum. Vocem enim
per auditū cōcipimus, ipsa uerò ex anima rationeq;
proficiscitur. Sed nos sensus utriusque uim breui-
ter exponamus: postea enim de illis dicitur. Vox,
Platone auctore, spiritus est, per os à mente produ-
ctus, plagaq; aeris per aures ac cerebrum usq; ad a-
nimum perueniens. eadem autem in animalibus a-
gendi uim habet: auditus uerò uim patiendi, ut Ga-
lenus affirmat. Siquidē auditus ad uoces percipien-
das est factus: uox autem ad sonum cum ratione edū-
ctum auditui suppeditandū. Quæ de causa utriusq;
sensus organa ex eodem cerebri loco deducuntur: et
ad uocis perceptionem auditus est homini tributus;
ut Alcinoüs etiam ait: uox autem ad animi sensa esse
renda. Sed auditus tamen, cum acere potissimum ut
medio, ad uoces comprehendendas utatur, organum
in altissima corporis parte habet, idemq; ad aerem
excipiendum accommodatum. Nam binæ aures u-
triq; capitis lateri affixæ, patulæ primò sunt, ut ae-
rem uocalem subeuntē excipiant: tortuosis deinde
meatibus, anfractibusq; coarctantur, ne aut uox ef-
fluat, et ut intra meatus ipsos magis amplificetur,
quousq; membranulam, quæ ossis foramen, per quod
sonus ad cerebrum ingreditur, obtegit, feriens, in
cerebro ipso reddatur. Intra os siquidem illud per-
foratum, aer quidā immobilis esse dicitur: quem cum
uox intrans, mota meninge membrana, quæ os tegit,
moueat, sonus in cerebro aeris repercussione edi-
tur, ferturq; per duos alios neruos opticus similes,
et ad cerebrum porrectos. Atq; hic est communis
animalium omnium audiendi modus. Quoniam au-
tem auditus obiectum est sonus, idemq; ex aeris re-
percussione collisus duobus solidis corporibus fit,
uox etiam ex linguae cum palato collisione efficitur,
sensumq; ac imaginationem habet, quoniam ab ani-
ma rationali profluit. Eadem enim, ut Galenus re-
fert, potissima omnium animi actionum est, quando
mentis est nuncia: ideoq; per neruos quosdam à ce-
rebro ad collum porrectos, et aeris à pulmonibus
excitati agitatione motos educitur, ac imaginatio-
nis rationisq; plenus quidam sonus est, qui à lingua
cum palato collisus, et à dentibus labijsq; compres-
sus, articulata uocem efficit. quod Aristoteles lib. 4.
de Animalibus docet. Cum ergo tanta sit uocis et
auditus consensio: eam, inquit Plato, rationem effe-
ctionis suæ sensus uterq; habuit, ut auditus ad per-
cipiendam uocis et harmoniæ rationem, quæ ani-
mus constat, sit factus. Nam ut antea dixi, animus
cognitionum

cognitionum omnium principia in se habet: quatenus uero harmonia auditu capit, eidem sese accommodat, ac uelut in se similem suarum partium concentum perspicit. Qua de causa harmoniam, quam auribus percipimus, cognatam esse Plato dicit harmoniae illi, ex qua noster constat animus. sic enim ait, auditum ordinatum à Deo esse ad sonos cōcentusq; capiendos: ut quemadmodum sonis auditus sese accommodat, ita se animus conceptae harmoniae applicet. Atq; haec est ratio, quam Deus habuit, in auditu cum uoce connectendo. Item per magnum hoc fatum, seu μέγιστον μοῖσαν, quo duos illos sensus colligatos Plato dicit, immutabilem, firmamq; rationem in ijs constituendis, commoditatemq; à Deo seruata significat. Nam ut antea docuimus, firma Dei in efficiendo uoluntas fatum à Platone dicitur, quae cum stabile aliquid, certa q; ratione factū producit, fatalem illi legem imponit, ut in animorū diffusione explicuimus. Atqui et harmonia, quae motiones habet animae nostrae discursionibus congruas atq; cognatas, homini prudenter Musis utenti non ad uoluptatem rationis expertem, ut nunc uidetur, est utilis. Cum in omnibus semper Plato ad contemplationem diuinorum homines excitet, ac mentis intelligentiam, qua illi ad Deum accedunt, laudet: nunc idem efficiens, datum fuisse hominibus auditum inquit, ut per eum harmoniam nostri animae harmoniae consonam comprehendant, incōcinnitatemq; animi perturbati concentu illo, quem Musae praestant, corrigere possint. Qua in re allegoria quadam eleganti usus, inconcinnitatem animi nostri appellat errores, uitiaq; corporea, quibus mens nostra implicatur: per harmoniam uero à Musis datam, scientiae morumq; studia intelligit, quibus praeditus animus, magno cōcentu ac ratione motus suos conficit, hoc est, uires facultatesq; suas exercet. Quemadmodum enim ciithara, si temperata non sit, dissonantem ineptumq; sonum efficit: sic animus, si musico isto concentu bonorum studiorū, doctrinaeq; non temperetur, sibi ipsi dissentiet. Qua similitudine non hic solum Plato utitur, sed multis quoq; alijs in locis, ac lib. 3. de Legibus, cum Musicum concentum non ad uoluptatem, sed ad animi mores componendos amplectendum esse docet, eundemq; pulcherrimam esse Musam inquit. Itaque concentum hunc externum à Musis datum, tanquam animi nostri concentui similem esse dicit: quia scientiae uirtutisq; studia, quae à Musis petuntur, menti nostrae accommodatissima sunt. Hic tamen nos inquiramus, quae nā harmonia ista sit, quam Musae praestant: aut quae sine Musae eadem: ac denum, quae sit animi nostri cum harmonia illa Musarum cognatio. Quare ut Plutarchi sententiam lib. 9. Symposiorum sequamur, paulo altius rem repetamus. Musae apud antiquos nouem celebrantur, quae disciplinarum studijs praesidebant. Illae autem nouem esse dicuntur, propter nouenarij numeri perfectionē, qui

ex senario perfectio, ternarioq; triangulari constat. Eadem praeterea apud antiquissimos tres solū fuisse dicuntur, ut Augustinus in lib. de Doctrina Christiana refert: studiosisq; trium disciplinarum accommodabantur, Philosopho, Rhetori, ac Mathematico, quae tres Gratias, tria q; deorū dona cōplebant. Cum ergo tria eadem disciplinarum genera in ternas partes diuisa fuerint, nouenariusq; numerus cōpletus, et Musae quoq; quae dona illarum disciplinarum sunt, in eundem numerum diuise sunt. Nam philosophia quidem in naturalem, moralem, rationalemq; diuiditur: Rhetorica tria genera causarū, Demonstratiuum, Deliberatiuum, ac Iudiciale complectitur: Mathematica, in Arithmetica, Musicam, Geometriam, quae per tres alias Musas significantur, diuiditur. Ut ergo tria haec disciplinarum genera, in ternas partes diuisa, nouenariū complent numerum: ita et Musae tres cum primò essent, ad nouem sunt reductae. Hoc modo scientiarū genera sub Musarum nomine intelliguntur, ideoq; à Musis, id est scientiae studijs harmonia illa animi nostri datur, ut Plato hic significat. siquidem per Musas cōcentum musicum intelligimus: atq; ea de causa cœli orbibus tribuuntur à Plutarcho. Iam uero Musae eadem diuersis animi actionibus accommodantur: quoniam cum uita nostra uel studio, uel institutione informetur, indeq; musicus animi concentus, id est moderatio, temperatioq; morum nascatur, uim quidem illā studendi nobis insitam haec tres Musae gubernāt, Calliope, Clio, Thalia. Reliquae uero sex, partem nostri animi intemperantem, et ad uitia pronam, concentu, hoc est institutione castigant, et emendant. Eodemq; modo unicuiq; earundem Musarum singulae animi actiones accommodantur. nam ciuilis facultatis pars ad Calliopen pertinet, honoris studium ad Clio, scientiae cupiditas ad Polymniam, delectatio contemplandi rerum naturam ad Euterpen, ad Erato ordo ac prudentia, delectatio ex illis proueniens ad Melpomenem et Terpsichorem. Quo fit, ut animi actiones haec rationi consonae, Musis comparētur: quoniam ut Musae cōcentum inter se in musica significant, ita animae uires recte inter se conuenientes Musis accommodantur. Ex quo animi nostri concentum, Musarum concentus similem, cum Platone possumus cognoscere. Rhythmus quoq; ad hoc uidetur esse tributus, ut habitum in nobis. Quando Musarum concentum nobis datū nihil aliud esse constat, quam scientiae uirtutisq; studium rationi nostrae consonum: rhythmum inquit Plato ab iisdem Musis dari, ad corrigendas animi nostri affectiones, et intemperantiam, quam ἀμετρίαν hic uocat, et ad consensum quendam omnium animi partiū efficiendum, ne aliae alias superent, ordinemq; perturbent. Proprium enim Musarum, hoc est studiorum officium est, dissonantem animi nostri partem temperare doctrina, ut concentus iste ac rhythmus fiat. At cur partem nostri intemperantem sine gratia esse dixit?

Quia

Quia ex animi concentu, rectaq; institutione letitia sequitur. mirā enim uoluptatē uirtutis studiū secum affert: contrā uerō, ex animi perturbationibus tristitia, et delectationis siue gratiarū absentia prouenit. Vnde nihil est aliud, gratiarū expertem esse animū,

quā, cum uitij ac perturbationibus inconcinuus, sibiq; disseniens est, dolorem, tristitiāq; cōsequi. Quod lib. 2. de Legibus Plato testatur, cum gratiā ex uirtutū actione proueniantē, non turpē uoluptatem, sed iustissimā animi delectationem esse dicit.

TERTIAE TIMAEI PARTIS ARGUMENTVM.

MVndi ortum eodem ordine, quo antea, in his Plato iterum docet. Antea enim breuiter, & quasi prooemij loco, communem quandam mundanę generationis tractationem proposuit: nunc latius eandem, repetito principio, tradit. In quo tamen minimē putes, Platonem id sine magna ratione fecisse, nec eandem rem sepius inculcare uoluisse: sed traditę generationis modum hic uelle ostendere. Hactenus enim Dei, deorumq; iuniorum opificium exposuit, quo pacto ille uniuersitatem ad sui exemplar fecerit, hiq; rursus ad eiusdem imaginem singularia constituerint: nunc demum effectiōnem ipsam rerum corporearum ex sua ui, quā à Deo habet, inditam, productam declarat. siquidem quę dicta in superioribus sunt, ad primas, intelligibilesq; causas Plato retulit: quę uerō deinceps sunt dicenda, ad secundas, corporeasq; pertinent. Ex quo intellige, priorem tractationem primę philosophię, quā Metaphysicā uulgō nominant, propriam esse, quando in illa de Deo, intelligentijs, anima, horumq; origine ac natura dictum solum est: sequentem autem ad Physicā referendam esse, in qua de rerum corporearum ortu, natura, concretioneq; sit agendum. Quā in re duplicem de mundo tractationis modum secutus est Plato: unum in præcedentibus, cum ad primas, intelligibilesq; causas omnia reduxit, in quo Mercurium Trismegistum magna ex parte sequitur: alterum in his quę sequuntur, cum proximas cuiusq; rei causas, corporearumq; qualitatum concretiones explicat, in quo Timeum Pythagoricum in lib. de Mundo, qui nunc extat, imitatur. In hac igitur tertia Dialogi parte, corporearum rerum prima principia, ut materiam, formam, horumq; compositionem tradit: tum ortum mundi, partiumq; ipsius, prout ex corporea natura constant, docet: item elementorum generationes, mixtiones, qualitates, reliquaq; mixtorum imperfectorum genera usq; ad hominis ortum, ut latius in sequentibus discretur.

PLATONIS TIMAEI PARS TERTIA.



ACTENVS opera mentis, paucis exceptis, tractauimus. Oportet autem de his quoque quę necessitas inuehit, dicere. Mundi enim huius generatio ex necessitatis mentisq; coitu mixta est. Nam cum mens necessitati dominaretur, propterea quod persuadendo eam ad optimos ut plurimum rerum euentus induceret, ipsaq; hac ratione cedens sapienti persuasioni pareret, mundi huius exordia constiterunt. Oportet igitur eum qui mundi constitutionem uerē narraturus erit, erraticę quoq; causę speciem pro naturę ipsius instinctu miscere. Quod ita commodē fiet, si horum ipsorum conuenienti principio sumpto, sic de his quemadmodum de superioribus ab ipsa rursus origine differamus. Naturā ergo & passionem ignis, aquę, aeris, atq; terrę, generationem cœli præcedentes cōsideremus. Nullus profectō ad hoc usq; tempus eorum generatio-
nem ostendit, sed quasi notū sit quid sit ignis et reliqua, sic de illis uerba faci-

mus, eaq; mundi primordia constitutus, cum nec syllabarum quidem, nedum elementorum uicem tenere apud homines mentis quoquo modo compotes debeant. Nos uerō in præsentī nihil de principio uniuersorum, siue principijs, siue quomocunq; aliter id appelletur, dicendum putamus. Cui quidem disputationi nihil aliud impedimento est, nisi quod difficile sit præsentī disputandi modo quę de his uidentur exprimere. Neq; igitur uos id expectabitis, neq; ego mihi persuadebo, rectē me tantū opus aggredi posse. Quod autē ab initio dixi, uerisimilitudinis uim seruabimus, studebimusq; in rationib. uerisimilib. circa hæc asingnādis nulli cedere. Atq; ita et singula & uniuersa à principio exponemus. Deum igitur etiam nunc disputationis seruatorem in primis oremus, ut nōs ex admirabili & insolita expositione ad uerisimilem doctrinam traducat: atq; ita instituti disputationem exordiamur. Sed hanc de uniuerso disputationē ab ampliori diuisione quā supra du-

præ ducamus. Tunc enim duas in species facta diuifio est. Nunc tertium genus addendum. Duo enim in superioribus fufficiebant. Vnum quidem exemplaris loco, semper idem, solaq; intelligentia comprehendendum: alterum simulacrum ab hoc exemplari deductū, generationi oculisq; subiectū. Cum uerò duo hæc fufficere putaremus, tertium non adiunximus. Nunc autem cogere nos ratio uidetur, ut difficilem & obscuram speciem declarare conemur. Quam igitur uim, quam ue naturam habere putandum? Hanc utiq; generationis horum omnium receptaculū & quasi nutrice esse. Quod quamuis uerè dicatur, paulo tamen aptius est dicendum. Arduum id quidem, eo maxime, quòd ad huius rei demonstrationem dubitare prius necesse est, & inquirere de igni & reliquis que elementa uocantur, quod istorum a quam potius quàm ignem, aut aerem potius quàm terrā, aut certum aliquid unum magis quàm cuncta uocare oporteat. Difficile sanè certum aliquid & firmum de istis asserere. Quo nam igitur pacto, et qua ratione, et quod probabile in huiusmodi inquisitione dicemus?

SEBASTIANI FOXII MORZILLI Commentarius in III. partem Timæi.

Quoniam mentis opificium breuiter in superioribus tradidit Plato, mūdīq; ac rerum corporearum ortum explicare nunc uult, principia causaq; huius tractationis proponit, ut ab ijs totam generationem rerum deducat. Primò siquidem, quibus ex causis, aut quomodo mundus sit constructus, que ue cause illæ sint, exponit, deinde reliquam tractationem subiungit. Quam in re Aristoteles imitatus Platonem fuisse uidetur, qui cum omnia naturalia principia libris octo Physicorum fuerit complexus, in libris tamen de Cælo, de Ortu & interitu, de Meteoris, reliquam Physicæ tractationē comprehendit, usq; ad libros de Animalium historia, & generatione. Plato itaque in hac parte cum mundum ratione quadam factum, ut diximus in superioribus, asseruerit, anteaq; informem esse, quàm ad formā deduceretur, statuat: quibus ex initijs, aut quomodo sit cōstitutus ex materia, corporea; concretionem, in his tradit. Primòq; ut sequentem tractationem superiori connectat: Hactenus, inquit, op-

ra mētis diximus, nunc de ijs que necessitate ab eadem fiunt dicamus. Quasi diceret, De formali mundi ortu, quo nam pacto ad exemplar Dei fuerit editus, tractatum in superioribus fuisse: nunc rursus, omīsis illis causis, qua ratione, mente & necessitate cōponatur, dicendum esse. Quo nomine ut nos omnia distinctius exponamus, primò quid sit necessitas hæc apud Platonem dicamus: quamuis de illa, deq; mente antea fufius sit dictū. tum, quomodo ex necessitate ac mente compositus dicatur mundus: ultimò Platonis uerba interpretabimur. Necessitas quamuis commune nomen sit, tamen accipi pro fato apud Platonem solet, ut lib. 7. de Legibus, ac 10. de Repub. Fatum autem, ut nos antea docuimus, apud eundem æterna ratio, æternaq; lex nature huius uniuersitatis à Deo constituta est. Siquidem immutabilis Dei uoluntas in efficiendo, firmaq; rei facta cōsecutio, fatum Platoni dicitur: quemadmodum in animorū diuisione diximus. docetq; lib. 10. de Rep. ipse, cum tres Parcas in uniuerso constituit ad naturam gubernandā, easq; Necessitatis filias nominat. Sed omīssa nunc sententia Platonis de fato, quam supra explicauimus, necessitas quidem hoc loco habitum quandam mentis, siue Dei artificis ad materiam, inferioremq; naturam significat. Nam si Deus necessitate agit, fatumq; ab eius prouidentia oritur, effectio quoque mundi necessitate edita, atq; à Deo producta, itemq; cursus rerum naturalium cōstans, necessitas ipsa erit. Quod sanè Plutarchus, de necessitate loquens lib. 1. de Placit. philof. his uerbis Platoni assignat: πλάτων δτε μὲν τὴν ὕλην, δτε δὲ τὴν τῷ ποιῆντος πρὸς τὸν ὕλην χεῖρ. Quæ etiam de causa Pythagoras necessitatem dixit mundo esse adiutam: significans nimirū, legem hanc uniuersitatis à Dei prouidentia statutam, necessitatem esse. Cum ergo mundus ex necessitate factus à Platone dicitur, nihil aliud significatur, quàm ordo ipsius ex forma, materia, anima; proueniens. Nam cursus ille mundi naturalis, quem cuncta in ortu suo, interitūq; obseruant, & à quo necessitate quadam naturali uniuersa fiunt, necessitas uerè appellatur. Cum autem Deus mundum efficiens, hanc illi naturam seu legem statuerit, ad illum necessitas referenda est. Ex quo liquet, mundum ex mente necessitateq; compositum dici, quòd à Deo constructus, uim quandam naturalem necessitate agentem acceperit. Quod Aristoteles lib. 2. Physic. imitatus, necessitatem inquit in rebus naturalibus hoc modo esse, ut cum finis efficientem causam sequatur, consecutio illa sit necessaria. nam si forma in sit, materiam subijci necessario dicit. Itaq; ex materia necessitate factū esse Aristoteles asseruit: idq; à Platōe, ut Simplicius annotat, mutuatus est. Sed hanc tamen Platonis de necessitate sententiam Chalcidius ita interpretatur, ut materiam hic uocari necessitatem putet. A quo ego tantum dissentio, ut nullam in materia sola necessitatē esse censeam, nisi quatenus informatur ab idea, illiq;

illi; necessario subiicitur, ut Aristoteles refert. Vt ergo ad Platonis uerba ueniamus: Mundi generatio, inquit, ex mente ac necessitate producta est: id est, Deus, qui sibi auctor est, cum mundum effecit, necessitate quadam efficiendi fecit: illam uero necessitatem in se mundus continens, naturalem quandam ordinem, immutabilemque seruat. Quod Plato paulo inferius declarans, Cum mens, ait, sibi imperaret, eo prius persuaso, ut sibi pareret ad mundum efficiendum, mundus est effectus: hoc est, cum solo uultu Deus necessitatem procreasset, siue firmum rerum productarum ordinem sola uoluntate produxisset, hic quasi Dei socius illi libenter obtemperans, mundum effecit. Ordo enim, ac lex naturae praescripta Deo paret, illiusque persuasioni, hoc est uoluntati, et providentiae inseruit: ne si uiolenter resisteret, repugnatio aliqua in mundo foret, sicque dissolueretur. eadem quoque mundum effecit, non illum archetypum, et intelligibile, nec hunc etiam inferiorem per se, sed amecedente Dei opificis uoluntate. Ergo hic erit Platonis uerborum ordo, ut primo Deus siue mens uniuersi opifex statuatur, deinde ipsius providentia per omnia late patens: quae cum mundum effecit, necessitateque illum condiderit, necessitas ex providentia nata mundum continebit, omniaque inferiora necessaria quadam naturae lege regentur. Quod lib. 7. de Legibus Plato, aliisque locis uidetur indicare. Vnde Homericam illam catenam, fatalem hanc naturae legem esse, multi testantur: ac naturam etiam inferiorem, quoniam à superiori uoluntatis regatur, necessitatem appellarunt Physici, ut Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. refert. Ex quibus omnibus constat, naturae cursum ordinatum, à Deoque praescriptum, siue mundi animam, ut Platonici quidam uolunt, necessitate hanc esse, qua mundum constare dicit Plato, et quam fatalem fuisse Parmenidem lib. 10. de Repub. nominat. At quo nam modo fieri mundum dicimus, quando à mente, necessitateque factum asserimus? aut cur menti similis non est, si ad exemplar illius factus? Certè, si Plotino credimus, in lib. de Prouidentia, mundi ordo à diuina mentis prouidentia fit, non quidem illa per tempus progrediente (sic enim mundus aeternus non esset) sed in modum causae ante mundum praecedente, ipsumque sigilli modo exprimente. Mens enim, inquit ille, rationem ex se primo gignit, ex utroque autem fit mundus: siquidem mundi corpus materiale, rationem seminariam rerum procreandarum à mente, rationeque accipit. Itaque naturae modo à diuina mente mundus corporeus oritur, ut latius explicat Porphyrius. Cum ergo, nulla temporis immutatione praecedente, mundus à mente oriri Platonici dicatur, procedendi ordine factus à mente corporeus, ab illaque diuersus uocatur. Nam si mundum primo mens fecisset, ac non successione quadam secundarum causarum, intelligibilem profecto constituisset, uelut mundum archetypum, qui primo factus, et in

eius mente comprehensus est. Sed haec quidem à Platonici tradita, ad mundi originem explicandam, praeterquam quod nostrae religioni aduersantur, possent etiam rationibus multis refelli, quae nunc breuitatis causa omittendae esse uidentur. Sed ad reliqua progrediamur. Oportet igitur cum qui mundi constitutionem uerè narraturus est, erraticae quoque causae speciem pro naturae ipsius instinctu miscere.) Quoniam causarum omnia genera Physico cognoscenda sunt, ac primas secundasque causas partim retulimus, partim referemus: nunc fortunam, quam errantem uocat causam, adiungit. Quicquid enim fit, uel certam habet suae effectiois causam, uel ignoratam ac dubiam: quaecumque uero certam sui causam habent, uel necessitate quadam fiunt, uel natura, uel uoluntate. Necessitas, fatum indicat: natura, rei naturalis effectum: uoluntas, liberam agendi uiam. Quae demum dubiam habent causam, quoniam certa illius effectio nis ratio reddi non potest, in fortunam cadunt. Ex quo fit, ut quatuor sint genera causarum ex diuersis rebus petita: necessaria et fatalia, quae à fato fiunt: naturalia, quae in natura cernuntur: uoluntaria et libera, quae in hominis uoluntate sunt: fortuita demum, quae incertam sui effectiois habent. Igitur cum in rerum naturalium tractatione causae omnes tradi debeant, post necessariam causam, quae eadem cum naturali ferè est, fortuna sequitur, de qua Plato in hoc loco differit, quanquam Chalcidius materiam ipsam hic dici causam erraticam à Platone putat. Quae cum subiectum sit solum generationis, idemque certum et definitum, non uideat, cur erratica dici possit, nisi ad eius iactationem, instabilitatemque id referatur. Fortunam autem, ut Plutarchus in lib. 1. de Placit. philosoph. refert, sic Plato definiuit, *κατ' αὐτὴν οὐ προαίρεσιν κατὰ συμβεβηκός, καὶ παρανοήσιμα*. Item Apuleius lib. de Dogmate Platonis, instabile quiddam, et praeter consilium eueniens, cuius causa nobis ignoratur, fortunam ab illo dici censet, cui etiam sententiae Aristoteles lib. 2. Physic. Peripateticique omnes assentientes, fortunam esse definiunt accidentariam causam in ijs quae ratione agunt, praeter rationem euenientem. Vt cum quis rem aliquam agendam proponit, si quid aliud praeter spem illi obueniat, fortuna id euenisse dicitur: cuius quoddam causa ignoretur, ignorari eam omnes asserunt, obscuramque hominibus causam nominant. Itaque et Academici et Peripatetici fortunam inter causas referunt, euenireque in ijs quae consilium electionemque aliquam habuerint, dicunt. ideoque soli homini fortunam tribuunt: is enim propter finem solum agit, cui si quid praeter finem aduenit, fortuna dicitur. At Peripatetici casum adiungunt, fortunae ab altera parte respondentem, ita ut causae accidentario fortuitoque euenientis genus sit: sed quod à fortuna differat, quia haec in ijs quae ad finem referuntur aliquem, sit, ille uero in ijs quae nullum finem spectent. Ergo plerique philosophorum fortunam esse, et inter causas efficientes referri putarunt.

runt. Quibus tamen Plutarchus in lib. de Fortuna, sese obijciens, omnia inquit consilio, prudentia, natura, arte uel fieri: nullā uerò fortunā esse, sed si quid fortē nobis adueniat, non à fortuna, sed ex occulta aliqua causa, consiliūq; indigentia euenire. Hæc profectō sententia quanquam à magnis philosophis repudiata sit, longē tamē est uerior, religioniq; nostræ magis consentanea. Siquidem nulla est in rebus fortuna, nullusq; casus: sed si quid præter nostrā spem euenit, id occulto Dei consilio, uoluntatiq; tribuendum est. non enim quod rei causa ignoretur, fortē illud fieri asserendum est. Quo nomine melius quidem Anaxagoras, et Stoici, fortunam nihil aliud esse putarunt, quā occultam, obscuramq; humane rationi causam. Itemq; Homerus fortunæ nullam mentionem fecit, sed soli Dei decreto, quod *μοῖρᾱν* nominant, rerum omnium causas tribuit.

Quibus ita expositis, quando de fortuna satis tum in his, tum in superioribus dictū est, ad reliqua pergamus. Nullus profectō ad hoc usq; tempus eorum generationem ostendit, sed quasi notum sit, quid sit ignis, et reliqua. Proponens in his Plato quæ dicturus est, à cōmuniōribus tractationis principiis incepturum se promittit, primāq; omnium rerum initia traditurum, uidelicet materiam, formā, reliquaq; omnia, inquit. In quo illorum ignorantiam reprehendit, qui quatuor elementa ut principia uniuersalia tradidere, nec ullum aliud ante ipsa principium agnouere: quos itidē Aristoteles lib. 1. Physic. refutat. Itaq; Plato et Aristoteles materiam ac formam prima omnium corporū initia posuere, eorumq; naturam exactē docuerunt: præter eos autem uel nulli, uel pauci admodum extitere, qui id attigerint. Cum ergo elementorum, corporumq; omnium concrectiones traditurum se Plato polliceatur, uniuersalia in primis initia proponit, ut quoniam doctrinæ ordo ab uniuersalibus ad singularia progredi debet, illis ipsis propositis, reliqua tractatio commodius explicetur. In his autem principiis probabilitatem se Plato secuturum inquit, quando illa rerum corporearum et sensilium sint propria: horumq; ut antea diximus, nulla firma stabilisq; scientia esse possit. Nam in rebus naturalibus ac corporeis, causas exactissimas ultra probabilitatem querere ridiculum est. at uerò in ijs quæ sub intelligentiam cadunt, ut in mathematicis, Primāq; philosophia, ratio certa firmāq; traditur. Interim tamen dubium est, cur eos qui elementorū prima principia ignorarunt, similes esse dicat ijs, qui ne syllabarum quidem cognitionem teneant? Quoniam, ut ineptus homo est, et exigui ingenij, qui syllabarum cognitione carens, dictiones duntaxat prima esse orationis principia putat, nec ante dictiones ipsas syllabas esse, ac literas uidet: ita ille, qui quatuor elementa uniuersalia rerum initia ponit, ignarus nature est. Atq; id sanē in his uerbis Plato significat: *ἔργον αὐτοῖς, ὅτι ὡς ἐν συλλαβῇ εἰδότες μόνον*

εἰνότες ὑπὸ τῶν καὶ βραχὺ προσηγορίας ἀπὸ τῆς φύσεως. Quod etiam imitatus Aristot. lib. 1. Physic. cum initia prima rem quamq; præcedere dicat, priores esse syllabis literas, hasq; oratione ipsa refert. Nos uerò in præsentī nihil de principio uniuersorum, siue principiis, siue quomodocumq; aliter id appelletur, dicendum putamus. Quanquam rerum naturalium principia in hac parte tradere Plato uelit, minime quidem disputabit de primo illo cunctorum principio, quale sit, aut quid sit: id enim huius loci non est: sed in Parmenide, ac libris de Rep. alijsq; locis, de illo dicitur. Quæ de causa, de principio uniuersorum (Plato inquit) hoc est de Deo, qualis nam sit, dicere hoc loco non conuenit. difficilis enim est eius rei inquisitio: et, ut antea dixit, in uulgus illam efferri nefas est. Quo nomine ad principia rerum corporearum explicanda potius accedamus, probabilitateq; solum contenti, eadem doceamus. Atq; his ita breuiter propositis, inuocato prius, ut antea, Deo, sequentem tractationem ingreditur. Verum nos, quanquam extra rem paululum digrediamur, quid de prima causa siue Deo, de quo hic nihil uult differere, Plato sentiat, exponamus. Deum in Clitophonte, dialogo de definitionibus, sic Plato definit: *ῥῶτον ἀθάνατον, αὐταρκες πρὸς ὅσδ᾽ αὖ μορίων, ὁσίων ἀδίδιον, τῆς τὰ γὰρ ὅς φύσεως αἰτίας.* In alijs quoque locis, eternam quandam mentem, incorpoream, ineffabilem, nulla re egenē, undiquaq; perfectam, ueritatem, ipsum bonum, celestem, intelligibilem, infinitamq; naturā esse dixit: non quod ipsum definire hoc modo uellet, sed quia infinita illius uirtus aliter explicari nō possit, quod Alcinoüs et Apuleius in libris de Platonis dogmate latius explicant. Hunc igitur summum Deum, quem inueniunt difficilem antea dixit, primam esse omnium causam, non solum diuinorum, sed corporeorum etiam effectricem statuit: Plotinusq; atq; alij Platonici confirmant. Quam sententiam quamuis natura duce nosse Plato potuit, ex Trismegisto ac Pythagora uidetur sumpsisse, cum ille in Asclepio unum omnium auctorem Deum proponit: hic itidem, ut de illo Plutarchus testatur lib. 1. de Placit. philos. principiorum omnium primum ipsummet Deum, siue unitatē, aut bonum, mentem uel tradidit, ab eoq; generationem uniuersi deduxit. His igitur breuiter expositis, tractationem naturalium principiorum ingrediamur: quando hic de Deo disputare longissimū, et ab hoc loco alienum est. Sed hanc de uniuerso disputationē ab ampliori diuisione, quā suprā, ducamus: tunc enim duas in species facta diuisio est. Antequam ipsam principiorum tractationem aggrediamur, quæ initio huius Dialogi dixit, repetens cum sequentibus connectit, ut tota melius tractatio sibi cohæreat. Nam initio duo solum initia constitutionis uniuersi tradidisse se inquit, exemplar ipsum eternum, siue Deum in quo erat exemplar, et imaginem huius mundi intelligibilem, hoc est, mundum ipsum

ipsum sensibilem ad exemplar illius archetypi mundi factum. Nunc uerò, quoniam cōcausas etiam, et reliqua causarum genera in particulari generatione traditurus est, præter duo illa priora initia, tertium aliud adiicit, nimirum materiam informem. Nam per diuisionem illam entium, quam initio posuit Plato, et Deum, cum exemplari illi adiuncto, et mundum sensibilem intelligere oportet. Hæc autem duo cum æterna, nulloque principio nata dicantur, initio posuit in præcedenti tractatione, quoniam in ea tum de ipso exemplari, tum de imagine tractabatur: in his uerò, in quibus de imaginis compositione differtur, principium aliud ipsius compositionis adiicitur, nimirum materia. Ex quo duplicem esse mundum apud Platonem intellige, ut Proclus, Iamblichus, Plotinusque declarant: unum intelligibilem et archetypum, alterum sensibilem et illius imaginem. Atque ille quidem idea mundi in Deo sita est, de qua tum in præcedenti tractatione, tum in Parmenide latius est dictum: hic uerò sensibilis est et corporeus, ac illius imago, de quo partim in præcedentibus, partim in sequentibus dicemus. Age uerò, quando de hoc mundo sensibili in superioribus diximus, ipsiusque dependentiam ab auctore Deo, informationemque explicauimus: nunc cognito iam primo initio, naturam, compositionemque ipsius declaremus. Principia enim hæc non ad mundi æternitatem, similitudinem uel cum Deo explicandam dicenda sunt, sed potius ad essentiam, naturamque illius corpoream demonstrandam. Hinc ergo tria esse rerum omnium initia apud Platonem collige, quemadmodum Platonic omnes de illo asserunt, et nos antea docuimus: Deum, ideam, materiam. ac Deum quidem effectricem uniuersi causam statuit, ideam illi adiungit tanquam exemplar, materiam subijcit effectioni: formam denique non tanquam principium materie addit, sed uelut productionem generationis ab idea factam. Nam in generatione cuiusque rei forma proponitur generanda: ipsa uerò non gignit seipsam, nec sui efficiens causa est. Vnde tria tantum rerum initia plerique statuere: quoniam principia omnia contraria esse debent, semperque aliquid subijci oportet. Quod Aristoteles lib. 1. Physic. affirmans, nec plura tribus, nec illis pauciora principia esse posse cōcludit: quoniam nec duo ex se mutuo quicquam agere sine subiecto aliquo possunt, nec quatuor eandem ob causam, cum binorum quoque mutua sit actio. Quia in re hoc conuenit Platoni cum Aristotele, quod ambo materiam ut subiectum tradidere, amboque formam materie adiecere: differunt tamē, quod Aristoteles formam uelut efficiētem causam informationis materie adiunxit, principiumque aliud huic contrarium, nimirum priuationem addidit. Plato autem Deum efficientem fecit causam, formamque separatā à rebus illi ut exemplar adiecit, formam uerò materie adiunctam tanquam ab idea illa productam retulit. Atque hæc breuiter ad Platonis intelligentiam dicta sufficiant.

Vnde constat errare Auerroē, sicuti in alijs, lib. 3. Commēt. in Aristotelis libros de Cælo, dū Platonē ait nihil de materia sciuisse: cum nemo melius illum uim explicuerit. Quam igitur uim, quam uel naturam habere putandū est? Hanc utique, generationis horum receptaculum. Propositis in uniuersum principijs naturalibus, singulorum natura explicanda est. primoque de materia dicemus, uimque illius demonstrabimus, quando de Deo ipso, siue idea dictū est in superioribus latius. Materie autem uim quam in sequentibus satis declarat Plato, abundē tamen illam explicat, cum eam receptaculum formarū omnium, et quasi nutricem uocat. Nam ut Alcinoüs de doctrina Platonis, Plotinusque in lib. de Materia docent, materia quidem nihil est aliud, quam uniuersale quoddam subiectum, in quo cuncte rerum formæ subsistunt: non tamen ita, ut materia sit subiectum per se, forma uerò illi adhareat ut accidēs: sed quod ambe simul coniuncte, unam quandam substantiam compleant, quemadmodum Alexander Aphrodisæus lib. 3. Quest. natural. declarat. Eadem autem cum uelut subiectum quoddam imaginetur, expertis formarum omnium esse dicitur, ideoque sola mente concipitur. Hanc, Plotinus atque Aristotele auctoribus, et rerum cōmutationibus in eodem subiecto intelligimus. Nam cum eandem rem sepius in diuersas formas mutari uideamus, ut ignem in aerem, aerem in aquam, aut hæc rursus in illa, nihilque ex nihilo fieri Physici omnes fateantur, subiectum esse aliquod, in quo cuncta illa fiant, et commutentur, concludunt. At cum exacta materie cognitio obscura admodum sit, illud statim, quasi præcedētis descriptionis correctionem, addit Plato: Arduum id quidem eo maxime, quod ad huius rei demonstrationem dubitare prius necesse est. Hoc est, singula elementa uel per se, uel in composito ipso cōsiderare, demonstrareque certo, hoc uel illo modo esse, dubium est. Nam si quis igne proposito, aqua uel aqua esse ignem aut ignem aquam, nulla probabiliori ratione reddita, hoc ita esse, quam illud hoc modo probabit: siquidē elementorum naturas, cōpositionem, principiaque nosse prius oportet, quam de ijs quicquam statuatur. Nam cum eadem elementa materia et forma consent, hæc illorum initia tradi prius debent: quando elementa omnia, ut Galenus lib. 1. de Elementis testatur, ex materia, qualitatibusque à forma prouenientibus componuntur, et à qualitatibus habent hoc quod elementa sunt. Qui sanē pro forma qualitatem uidetur capere, quoniam qualitates inquit in materia recipi, eadem illa semper manente, nullamque generationem interitum uel patiente. Itaque materia ex qualitatibus constituta, elementa ipsa efficit: ex elementis autem uniuersa componuntur. Et ut Cicero etiam lib. 1. Acad. Quest. refert, materia et forma inter se mutuo connexa, substantiam efficiunt corpoream, quæ prima qualitas dicitur: quia ex utriusque illorum connexionem oritur quasi naturale quoddam accidens.

Hæc

Hec uero prima qualitas in quatuor partes diuisa, calidum, humidum, frigidum, siccum, quatuor simplicia corpora sine elementa, ex quibus omnia constant, ignem, aerem, aquam, terram ex mutua qualitatum cōnexionē efficit: ita ut singula elementa duobus constent primis qualitatibus, ignis nimirum calida et sicca, aer calida et humida, aqua frigida et humida, terra frigida et sicca. Itaque qualitates haec ex materiae formaeque connexionē constant, ex qualitatibus uero elementa, ex elementis demum omnia composita. Vnde qui elementorum naturas demonstrare certò debet, ipsorum generationem noscat prius oportet: ut cum aqua, ignis, aer, terra uel proponatur, rationem cur id ita sit, aut nō sit, assignare possit: nec ad sensuum iudicia recurrat, declarans id ita esse, quòd sic cernat, tangat, sensibusque percipiat.

Principiò id corpus quod modò aquam nominauimus, quando in solidam cōcrescit materiam, lapis & terra fieri uidetur: quando uerò liquefcit & diffluit, spiritus atque aer. Item aer exustus ignis efficitur. Ignis extinctus & corpulentior factus aerem creat. Rursus crassior factus aer, in nebulas nubesque concrefcit. His etiam magis cōpreffis, pluuia defluunt. Ex aqua rursus terra lapidesque gignuntur. Atque ita uidemus haec omnia circuitu quodam sibi inuicem uires fomentaque generationis uicissim tribuere. Quae cum nunquam eadem appareant permanere, quis nam sine rubore redargutionisque suspiciōe poterit istorum aliquid unū potius quam aliud, certè & firmiter appellare? Nemo certè. Quare tutissimus in his hic erit loquendi modus. Hoc quod semper aliàs aliter formatum uidetur, et plerumque iuxta ignis effigiem, non est utique ignis hoc aliquid, sed tale, id est igneum quiddam: nec aqua hoc aliquid, sed tale quid, id est aqueum: nec aliud quicquam, uelut ullam habens stabilitatem. Denique nec pronomini-
bus quidem ullis haec signanda sunt, quibus in rei cuiuslibet demonstratione, cum hoc uel illud dicimus, uti solemus, fugiunt enim, nec expectant uel eam demonstrationem, quae hoc & huius & huic designat: uel appellationem, quae de his tanquam de existentibus & stabilibus habeatur. Igitur huiusmodi omnia neque hoc, neque illud, sed tale potius, aut tale propter

similitudinem aliquam appellare debemus. Et ignem quidem ubique tale, ac de ceteris quae gignuntur eodem pacto. At uerò illud in quo fieri singula haec uidetur, ac deinde dissolui, solum ijs pronomini-
bus quibus hoc uel illud signamus, appellandum puto. Quale uerò quodammodo, calidum scilicet uel album, uel aliquid tale contrariorum, uel ex contrariis illud minimè appellandum. Sed apertius quod uolumus exponamus. Si quis enim cunctas figuras ex una eademque auri materia fictas cōtinuè in alias & alias reformet, de qua una quadam illarum praesens aliquid quid sit quaerat, uerè admodum & tutissime respondere possumus, aurum illud esse: triangulum uerò esse, aut aliam figuram, earum quae impressae eo sunt, et continuo permutantur, quasi reuera sint, non licet dicere. Sola quippe illa responsione tanquam tutissima contenti esse debemus. Eadem de illa natura, quae cuncta recipit corpora, ratio est: idem semper esse dicenda est. Siquidem ex propria potentia recedit nunquam. Suscipit enim semper omnia, nec ullam unquam ijs similem ullo pacto sibi formam contrahit. Omnis sane natura fictioni subiecta est, agitataque ab ingredientibus, & figurata quodammodo, aliàs aliter se habere uidetur. Quae uerò ingrediuntur & exeunt, uerè ac semper existentium rerum simulacra sunt, miraeque uix explicabili modo ab ipsis rebus quae uerè sunt, figurata, quemadmodum deinceps narrabimus. Tri-
a in praesenti genera sumenda sunt. Vnū, quod gignitur: aliud, à quo gignitur: aliud, à quo similitudinē trahit quod nascitur. Idcirco comparare haec ita decet. Quod recipit, matri: unde recipit, patri: naturam istorum mediam, proli. Sed ita intelligendum est, quòd cum esse debeat effigies rerum omni formarum uarietate distincta, nunquam illud ipsum formationis huius gremium bene erit praeparatum, nisi informe sit, & suapte natura omnibus formis quas recepturus est, careat. Nam si erit alicuius eorum quae in se recipit simile, cum contrariam eius, cuius simile est, naturam,
aut

aut aliam prorsus suscipiet, nequaquam eius similitudinem & effigiem exprimet, cum præ se tulerit suam. Quo fit, ut nullam sibi propriam habeat speciem, quod est omnia genera suscepturum. Ut qui unguenta suauiter redolentia confecturi sunt, humidam materiam quam certo condire odore uolunt, ita præparant, ut odorem nullum proprium habeat: & qui materijs mollibus impressionibus cedentibus figuras imprimere aliquas uolunt, nullam omnino priorem in eis figuram apparere patiuntur, sed exactissima quadam læuigatiōe eas poliunt: ita illud quod in omnibus passim æternorum omnium simulacris recte figurandum est, his omnibus formis natura sua carere necesse est. Quāobrem uniuersi, quod & genitum est, & sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam, receptaculumque, neque terram, neque aerem, neque ignem, neque aquam esse dicamus: neque rursus ex his aliquid constitutum, aut aliqua ex quibus proprie hæc ipsa subsistunt, sed inuisibilem potius speciem quandam & informem sinum, omnium capacem, qui modo quodam ambiguo & uix explicabili diuine et intelligibilis nature fit particeps. Ipse quidem comprehendere per se nullo pacto potest: sed quantum ex supradictis naturam eius attingere licet, sic utique recte possumus dicere: Ignem quidem, partem eius ignitam uideri: humefactam uero partem, aquam: terram quoque aeremque similiter, quatenus ipsorum simulacra suscipit.

Quando elementa prima rerum initia esse negauit, & ante illa materiam formamque proposuit: nunc ex ipsa elementorum mutua uicissitudine eandem rem magis confirmat, docetque ex transmutatione illa materiam cognosci. sic enim ait: Si aqua in corpus crescat, lapidemque aut terram constituat, aut rursus in aerem dissoluatur, aut ignis etiam, aerque & terra multis modis componantur, diuersaque corpora efficiant, resoluantur uel rursus in alia, commutatio hæc in aliquo subiecto fieri debet. Aut enim id, in quod elementum commutatur, in aliquo subiecto fit, aut in nullo. si fit in aliquo, hoc ipsum est materia: si in nullo, ex nihilo aliquid fieri sequeretur. Ex quo patet, unum non esse elementorum omnium corpus, ut Galenus testatur: sed quatuor corpora, quæ tamen unam habeant communem naturam ac subiectum,

minimam materiam. id quod in his Plato significare nobis uult. Quod uero ad istorum elementorum mutationes, mixtionesque hic commemoratas attinet, considerandum est, quatuor esse qualitatum connexiones, quæ quatuor ipsa elementa componant: & ex quarum commutatione tum ipsa composita corpora mutantur, tum eadem elementa. Nam ignis siccus & calidus, si humectetur, propriamque amittat siccitatem, quæ ipsius calorem auget, in aerem mutabitur, cum quo in calore conuenit: aut si aer humectus & calidus exsiccetur, in ignem degenerabit: eodemque modo reliqua elementa. singula enim cum singulis una qualitate conueniunt, altera differunt. Itaque si qualitas illa, quæ differunt, mutetur, in alia mutabuntur. Atque ita uidemus, hæc omnia circuitu quodam sibi inuicem uires, formæque generationis uicissim tribuere. Mutuam elementorum mixtionem circulari quodam motu reciprocari, quatenus in se semper resoluuntur, non modo hic Plato, sed Aristoteles etiam in lib. de Ortu & interitu confirmat. nam & ille in Phædone, alijsque locis generationem, corruptionemque omnium circulari fieri progressu, ad ostendendam animi immortalitatem, affirmat: hic uero æternum fieri rerum ortum & interitum, se inuicem consequentem, propter primi mobilis æternitatem inquit. Nam cum cæli conuersionibus inferior hic mundus administratur, ac perpetuus sit illius ambitus, perpetua quoque erit, atque illi motui similis rerum generatio. Ex hac ergo elementorum commutatione, unum non esse illorum omnium corpus constat, sed multiplex. Quod uel Hippocrates in lib. de Natura humana confirmans, Si essent (inquit) elementa omnia corpus unum, nulla fieri commutatio posset: idem enim in se solū non commutatur, nisi aliud, à quo id patitur, habeat. At cum elementa in corporibus diuersas mutationes edere uideamus, siquidem morbi uarij ex diuersis qualitatibus homini proueniunt, plura esse illa uno aliquo, manifestum est. Hoc quod semper aliis aliter formatum uidetur. Quando elementa non primam naturam, sed secundam ex qualitatibus compositam, ex illorum commutatione esse intelligimus, firmissimum, inquit Plato, cum de elementis differimus, non esse, illa hoc aliquid, sed tale quiddam potius uocare. Quasi diceret, proposito aliquo elemento, non esse solum asserendum, hoc esse ignem, aut illud aquam, aliud uel corpus, sed qualitatem corpoream. Nam per Hoc aliquid, substantiam, quæ sola in demonstratione cadit, intelligimus: per Tale uero, qualitates substantie insitas. Vnde cum substantia ex materia formamque constet, qualitatesque naturalia accidentia sint ex substantia ipsa profluentia, Hoc aliquid substantie, Tale uero qualitatibus accommodabitur. Et quidem ignem esse, uel aquem, cum nihil aliud sit quam aliqua eiusmodi qualitate quicquam constare, qualitas quidem ipsa per se minime potest existere, nisi subiecto alicui, uidelicet substantie, inhaereat. Igitur nec elementa initia prima

tertium

rerum sunt, nec qualitates, quibus illa constant, sed materia & forma. At cur Plato, cum ignem, corpus uel aliud formatum uideamus, tale aliquid cernere nos dicit, non hoc aliquid? Num quia substantiā ipsam uidere nequeamus? an quia solum accidentia in eo composito cernamus? Certē quoniam, ut ipse in Theaeteto docet, essentiam rei sensibus percipere non possumus, solumq; id quod cernimus, accidens substantiae inherens est. Nam essentia simplex cum sit, à sensibus, qui composita duntaxat capiūt, minime potest comprehendi: accidentia uerò, quia composita, & substantiae inherētia sunt, comprehenduntur. Vnde color ille ignis, calor, siccitas, celeritas, leuitas, eiusmodiq; alia accidentia naturalia sunt, non tamen ipsa substantia: quoniam si accidentia non essent aliqua in corporibus, quibus eorum naturam cognoscere possemus, nihil planē sensibus caperemus. Hanc igitur ob causam Plato inquit:

Hoc quod semper aliās formatum uidetur, & per unque iuxta ignis effigiem, non est utique ignis hoc aliquid, sed tale. Id est, forma quidem ipsa ignis, quam ipsi qualitatibus uidemus cōstare, hoc aliquid est: siquidem substantia est. at uerò ignis, siue igneum, non est hoc aliquid, siue substantia, sed qualitas duntaxat substantiae inherens. Nam in igne aliud est substantia, & aliud qualitas. Substantia est ipsum ignis esse, ex materia formaq; compositum: quod est hoc aliquid, quanquā cerni nequeat. qualitas autem accidentariò ex ipsius ignis esse proueniens, est calidum, siccum. Hinc sequitur, elementorum qualitates pronominiibus demonstrantibus explicari non posse, quia substantiae non sunt, sed accidentia substantialia, accidentiaq; hoc aliquid non sunt: quod Aristoteles in Categorijs alijsq; libris affirmat. Hoc itaq; intelligens Plato, sic ait: οὐ γὰρ διὰ τὴν ἑνότητα τῆς αὐτῆς φαντασίης, καὶ πάλιν ἐκ τῆς ἀπορίας, μόνον ἐκείνο αὐτὸ προσάγομεν, τὸ δὲ τὸτο καὶ τὸ τοῦτο προσχωροῦντος ὀνόματι. Quod imitatus Aristoteles lib. 1. Physic. his uerbis uidetur: ἐστὶ δὲ τὸ ὑποκείμενον ἀριθμῷ μὲν οὐ, ἐκ δὲ αὐτοῦ. ὁ μὲν γὰρ αὐθροπος, καὶ ὁ ἄρσος, καὶ ὁ χρὺς ἄλλοι ἀριθμοὶ, τὸ δὲ γὰρ τι μᾶλλον, καὶ ὁ κατὰ συμβεβηκός ἐξ αὐτῶ γίνεσθαι τὸ γινόμενον. In quo solum substantiam certam definitamq; essentia habere, accidentia uerò minime, praequam in ipsa substantia, inquit: siquidem substantia ipsa pronominiibus demonstratiuis explicari potest, accidens uerò qualitatibus solum nomine. Si quis enim cunctas figuras ex una eademq; auri materia fictas, continē in alias & alias reformet. Quando materiam

ti, sit quadratum. Quandiu enim aurum est rude, solo auri nomine uocatur: quandiu autem trianguli, quadranguli, alterius uel rei figuram habet, ita nomina singularum figurarum accipit, manente tamen semper eadem auri massa. Eodem igitur modo materia semper manens, aduenientibus formis subijcitur, à quibus denominatur. Quandiu enim forma arboris materia retinuerit, arbor dicitur: quandiu uerò equi formam, equus: atque ita in alijs formarum generibus. Vnde fit, ut quamuis diuersas mutationes fieri in eodem subiecto uideamus, id solum formarum uarietati tribuendum sit, non tamen ipsi subiecto, siue materiae, quae eadem semper manet. Ex hac formarum accessione, abscensioneq; perpetua materiae uis analogia quadā intelligitur: quemadmodum Aristoteles libro 1. Physic. ac Plotinus in libro de Materia docent. Eadem de illa natura, quae cuncta recipit corpora, ratio est. Illud ipsum exemplam, quod supra retulit Plato, ad materiae uim explicandam, in his magis declarat, quo nam scilicet modo diuersas formas suscipiat materia. Itaque nihil aliud esse ipsam dicit, quam receptaculum quoddam formarum omnium, in quod cunctae diuersis temporibus recipiantur. Eadem enim semper materia permanente, modò una, modò alia forma inducitur: quoniam illa nunquam ab infita potestate recedit, semperq; facultatem recipiendi formas diuersas habet. quamuis enim aliqua sit forma semper praedita, aliam semper appetit. Quo fit, ut, auctore Aristotele, materia ex se omnium formarum experts, qualitatibusq; nuda, nihil quodammodo, seceq; non ens sit: adueniente uerò forma aliqua, res efficiatur substantialis. forma enim materiae dat, ut sit substantia, ideoq; naturam hanc Plato inquit, subiectam: id est, materiam ex se nihil esse constare, praeterquam id quod à forma indita acceperit. Verum quo nam pacto materia à potestate nunquam recedere dicitur? Quoniam, ut Plotinus in libro de Actu & potentia refert, materiae essentia in facultate quadam collocatur, nihilq; actu habet, eorum nimirum quae potestate in ea sunt. Nam ipsum esse materiae est, facultatē quandam habere ad formas diuersas recipiendas: quam si amitteret, materia iam non esset. ac proinde immutabilis est semper, quatenus suam perpetuò facultatem retinet. Qua de causa subiectū esse semper fictioni siue informationi illam Plato dicit, confirmatq; lib. 1. Physic. Aristoteles, ac Plotinus in lib. de Materia:

Quae uerò ingrediuntur, & exeunt, uerè ac semper existentium rerum simulachra sunt. Hinc potes intelligere, formam rerum substantialem, materiaq; adiunctam à Platone quoq; tradi, diuersamq; ab idea in Dei mēte infita poni. Nam ut Simplicius in Physicis de illo testatur, communes formarū omnium corporearum ideas separatas, quasi exemplaria in Deo posuit: in ipsis uerò rebus corporeis formas essentiales, ueluti idearum illarum imagines. si-

quidem

quidem uniuersalis illa omnium idea, ut in Parmenide Plato disputat, singularum rerum ideas in se comprehendens, singulas formas materie inducit: ut equi, leonis. Itaque aliud est idea, aliud uero forma apud Platonem. idea enim incorporea, separataq; ac in Deo sita, uelut exemplar est: forma uero corporea est, subiecta q; materie inherens, ueluti simulacrum ideae. Qua in re consentire cum Platone Aristoteles uidetur lib. 2. Physic. Simplicio etiam cōcedente, cum uniuersalem quandam, diuinamq; formā a rebus ipsis separatam, ex qua cunctae rerum formae quasi sigillo producantur, affirmat. Igitur cum formae rerum essentiales diuersae ab ideis sint, ac ueluti simulacra a ueris exemplaribus differant, eadem profectō materiam ingredientem informant, suūq; similem efficiunt: exeuntes uero, nudam illam, informemq; relinquunt. Atq; hanc formarum accessionem mirabili quodam, uixq; explicabili modo fieri, Plato in ijs uerbis inquit: ut ostendat, corporearum rerum originem ab incorporeis principiis prouenire, quod amea docuimus. Quemadmodum enim mundus hic corporeus ab incorporeo intelligibiliq; mundo, qui idea mundi huius in Deo sita est, procedit: ita singularum rerum formae corporeae, ab ideis exemplaribus producantur. Quo nomine ideas illas; utpote aeternas, et Dei menti insitas, uerē ac semper existentia Plato nominat, ut in Parmenide uocare solet: formas autem rerum simulacra eorundem appellat. At hoc loco Plotinus in lib. Quod incorporea non patiamur, inquit, quoniam pacto formae materiam ingrediantur, aut quomodo materia particeps illarum formarum sit. Cui obiectioni respondens, materiam inquit ex sua natura non affici, nec perpeti quicquam a formis ingredientibus, ita ut naturam suam, facultatem uel amittat, contentaq; solum praesenti forma sit, nec aliam praeterea expetat: sed potius ipsas formas materie induci ait, ueluti imagines speculis. Nam ut speculū non mutatur, quod imaginem alicuius referat: ita quoq; materia semper retinet informitatem, ac recipiendarum formarum semper potestatem illam insitam habet. Quare ex Plotini quidem sententia, ideam et exemplar efficiens, homini se in speculo contemplanti comparabimus: formam autē rei, imaginē illius speculo impressae: materiam deniq; ipsi speculo, natura sua imaginibus nudo. Qua de re plura apud Plotinum in eo libro, ac in lib. Virum ideae omnes una sim lege. Tria in praesenti genera sumenda sunt, unum quod gignitur, aliud in quo gignitur. Alcinous, Apuleius, ceteriq; Platonici, tria illa rerum naturalium principia, de quibus saepe diximus, Deum, ideam, et materiam, hinc colligunt. Quibus formam essentialem addunt non tanquam principium, ut uoluit Aristoteles, sed quasi productionem. Nam si forma essentialis, quemadmodum Academici probant, principium esset, se ipsam produceret: quod fieri non potest. Hec itaq; princi-

pia Plato intelligens, his uerbis connumerat: Unum quod gignitur, alterū in quo gignitur, aliud a quo similitudinem habet quod gignitur. In quibus, per id quod gignitur, formam inherentem materie intelligit: eadem enim efficitur, ut res efficiatur. Per id in quo gignitur, ipsammet materiam, tanquam subiectum effectiois significat. Demum per id a quo habet res similitudinem, ideam insitam Deo indicat, cuius ut exemplaris simulacra sunt formae essentiales rerum. Igitur sola forma gignitur, et quasi partus quidam est: materia uero et idea ingenuita sunt, et aeterna. nam quod idea aeterna sit, quando insita est Deo, latius in superioribus docuimus, testaturq; Plotinus in lib. de Ideis. Quod etiā aeterna sit materia, Plato idem multis in locis asserit, confirmatq; Aristoteles lib. 7. Metaphysic. cum materiam nec genitam, nec interituram esse unquam dicit. Idem refert in lib. de Materia Plotinus, cum genita esse illa inquit, quae ab aliquo fiant principio: materiam uero ingenuitam esse, quod ipsa principium sit, nec aliunde sit orta. Qua in re et Platonici et Aristotelici planē consensuunt, idemq; affirmant: praeterquam quod illi quodammodo materie principium posuere. Quemadmodum enim, cum mundum aeternum esse asserunt, ratione quadam factum appellant, quoniam a Deo pendeat: sic etiam materiam, etsi aeternam alioqui, modo tamen ordinis, ac dependentiae, natam esse affirmant a prima illa causa, unde natus dicitur mundus. Nam si mundus hoc modo natus uocatur, materiaq; mundo inest uelut eius principium, eadem quoq; eo modo nata dici potest. Itaq; hoc pacto materia nata dicitur, ut auctor est Plotinus in lib. de Materia, quod materia mūdi sensibilis diuersa sit a materia mūdi intelligibilis, ab eaq; uelut causa pendeat: quemadmodum mundus ipse corporeus, cui inheret, ab archetypo procedit. Quod autem materia quaedam exemplaris in archetypo mundo sit, hinc docet Plotinus: quia ut inferiorū formarum ideae sunt in diuina mente, ita quoque materiae inferioris idea alia sit, eademq; non huic similis, sed pura et in actu, ut reliqua omnia quae in Deo sunt. Quare unitatem illam et receptaculum multarum idearum in Dei mente insitū, materia intelligibilis et exemplar uocatur. Interim tamen dubiū est, cur Plato nullam Dei mentionem hic fecerit, cum de tribus illis initijs locutus est? Quia in praecedentibus de prima causa, cuiusq; opificio differuit: nunc, cum rerum corporearū generationem docere uelit, earundem principia propria tradit. Sic enim in disciplinis progredi oportet, ut relatis primis initijs, ad secundas proximāq; causas deueniamus. Itaq; uniuersi mundi corporei initium incorporeum et intelligibile traditum supra est, nunc uero ipsius corporeae initia traduntur. Quod imitatus fuisse Aristoteles uidetur in suis libris, qui cum primi motoris naturam, uimq; quasi primam causam lib. 8. Physic. tradidisset: iterum in

libris

libris de *Ortu & interitu*, initia illa corporum, materiam ac formam in libris *Physicorum* tradita, affert, ad corporum concretionem omnem explicandam. Quod recipit, matri: unde recipit, patri: naturam, istorum mediam, proli.) Breuiter, eleganterq; naturam illorum trium principiorum explicat Plato. materiam enim quasi matrem esse dicit, quod facultas solum & receptaculū sit formarum: ideam uero ut patrem appellat, quia uim efficiendi habet, procreatq; formas, ac materiae inducit: formam denique proli comparat, quoniam ex idea in materiam actione nascitur. non quod materia cum idea misceatur, sed quatenus subiicitur ad generationem. Quemadmodum enim femina, auctore Aristotele, semen à mare emissum excipit, prolesq; ex utriusq; mixtione nascitur: ita ex idea in materiam si forma substantialis oritur. ideoq; forma media est inter ideam ac materiam. Qua in re differt à Platone Aristoteles, quod nihil mediū inter materiam ac formam ponit, quemadmodum Plato. Sed ita intelligendū est, quod cum esse debeat effigies rerum omni formarum uarietate distincta) in his omnibus materiae uim, utpote obscuram, clarius explicare non bis uult Plato, praesertim cum materiam dixerit ab idea informari. nunc siquidem, quo pacto informetur, subiiciatur ue, docet. Itaq; materiam inquit informem esse, nudamq; natura sua, aptam tamen semper ad recipiendas formarū omnium naturas. Nam ut mare, inquit Aristoteles, appetit formā, & deformitas pulchritudinem, ita formas perpetuò expetit materia. Et si formam aliquam semper habeat materia, quia tamen facultatem illam recipiendarum formarum semper habet, informis dicitur, carensq; illis formis, quas nondū adeptā est. Verum quānam de causa materiam forma omni nudam esse inquit, ita ut uarias rerum formas possit accipere? Quia materia propter formarum priuationem, quas nondū habet, est tamen habitura, eam habet facultatē recipiendi formas, non quod priuatio materiae insit (tunc enim formam non expeteret, ut ait Aristoteles) sed quod absentia illa, & carentia formae, quam est habitura, efficit, ut materia ipsa formā ad sui essentiam efficiendam expetat. Per formā enim, ut docet Plotinus, non modò sit substantia, sed accidentia etiam omnia. Atqui haec formae carētia, quam Plato tribuit materiae, cōtraria est formae adueniēti. tunc enim cessat huius formae iam adeptae absentia. Quo fit, ut ex cōtrarijs initijs res gignatur: quia carētia illa formae, contraria est formae iam adeptae. Hanc absentiam formae *γίγνσις*, id est priuationem Aristoteles uocauit, inter principiaq; rerum primus resiliit: cum tamen ante illum Plato cognitionem priuationis quodammodo attigerit. & ipsemet Aristoteles in fine lib. 1. *Physic.* Parmenidē, hoc est Platonem in Parmenide dialogo, priuationē inquit agnouisse, cum materiam informem non ens appellauit. sic enim ait: *negaton μὲν γὰρ ἡ μολογία ἐστὶν ἀπὸ τοῦ γίνε-*

σθαι τὸ ἐν μὴ ὄντος, ἢ παρμενίδῳ ὁρῶν λέγειν, εἰτα φαίνεται αἰτοῖς, ὡς ὅς ἐστιν ἀπὸ τοῦ μῖα, καὶ διὰ τοῦτα μόνον εἶναι. Et quidē, ut Themistius Simplicius que declarāt, apertē Plato tum in eo Dialogo, tū in hoc loco priuationē attigit, idemq; Plotinus in lib. de Materia innuit. Hinc igitur, deformitatem hanc materiae, & carentiam formae expetit & priuationē esse apud Platonē, liquet. Quod multo magis idem cōfirmat, cum hic materiam ita esse preparatam ad formas recipiendas dicit, ut ipsē careat, informisq; sit: quandoquidem priuatio formae in materia debet praecedere, antequam ipsa forma adueniat. Ut qui unguenta suauiter redolentia.) Eleganti exemplo materiae informitatem Plato declarat. Quemadmodum, inquit, qui unguenta suauis odoris conficere uolunt, efficiunt, ut singularum partium, ex quibus conficiuntur, nullus sit proprius odor, sed remittatur, quo melius totius confectiois temperatio redeat, nec alicuius solum particulae odor reddatur: ita materia ipsa debet omni forma priuari, si quā aliam sit receptura, nullamq; illarum formarum naturam habere, sed absq; qualitatibus & formae aliquo uestigio debet subiici. Quamobrem uniuersi, quod et genitum est, & sensibus omnibus manifestum, matrē ipsam, receptaculumq;) Totius materiae disputationem breui quadam cōclusionē hic colligit Plato. ipsam enim describens, quasi matrem & receptaculum formarum appellat, ex ea; mundum hunc sensibilem natum esse dicit: non autem ex igne, terra, alio ue corpore solum. siquidem mundus compositus est, atq; elementa etiam, materiamq; ac formam ut sui principia in se habent.

Sed de his ita distinguentes ratione considerare debemus, sit ne ignis aliquis seorsum à materia, ipse permanens in se ipso, & cetera quae saepe dicimus per se ipsa manere: an haec sola sunt, quae corporis sensu percipimus, & talem in se continent ueritatem, nec ullo pacto praeter haec ulla sunt uspiā, sed frustra intelligibilem uniuscuiusq; speciem aliquam ponere solemus: nec aliud haec sunt quā uerba. Quod quidem neq; ita uel aliter se habere temere & sine examinatione asserendum, neq; ad praesentem disputationem natura sua prolixam, alia quoq; prolixa, & ad rem minimē pertinens addenda uidetur. Ea uero circūscriptio quae breuibus magna comprehendat, admodum opportuna uidebitur. Ita igitur ipse meam hac de re sententiā feram. Si intellectus & uera opinio duo genera sunt, necesse est huiusmodi species esse, quae per se ipsae sint, & intelligentia

potius quàm sensibus comprehendatur. Sin autem, ut quibusdā uidetur, uera opinio ab intellectu nihilo differt, omnia quæ corporis sensus attingit, certa habēda sunt. Sed opinor duō esse dicēda, quia seorsū sunt facta, & dissimilia sunt. Quippe quorum alterum doctrina nobis insinuat, alterum persuasio: & illud quidem semper cum ratione uera, hoc autē sine ratione: illud nulla persuasionē mutabile, hoc cōtrā huic mutationi subiectum. Veræ quidem opinionis uir quilibet particeps: intelligentiæ uerō dñj quidem omnes, homines uerò pauci admodum participes sunt. Quæ cum ita se habeant, fateri oportet esse speciem quæ semper eadem sit sine ortu atq; interitu, quæ nec in se accipiat quicquam aliud aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quicquam, sensuq; corporis nullo percipitur. atq; hoc est quod ad solam intelligentiā pertinet, eiusq; intentionis est propriū. Sed est aliquid post hoc quod cum ipso non ratione, sed nomine conuenit, eiusq; similitudinē gerit, genitum sensibus manifestum, quod fertur & sustentatur ab alio semper, & in aliquo loco gignitur, rursusq; inde recedit opinione per sensus comprehendendum. Tertium genus locus est, qui interit quidem nunquam, sed omnibus quæ gignuntur, sedē exhibet. hic sine tangentis sensu tangitur, adulterina quadam ratione uix opinabilis. Deniq; cum ad hunc animo respicimus, somniamus quodāmodo, necessariūq; putamus, ut quicquid est, in aliquo sit loco positum, regionemq; obtineat aliquam: & quod neq; in terra, neq; in cœlo sit, minimē esse credimus: atque has omnes & similes passiones à peruigili uereq; existēte natura ipsi huiusmodi somnijs occupati discernere non ualemus. Ideoq; nec discernere id etiā possumus, quod imaginī quidem postquam idiplū in quo facta est non ipsius est, sed ea semper alterius fertur simulachrum: non iniuriā conuenit ut in alio quodam sit, atq; ita quodammodo essentiæ fiat particeps, aliter uerò esse nullo modo possit. Ei autem quod

uerē est, uera hæc et exquisita ratio suffragatur: docens, quod dum res ita se habet, ut hoc quidem aliud sit, & illud aliud, neutrum in neutro unquam factum unum simul idem & duo fient.

Quoniam materiam primam omnibus esse formis nudam dixit, formarumq; illi aduenientiū mentionem fecit: in his nunc querit, Vnde nam formæ in materiam inducatur, & utrum formæ aliquæ separatæ à materia sint, nec ne? in quo ideas esse quasdam uniuersales formarum omnium concludit. nam materia quidem, uti sepe diximus, semper subiicitur: formas autem intelligibilis idea in mente diuina sita, materiæ eidem inducit. Atq; eadem idea formarum omnium ideas comprehendit, ita ut singule formæ rerum inferiorum ab unaquaq; idea essentiam suam accipiant. id quod in Parmenide à Platone explicatur. Ergo ideas esse rerum hoc modo à materia separatas, Plato hic comendit: idq; breui argumentatione, quæ huiusmodi est: Si intellectus, inquit, scientiæq; ab opinione differunt, formas quoque ab ideis differre necesse est: sin autem illa idem sunt, & hæc itidem sunt. Quasi diceret, cum alia sit scientiæ ratio, aliæq; opinionis, quando illa in intelligentiam, hæc in sensum cadit, diuersas quoque utriusque naturas esse oportet. Ergo scientiæ actus est intelligentia, quæ à mente proficiscitur, actio uerò opinionis est rerum sensilium comprehensio. At Deus, qui mens ipsa est, cum mundū facere statuisset, quicquid animo cogitabat faciendum, intelligentia erat, non autem opinio. Igitur & formæ rerum, quas concipiebat, intelligibiles, & ab omni sensu opinioneq; alienæ sunt: proindeq; ab his formis rerū inferiorū diuersæ. Vnde sequitur, aliud esse ideam, aliud uerò formam rei substantialem. illa enim Dei est intelligentia, hæc uerò illius intelligentiæ imago. Atque hunc argumentationis modum secutus Alcinous, ideas esse probat: quia cum Deus formas efficiendarum rerum comprehendens sine uisis, quæ *παυτάματα* dicuntur, mente cōcipiat, utpote incorporeus, formæ quoque eiusmodi sint, nimirum intelligibiles, planeq; incorporeæ. Hoc ergo argumento utitur Plato, quoniā idea & forma animo solum comprehenduntur, illa uidelicet à Deo, hæc autem ab hominibus. Quo nomine hæc animo comprehensa simulachra scientiæ, opinionisq; meritò cōparantur: siquidem scientia ad mentem, opinio ad sensum refertur: & cum Deus mens sit, intelligentia illius scientiæ comparabitur: nos uerò cum per sensum intelligamus, et à sensibus intelligentiam omnem comparemus, opinionis rationem habebimus. Cuiusmodi etiam argumenti genere utitur in Theæteo Socrates, dum opinionem uerā falsam uel esse posse dicit, scientiam autem ueram duntaxat. Hoc ergo argumentum concise in his uerbis Plato proponit: Ita igitur ipse meam hæc de re sententiam feram, si intellectus,

lectus, et uera opinio duo genera sunt.) In his Plato, ut Plotinus in lib. de Intellectu et ideis ait, significat, in mente diuina formas rerum inferiorum ideae esse separatas et intelligibiles, effectricesque inferiorum formarum: in ratione uero hominis, formas substantiales cum aliquo materiae uestigio, easque corporibus insitas, quauis extra corpus a nobis intelligantur. Quocirca haec breuiter de ideis ita dixisse satis sit, quando in Parmenide Plato plura de ipsa disputat. Tertium genus locus est, qui interit quidem nunquam, sed omnibus quae gignuntur, sedem exhibet.) Quauis de materia multum in praecedentibus Plato dixerit, naturamque ipsius abunde explicauerit, tamen quia ipsam ab ideis informari, essentialemque formam accipere constat, qualis nam eadem sit, exemplo hic demonstrat. nec enim satis est caputem formarum, receptaculum uel ipsam nominare, sed quo nam pacto sit etiam, describere. Itaque materiam inquit locum esse quendam formarum. Nam quemadmodum locus, autore Aristotele, extrema est cuiusque rei superficies, corpus aliquod ambiens, quae ad eiusdem effigiem sese accommodat, cum eiusmodi formae minime sit: sic etiam materia cum omnium formarum sit expers, ita se aduenienti formae adiungit, ut eiusdem reddatur generis et qualitatis. siquidem a forma quantitatem, qualitatem, omnemque substantiam cum accidentibus materia habet, idcirco merito locus a Platone similitudine quadam dicitur. Nec enim is unquam materiam ὕλην eodem modo, quod alij, nominare solet: sed illud nomen eius discipuli inuenere, ut auctor est Chalcidius: sed modo receptaculum, modo matrem, subiectum, locum, nutricemque appellat. Ex quo constat, immerito Platonem ab Aristotele accusari, quod materiam locum uocaret. hic enim lib. 4. Physic. cum de loco disputat, Platonem reprehendit, quod materiam locum esse dixerit: quod tamen Platonis uerba retorques fecisse potius uidetur, quam ut illum uere refelleret. Nam Aristoteles saepe, ut Philoponus ac Simplicius testantur, sententias aliorum philosophorum immutat, ac suo modo reprehendit, id quod in hoc loco uidetur fecisse: cum tamen Plato similitudine quadam locum nominet materiam. Quam accusationem ne putes me in Aristotelem immerito rejicere, Simplicius etiam mecum consentit, ac Plutarchus lib. 1. de Placit. philosoph. his uerbis: πλάτων τὸ μεταλλαττικὸν τῶν αἰδῶν, ὅτι οὐκ ἔστιν μετεμορφῶν τῶν ὕλην, καθ' ἑαυτὴν τινὰ τιθεῖν, καὶ διαμορφῶν. Ecce igitur Plutarchus metaphoram uocari a Platone locum materiam inquit, non quod is uere locum esse illam censeat. At cur nam materiam adulterina ratione intelligi quasi in somniis, Plato dicit? Quoniam cognitio omnis nostra, cum a sensibus ad mentem progrediatur, tum simplicia apprehendit, tum illa eadem connectit. Primo enim hominem, equum, ceteraque res sensibus percipimus: deinde in imaginatione coniunctas ratio diiudicat, ac mens intelligendo comprehendit. At uero

materia, cum sensum omnem effugiat, solaque ratione intelligatur, adulterina dicitur ratione comprehendendi, quasi contraria et diuersa. Siquidem illius cognitio a sensibus ad intellectum non fit, ut est naturae ordo. Materiam enim non compositione intelligimus, ut res alias, sed dissolutione omnium qualitatum, quatenus animus indefinitum quiddam nullis conclusum terminis, sed uagum contemplatur. Qui sane intelligendi modus sturrius est, et ab ipsa animi natura alienus, cum ab ordine intelligentiae naturalis plane abhorreat. Quemadmodum ergo qui in somniis aliquid uidisse se putant, nullam tenent eius rei firmam cognitionem: ita qui materiae naturam contemplatur, nec sensibus ipsam, nec ratione certa comprehendit, sed indefinitate quadam animi, et dubio cogitandi modo, qui propter obscuritatem somnus a Platone hic uocatur, quoniam a uera peruigiliique natura uix possumus illum separare, hoc est, quia in eo intelligendi materiam modo incerti quodammodo sumus. Incertum enim quiddam, et indefinitum animus in materia contemplanda cogitat, lateque per eius descriptionem uagatur, cum nullo in loco ipsam esse certo cognoscat, neque in caelo, neque in terra, sed in uniuerso: non ut corpus, sed ut substantiae partem. Atqui haec Plato ad materiae naturam explicandam affert, modumque animi in eadem cogitanda declarat: in quo tamen eundem ferè percipiendi modum animo tribuit in materia cogitanda, atque alijs rebus. Nam cum rerum corporearum imagines extra corpus positas animus consideret, in eoque omnem concretionem corpoream adimat, ut imago pura maneat: sic in materia, quae essentiae pars est, consideranda qualitate omnem, ac formas semper aufert, atque in formitate quadam indefinitam cogitat. id quod nos docere Plato uolens, sic ait: Cum denique adhuc animo respicimus, somniamus quodammodo.) Id est, quoniam id omne quod animo concipimus, sensu prius capimus, idque in aliquo loco esse necessario ducimus: aut si non sit, uere idem esse non putamus, materiam quasi somnio quodam cogitamus: nec in caelo, terrae uel ipsam ponimus tanquam in loco, sed quasi subiectum quoddam uniuersi, ac substantiae locum. Atque has omnes, et similes passionem a peruigili uereque existente natura ipsi huiusmodi somnijs occupati secernere non ualemus.) Hoc est, in ipsa materia cogitanda, quauis adulterina quadam ratione utamur, diuersusque sit modus iste cogitandi a communi et consueto: tamen non adeo alienus est ab homine, quin materiam ipsam quodammodo intelligat, prout est substantiae rerum adiuncta. Nec enim eadem ab existente natura, id est substantia, quae uere est, discernitur, nisi ratione quadam uelut somnus: nec est ut Aristoteles docet, extra ipsam substantiam, quanquam seorsum imagnetur. Ex quo intellige, naturam uere existentem a Platone hic uocari substantiam, si cum materia, quae accidentario est, conferatur. Quemadmodum enim intelligibilia omnia uere entia dicebantur

tur à Platone in superioribus, corporea uerò nō entia respectu quodā: sic substantiam corporeā respectu materiae, uerē existentē naturā nominat. Ideo que nec discernere id etiam possumus, quod imagini quidē postquam id ipsum in quo facta est, nō ipse est, sed ea semper alterius fertur, simulachrum, non iniuria conuenit, ut in alio quodam sit, atq; ita quodammodo essētia fiat particeps, aliter uerò esse nullo modo possit.) Id est, Hoc modo materiam tanquam substantiā partem, diuersamq; ab ipsa substantia intelligimus, ut imago rei alicuius in speculo impressa, diuersa putatur ab ipso speculo, atq; hoc illā continet. In quo tamen cōsidera imaginem per se, ac speculum, unam quandam naturam non habere, sed diuersam: materiam uerò ac formam cōiunctā eiusdem essētiæ fieri, unamq; substantiam cōplere. Intelligimus enim hæc duo ratione quadam distincta, tamen si unum sint. Ergo materia per se aliter esse nequit, ut Plato inquit, nec à forma separari unquam potest, quamuis cogitatione seiungatur ab illa. Atque ad hanc Platonis similitudinem alludens Plotinus in lib. Quod incorporea non patiantur, formam imagini, materiam speculo comparauit. Ei autem quod uerē est, uera hæc et exquisita ratio suffragatur, docens quod dum res ita se habet, ut hoc quidē aliud sit, et illud aliud, neutrum in neutro unquam factum unum simul idem et duo fient.) Id est, Ne tamen intelligas materiam à substantia ita esse diuersam, ut eadē in illa insit ueluti subiecto, nec substantia rursus insit materiae: itaq; dum ambæ res seorsum per se aliquid sunt, altera sit in altera, unumq; fiat ex duobus. id enim fieri non posset, sed potius materiā partem esse substantiæ cogita, ita ut per se eadem nihil sit, nec ipsa per se, ac substantia seiuncta diuersæ sint res, sed ratione quadam. Siquidem substantiam omnem ex materia et forma constare dicimus, tanquam partibus ipsius, non quæ possint separari, sed quæ ratione diuersa intelligantur. Hinc ergo intellige, materiam et formam per se nihil reuera esse, sed quatenus composita aliquid efficiunt, nec id ipsum unum ex duobus est: tunc enim illa duo substantiæ partes essent, rursusq; materia alia et forma constarent. Nec etiam materiam subiectum uerē esse, formamq; accidere illi putes: sic enim forma esset accidens, et materia substantia: sed ambæ illæ unam quandam essentiam conficientes respectu separari cogita, quatenus materia subiicitur formis, et formæ materiam informant. Quæ de re plura apud Plotinum in lib. de Materia, et Alexandrum in libris Natural. Quæst.

Hæc tandem meæ mentis summam sententia sit, esse, & ante cœli ortū ratione triplici fuisse tria hæc, existens, locum, & generationē. Generationis uerò nutricem, ignitam & humefactā, terræ item & aeris formas suscipientē,

paffionesq; horū pedisse quas perperientem, omniformem aspectu uideri. Verū quia nec similibus neq; ad pondus exaquantis uiribus referta est, nulla ex parte æquilibrem esse, sed inæqualiter undiq; uergentem, declinantemq; ab illis quidem quæ diximus agitari, rursusq; ipsam commotam eadem agitare. Quo pulsu cōcita in diuersa raptari atque discerni, perinde ut quæ in frumenti purgatione pistorijs instrumentis iactata atq; excussa discerni uideamus, atq; aliò solida grauiāq; aliò rara & leuia ferri. Sic illa tunc quatuor genera ab ipso eorum receptaculo instrumenti illius pistorijs instar tumultuante & discernente cōmota, dissimilia quæque à dissimillimis longè separabantur, simillima uerò rursus coibant: atq; idcirco etiam ante mundi exornationem sedibus diuisa erant: sed neq; his ratio inerat, neq; modus. At uerò ubi cuncta redigi ad modū placuit, Deus ignem primò ac terram, aeremq; & aquam, quæ quidem elementorum præferebant uestigia, sed ita erant affecta ut par est illa, à quibus Deus abest, distinctis figuris, speciebus, & numeris exornauit. Ea uerò apud nos sententia semper rata indubiāq; præ cæteris habeatur, quod Deus illa cum talia non essent, quàm pulcherrimè optimeq; fieri poterat, ordinauit. Nunciam dispositionem genituramq; ipsorum singulatim demonstrari conuenit, nouo quidem & inusitato demonstrationis genere: sed uobis qui omnes eruditionis ingenuæ uias peragrauistis, plano atq; perspicuo.

Constitutis in uniuersum tribus rerum principijs, Deo, materia, forma: illo quidem tanquam efficiēte causa, in qua est idea: materia uerò ut subiecto effectiōis, forma ut simulachro facto ad ideæ imaginem: ipsam tandem uniuersi generationem aggredditur, quam in superioribus ita docuit, ut in ea prorsus effectoris Dei rationem habuerit, nullamq; illi naturam adiecerit: sed is propria ui cuncta produxerit. Nunc uerò ad rerum ortum magis explicandum, materiam eidem artifice subiicit tanquam matrem, itemq; formam substantialem materiæ adherentem quasi prolem ex illo procedentem, quæ materiam ipsam informat. Sic enim causæ hæc connexæ sunt, ut primò Deus ideam in se positam inspiciat, indeq;

indeq; formam essentialem proferat: deinde forma substantialis materiae inherēs ipsam informet, substantiamq; corpoream cōstituat: constituto demum iam corpore, qualitates primae consequantur, ex quarum mixtione tum elementa tum ipsum uniuersum constat. Itaq; tria fuisse ante natum mundū principia inquit Plato: τὸ ὄν, id est ens, siue Deum, et ideam illi adiunctam, quem unico nomine unum ens appellauit in Parmenide: χῶρον, id est locum, siue materiam, ut formarum receptaculum: γένεσιν, id est formam à Deo productā, ueluti partum. Eadem autem principia triplici ratione ante mundi ortum non reuera fuisse, Plato dicit, quia mundus aeternus cum sit, nullam compositionis suae causam temporariam habet, quamuis tria illa principia cogitentur.

Age uero, quo nam pacto haec principia fuisse ante natum mundum dicit? aut qua triplici ratione cogitantur? Quemadmodum simplices partes compositis priores esse dicimus, nō quod illae re aucte fuerint, sed quia ratione quadam intelligantur: ita mundus quamuis aeternus, quia compositus ex partibus intelligitur, partes illas compositionem ipsius praecedere cogitamus, quamquam reuera non praecesserint. Quatenus enim ex se Deus ab aeterno mundum ad sui exemplar effecit, Deum ac ideam praecessisse dicimus: quatenus uerò generationi cuius subijci aliquid necesse est, materiam artificii subiectam fuisse ab aeterno cogitamus. Deniq; quatenus formā ipsius mūdi ab aeterno principio Deus protulit, materiaeq; induxit, producta esse forma dicitur. Quo fit, ut trium illorum principiorum triplex sit etiam cogitatio. Eadem enim illa ante mundi ortum dicuntur fuisse, quod deductionis modò non ex se, sed ab alio compositus sit mundus idem, ut fusius in praecedentibus explicuimus. Generationis uerò nutricem ignitam, et humefactam, terrae item et aeris formas suscipientē.) Quemadmodū forma in materiam inducta, substantiam ipsam perficit: sic idea uniuersalis formas ipsas producat, cuncta informat, singulasq; distribuit qualitates, simul cum iisdem formis. Nam si formae inherētis materiae adueniū consequuntur qualitas, quantitas, accidentiaq; omnia: multo etiam magis formae productionē ab idea promanantē accidentia consequi necesse est. indeq; fit, ut essentialis forma, quam idea procreat, non nuda, sed qualitatibus omnibus corporeis praedita, proficiat ad materiam. Quinetiam Platoniorum sententia in idea Deo insita qualitatū omnium ideae singulares sunt, quemadmodum et ipsarum formarum. Nam ideae quidem, ut auctor est Plotinus in lib. de Ideis, proprie quaedam potestates menti insitae sunt eius rei, per quas eadem uariē informatur, diuersasque qualitates recipit. Quapropter cum Deus, inquit Plato, mundum hunc producere uoluisset, mundusq; quatuor ex elementis constet, elementa uerò ex quatuor primis qualitatibus, ac demū qualitates ex formae materiaeq; connexionē, primò

quidem materiam sibi subiecit: deinde ad ideae suae imaginem afficiens, formas una cum qualitatibus protulit, elementaq; quatuor effecit. Ergo ut quatuor illorum animalium, quos antea retulimus, quatuor in Deo erant ideae: ita quoq; quatuor elementorum, ex quibus constat uniuersitas, totidem sunt, quas omnes, auctore Simplicio, idea una communis coninet. Ideae enim omnes singulārū rerum in Deo una sunt, quod Plotinus docet, quia Deus ipse unus est: quòd autem ad res sensibiles informandas attinet, illae multae sunt. Quare in Deo ignis, aeris, aquae, terraeq; ideae erant: et ab idea illa non solum ipse elementorum formae emanarunt, sed qualitates simul cum illis. Atqui hac in re Plato, ut Simplicius testatur, Empedoclem imitatus fuisse uidetur, uel Epicharmum, ut Diogenes Laertius ait: quoniam ille quatuor elementa initia rerum statuit, ita ut mena eadē informaret, cunctaq; ex ijs produceret. Quo nomine, ut ad uerba Platonis explicanda nos conuertamus, generationis, inquit, nutricem ignitam, uel humefactam, aut terrae, aerisq; formas suscipientem, productam à Deo fuisse, id est materiam informatam, igneaq; qualitate, aut aerea, aquea uel praeditam ex Deo esse productā, quia formas una cum qualitatibus materiae siue nutrici Deus inducit, id quod apertius Plato explicat his uerbis. Passionesq; horum pedissequas perpetiemem omniformē aspectum uideri.) id est, Qualitates, accidentiaq; Deus simul cum ipsis formis produxit, effectūq; ut elementa propter qualitates ijs formis praedita esse cereremur. Nam per qualitates, et accidentia, substantialem rei formam cognoscimus, quando illae solum in aspectum cadunt: haec autem sensum omnem effugit. Igitur materia uariē à Deo informatā, diuersas qualitates induit, ex quarum concretione elementa constituuntur. Verum quid nec similibus, nec ad pondus exaequatis uiribus referta est.) Ad mundi constitutionem non modò elementa orta esse oportet, sed ordine etiā singula disponi: ideoq; Plato, cum diuersam elementorum naturam esse dicat propter uarias illorum formas, diuersum quoq; illis ordinem tribuit. Antea enim illa cum primum essent à Deo informatā in materia ipsa, quasi confusa erant in chaos quodam: postea uerò ab eodem artifice distincta, et in diuersas regiones distributa sunt. Atque eo modo, ueluti in frumenti purgatione cribantur, ut Plato inquit, grana, purgataq; à sordidīs seiunguntur: ita in illa elementorum confusione leuia sursum, graua deorsum dimissa sunt, sicq; ordo unicuique suus est tributus. Quapropter minime quidē intelligas, Platonem hic confusum illum chaos proposuisse, ita ut secretionē corporum mundus efficeretur, ut Hesiodus et Heraclitus asseruere: sed ordinem naturae in rebus efficiendis ostendere uoluisse. Nam ut confusa ordinatis priora sunt: ita mundi corpora in confusa quadam materiae informatione fuisse prius dicuntur, postea uerò Dei beneficio



cio in sua loca distribuuntur: id quod ante Platonem retulit, cum ex inordinata deductam esse in ordinem corpoream substantiam, in mundi ortu, dixit. Quamvis enim idem mundus eternus putetur, ratione quadam tamen natus dicitur, atque aliquando ex materia formaque confuse procreatus, antequam in ordinem deduceretur. Quia in re manifeste Plato, Trismegistum imitatur, qui in Pimandro Deum informasse inquit materiam, deinde uero corpora omnia uniuersi in suum locum disiunxisse, ac in ordinem redegisse. Quod etiam rationi maxime conuenit. Primo enim res informis, esse debet: deinde uero pulchre, ordinateque fieri. Et mundus ac eius partes ex informi prius materia sunt constitutae, postremo in ordinem dispositae. Sed hinc tamen ex Platonis uerbis Aristoteles argumetur lib. 3. de Caelo, fieri non potuisse, ut ante mundi ortum inordinatus ille motus elementorum esset, quando motus esse ante natum mundum non potuerit. Quibus rationibus satis in superioribus respondimus, ac nunc etiam respondemus: Platonem hic non de motu uere loqui, nec inordinationem illam reuera fuisse ante mundum asserere, sed ad illius constitutionem explicandam ab eodem tradi. Idem quoque Aristoteles in eo libro in Platonem inuehitur, quod materiam aliam elementorum diuersam posuerit. Quod profecto Plato uere non sensit, neque usquam affirmauit: imò uero eandem esse materiam elementorum satis aperte docet, cum illam inquit confuse informatam, uariisque formis praeditam, distinctam à Deo fuisse, et pistori instrumenti exemplo in uarias mundi partes distributam esse. His itaque obiectionibus omisis, Platonis interpretationem sequamur. At uero ubi cuncta redigi ad modum placuit, Deus ignem primo, ac terram, aeremque et aquam. Constituit iam elementis, et à se inuicem discretis, datus est unicuique locus is, qui eiusdem naturae maxime conueniret. Nam cum singula naturales motus ab essentiali forma emanantes nata essent, locum sibi maxime conuenientem obtinere. Itaque leuia sursum, grauius deorsum sponte delata sunt. ignis siquidem et aer supremam petunt regionem, aqua uero et terra infimam ac mediam uniuersi. In quo etiam aduerte, Platonem semper ignem ac terram ueluti duo extrema primo ubique statuere, deinde aerem et aquam media illis interponere. Iam uero elementa ipsa ita esse disposita inquit, ut par est illa, à quibus Deus abest, disponi. Quasi diceret, pro natura sua cuique elemento conuenientem locum tribui, ita ut leuissima in sublime, grauius deorsum tenderent. Cum enim elementorum alia sint alijs subtiliora, aliaque diuino exemplari propter naturae subtilitatem magis accedant, quae tenuissima sunt, et spiritui similia, ut ignis et aer, supremum mundi locum, qui Deo caelum incolenti proximus est, obtinent: quae uero densissima crassissimaque, ut aqua, terra, infimum tenent. Vnde non ab

re quidam caelum non corpus solidum, sed subtilissimum, ignemque ipso tenuius esse dixere: quorum à numero fuisse Auicenna uidetur, qui formam quandam quantitati solum subiectam, soliditateque carentem illud esse asseruit. Cum ergo diuersae sint elementorum qualitates, diuersaeque naturae, non modò loca uaria obtinuisse dicuntur à Platone, sed etiam figuras, formas ac numeros diuersos habere. Sic enim ait: Distinctis figuris, speciebus, et numeris exornauit. Itaque singula elementa et figuras diuersas, et formas, et numeros à natura habet. figuras quidem, quia, ut dicemus in sequentibus, quaedam elementa unius figurae sunt, quaedam uero alterius: formas uero, quòd cuiusque elementi forma diuersa sit à formis aliorum, ut ex eius qualitatibus contrariis constat: numeros denique, quoniam unumquodque corpus numero distinguitur ab alio. Vnde corpora omnia tribus his, figura, numero, et specie constant, quando quantitas figurae alicui necessario subiicitur, et forma essentialis ipsummet corpus constituit, ac numerus certa quadam definitaque essentia definitur. Ea uero apud nos sententia semper rata, indubiaque praeter ceteris habeatur, quòd Deus illa, cum talia non essent, quam pulcherrime optimeque fieri poterat, ordinauit. Quamuis corporearum rerum generationem Plato doceat, semper tamen ad primam causam intelligibilem siue exemplar recurrit: quod in hoc loco facit. nam cum elementa genita à Deo esse dixisset, antequam singulorum explicet generationem, eadem inquit ad optimi exemplaris similitudinem fuisse facta. Siquidem elementa ex se, quatenus materia constant, bona non sunt: cum materia semper ad malum, hoc est priuationem inclinet: sed participatione quadam diuini exemplaris bona, pulchra, ordinataque sunt. ordinatio enim, ac pulchritudo, ex similitudine ideae nascitur: ex materia uero, confusio, et ordinis carentia. Quibus ita propositis, ipsam tandem singulorum elementorum generationem à Platone traditam exponamus.

Principio quòd ignis & terra, aqua & aer, corpora sint, nemo utique dubitabit. Omnis autem corporis species profunditatem habet. Profunditatem uero planis constare necessarium est. Rectitudo porro planae basis ex triangulis constituitur, atque trianguli omnes ex duobus initium habent, habentibus utrisque rectum angulum unum, acutos duos. Quorum alter utrinque anguli recti partem obtinet, aequalibus distincti lateribus: sed in altero inaequalibus. inaequalia distribuuntur. Igitur per rationes probabiles necessitati coniunctas incedentes, ignis ceterorumque corporum huiusmodi ponamus exordium. Superiora


Superiora uerò his horum principia Deo nota sunt, atq; ei qui Dei sit amicus. Videamus igitur, qua potissimū ratione quatuor corpora pulcherrima fiant, dissimilia quidē inter se, sed quæ in se inuicem dissoluantur, & ex se inuicem generentur. Si id comprehenderimus, ueritatem ipsam de generatione ignis terræq; & eorum quæ competenti ratione seruata, horum media sunt, tenebimus. Tunc enim nemini concedimus, dicēti alicubi esse oculis patentia pulchriora his corpora; quorum quodlibet secundum unum sit genus. Conandum igitur quatuor corporum generapulchritudine præcellentia cōstituire, atq; ita asserere horum nos naturam sufficienter comprehendisse. E duobus quidem triangulis isosceles, id est qui cruribus constat æqualibus, unam habet naturam: qui uerò altera parte est oblongior, infinitas. Ergo si rectē exordiri uolumus, infinitorum quoq; pulcherrimum præligere nos oportet. Ac si quis pulchriorem à se electum ad horum cōstitutionē asserere uoluerit, eius non tanquam aduersarij, sed tanquam amici sit sententia potior. Vnum itaq; reliquis posthabitis, triangulorum multorum pulcherrimū ponimus, à quo æquilater triangulus ex tertio constitit. Ratio uerò cur ita sit, prolixior esset. At eum qui diligenti discussione ita esse comperiet, dulce manet uictoriæ præmium. Propositi sane nobis sint duo ē multis trianguli, ex quibus ignis cæterorumq; corpora cōposita sunt. Horum unus isosceles sit æqualibus cruribus constans triangulus: alter uerò sit ille, qui longius latus semper breuiore latere potentia triplo maius habet. Verum quod securi nimium in superioribus diximus, nunc magis est distinguendum. Videbatur quidem nobis, neq; id quidem satis rectē, omnia quatuor genera ex se inuicem generari. Profecto quatuor genera ex triangulis, quos eligimus, generantur. Tria quidem ex uno, inæqualia habente latera. Quartum uerò unicū ex triangulo isoscele componitur. Nō igitur possunt omnia ita in se inuicem

resolui et cōmutari, ut ex multis paruis pauca ingentia uel econuerso efficiantur. Tria certē possunt. Cum enim ex uno hæc facta sint omnia, quando maiora soluuntur, multa exigua ex eisde constituantur, paruas congruasq; sibi figuras adepta. Rursus, quando multa per triangulos disperguntur amplificata, unum unius molis faciunt numerū, magnāq; aliam speciē unā perficiunt.

Cum in rei cuiusq; generatione primò subiiciatur materia, deinde inducta illi forma, essentia perficiatur, quantitate, alijsq; accidentibus adiunctis, in his itidem Plato elementorum naturam explicare uolens, primò compositionem eorum ex materia et forma declarauit generatim: nunc corporum, magnitudinumq; ipsarum rationem docet. Qua de causa cum eadem, inquit, elementa corpora sint, corporaq; omnia triplicem habeant magnitudinem, longitudinem, latitudinem, crassiciem, illa etiam tribus his terminis cōstare necesse est. Atqui hoc principii in uniuersum statutum sit ad ipsorum elementorum ortus, naturas, figurasq; magis explicandas. Quod etiam imitatus Aristoteles lib. 1. de Cælo, id initio statuit, corpus omne solidum tribus illis magnitudinibus necessario contineri. diuidit enim res naturales uel in corporeas, uel in corpore carentes: et corporearum quidem generis omnia esse solida confirmat. Ergo ratione quadam corpora omnia longitudine, latitudine, crassitieq; constant: quia figuram habere illa necesse est, figuraq; omnis eorum trium aliquo termino continetur. Itaq; si corpus solidum, ut Geometra docent, in terminos, ex quibus cōponitur, resoluatur: seorsumq; planities, longitudo, crassitiesq; intelligatur: planities magnitudinis initium erit, quando complectitur longitudinem. nam si latitudini crassiciem addas, solidum efficitur corpus. Vnde Geometra primò planarum figurarum cōmensurationem docent, deinde solida corpora constituant: id quod in suis libris fecit Euclides. Quapropter cum elemēta solida sint corpora, solidumq; omne ex planis componatur, ad ostendendam elementorum generationem Plato Geometrarum ordinem sequitur, figurasq; planas eorum esse principia docet, ita ut ex diuersis planorum formis elemētorum corpora constituantur. Qua in re Aristoteles lib. 3. de Cælo Platonem reprehendit, quod elemētorū principia plana esse dixerit, itemq; Alexander Aphrodisæus lib. 2. Quest. natural. Quorū argumenta Proclus, dicato in eam rem libro, refutauit: quando ad explicandam elementorum corporum naturam figuris Geometricis usus fuerit Plato, non quod uerè ex illis constare illa censuerit, quemadmodum nec animam ē numeris componi asseruit. Quamquam Simplicius minime dissentire in ea re Platonē ab Aristotele dicit, sed eandem rem ambos existima-

re: uerior tamen sententia est, Platonem hic Pythagororum exemplo corpoream elementorum naturam figuris Geometricis demonstrare uelle, tum ut corporum magnitudines ostēdat, tum ut eorum explicet constitutionē. Rectitudo porro planae basis ex triangulis constituitur, atq; trianguli omnes ex duobus initium habent. Planas figuras solidarum esse basim ac fundamentum, et hic Plato docet, et Geometrae omnes affirmant. Quoniam uero planae ipse lineis continentur, principia quidem figurarum omnium sunt rectilineae figurae, de quibus Euclides tanquam reliquarum fundamēto prioribus in libris differit. Sed cum eadem ad triangulos, qui figurarum omnium initia sunt, reducantur, principia inquit Plato elementorum esse planos triangulos. Nam ut omnes figuras ex triangulis componimus, ita elementa ex triangulis componi ueluti initijs dicuntur. Quibus ita breuiter propositis, causas nos generationis elementorum triangulis accomodemus, ut illorum naturas inde cognoscamus. Pythagorici, ut Simplicius in libris de Caelo, ac Proclus lib. 2. Commēt. in Euclidem docent, cum figuras omnes Geometricas, numerosq; naturalibus rebus accommodassent, triangulum generationis rerumq; genitarum principium esse dixere, quemadmodum ipsemet est figurarum initium. Quo nomine Timaeus Pythagoricae disciplinae imitator, elementorum generationis triangulos esse principia docet. quatenus enim elementa transmutationum, mixtionum, ac resolutionum naturalis corporis initia sunt, triangulis componi dicuntur, qui tres habent angulos ijs tribus uiribus respondentes. Atqui hoc in uniuersum de triangulo elementorum communi principio dicitur. nam singulorum uires singularibus, proprijsq; figuris designantur. Et ut uariae sunt triangulorum formae, ita quoq; diuersae elementorum uires, quas omnes una quaedam communis uis quasi genus continet: nimirum esse elementum, in quo tres haec uires subiectae, transmutatio, mixtio, et resolutio, tribus trianguli angulis comparantur. Itaq; ut triangulus genus est multorum triangulorum, ita elementum, id est principium esse, commune est omnibus generationibus. Vnde cum septem sint formae triangulorum, in quas diuiditur triangulus, auctore Proclo, septenarij numeri commoditas in rerum constitutione declaratur. Primo

enim quasi genus proponitur triangulus: huic ut formae subiiciuntur, isosceles, isopleuron, scalenus, orthogonius, amblygonius, oxygonius. Ex quibus per triangulum ipsum tanquam commune genus intelligimus entia omnia, ex quibus non modo elementa, sed reliqua etiam componuntur: per reliquas triangulorum species, uarias entium naturas. ut per orthogonium, id quod genitis elementis substantiam praebet: per amblygonium, discrimen omne tribui rebus: per oxygonium, diuisionem, secretionemq; perpetuam elementorum in rerum generationibus: per isopleurum, cuncta equabiliter contineri, modumq; obseruare: per isoscelem, praestantiora inferioribus excellere. duo siquidem equalia eius latera praestantiorum equalitatem inter se, basis uero inaequalis inaequalitatem praestantium cum inferioribus significat. per scalenum deniq; omnia uariē, et pro sua quaeq; forma ad generationem tendere. Quare haec omnia triangulorum genera septenaria constant diuisione, et ad trium quorundam triangulorum formas uelut capita reducantur, ad isoscelem, scalenum, et isopleuron: ex quorum diuersis commutationibus, septenarius ille triangulorum numerus oritur. Nam scalenus quidem, et isosceles, trifariam sumpti, sex triangulorum formas efficiunt: isopleurus autem solus septimam complet formam. Atqui haec omnia de triangulis a nobis breuiter tradita, ad naturam sublunarem explicandam a Pythagoricis proponuntur: quod in sequentibus latius docebimus. Sed ne horum triangulorum formas, dum illis utimur frequenter, quisquam ignoret, singulas definiamus. Itaq; isopleurus triangulus, ut Euclides ait, est, qui tria latera habet equalia: isosceles, qui duo solum latera equalia: scalenus, qui tria latera inaequalia: orthogonius, qui unum habet angulum rectum: amblygonius, qui unum obtusum: oxygonius, qui tres acutos. Igitur isopleurus solum propter angulorum acumen est oxygonius: isosceles diuersa ratione uel orthogonius esse, uel amblygonius, uel oxygonius potest. Itemq; scalenus easdem tres formas potest assumere. Ex quo sequitur, solum isopleurum unius esse formae: isoscelem uero, et scalenum, in sex formas diuidi. Quae triangulorum genera ad elementorum ortus explicandos ita proposuisse, satis sit.



His ita propositis de triangulorum formis, illud interim dubium est, quod in Platonis questionibus querit Plutarchus, cur, cum mundi figura rotunda sit, elementaq; rotunda, figuris utatur Plato rectilineis ad eorundem generationem explicandas

Quoniam id quod rectum est, natura prius intelligitur, quam quod in orbem circumducitur: siquidem circulum rectis lineis metimur, et a medio ad ambitum rectae lineae ducuntur. Itemq; minora cum inijs propinquiora sint, rectae lineae, quia minores,


CURVAE,

curvas, quæ maiores sunt, præcedit: ac demum circuli omnes in rectilineos triangulos reducuntur, contraque trianguli nunquam in circulos. Ex quo fit, ut principium omnium figurarum sint rectilinea. curuari enim lineas, accidentarium est: cum elementorum proprium non sit, rotundæ figuræ esse, sed accidentariū. Nam cum eadem naturali motu vel sursum vel deorsum recta ferantur, si in rotundam figuram mutantur, moueanturque in orbem semper, id fit propter cæli cuncta ambientis rotunditatē. Si quidem idem cum sit rotundum, semperque in orbem moveatur, elementa secum raptā eiusdem reddit figuræ, hoc est rotundæ. Atque ideo Auerroes ignem ait, et aerem, motu mixto ex recto et obliquo constare. Unde ignis sursum semper delatus, cum in cælum occurrat, ab eodem circumuoluitur in orbem: eodemque modo aer, et reliqua elementa. Huc etiam accedit, quod mundi anima, ut in lib. de Cæli motu refert Plotinus, in se semper manens, et mota omnem elementorum molem attrahit, et in rotundam cogit figuram. quia proprium eius est, dispersa colligere, ac retinere: quemadmodum hominis anima corporis membra constringit calore suo, ne luxata dissolutaque sint. Has ob causas elementa rotundæ figuræ natura sua non sunt, sed propter cæli cuncta ambientis rotunditatem. quod idem Auerroes lib. 2. Comment. in Aristotelis librum de Cælo confirmare uidetur, cum rotundam figuram accidentariō inquit elementis inesse, cælo uero essentialiter. Sed ut Platonis uerborum interpretationem aggrediamur, Cum planæ (inquit) figuræ corporū omnium tam rotundorum quam aliorum initia sint, ac eadem rursus triangulis rectilineis cōponantur, triangulum certē corporum omnium initium esse constat, quando ex eo omnes componuntur. Iam uero cum trianguli ipsi in tria cadant genera, aliarum formarum trianguli in isopleuron, isoscelem, et scalenum, relicto scorsum isopleuro, qui unica tantum formæ est, omnes quidem alij ex duobus initium habent: ex eo nimirum qui unum habet rectum angulū, hoc est ex isoscele: et ex illo qui duos habet acutos, id est scaleno. Nam etsi isosceles actu rectangulus non sit, est tamen potestate, quatenus ex duobus constat equalibus lateribus: inter quos si linea perpendicularis ad basim erigatur, rectangulus fit. In scaleno autem, quia latera sunt inæqualia, anguli inæquales sunt. His duobus triangulis isoscele et scaleno tanquam figurarū aliarum principijs traditis, ad ipsam elementorum generationem Plato accedit, quam rationibus probabilibus necessitati adiunctis ostendere uelle dicit: quoniam Geometricis demonstrationibus, quæ necessariam habent probationē, elementorum figuras docens, probabilem eorundem generationem reddet. Siquidem in ipsorum generatione probabilitas solum postulatur, nec ulterius quicquā tradi potest. in generationis uero modo, quatenus à figuris Geometricis petitur, demonstrationis inesse

necessitas. Hoc igitur modo de elementis, inferioris mundi partibus, tractaturum se pollicetur Plato. nam cœlestem illam, inquit, naturam, quæ supra lunam est, nemo facile tradet, præterquam is cui Deus priuato beneficio id uelit aperire. Videamus igitur, quæ potissimum ratione quatuor corpora pulcherrima fiant. Hoc est elementorum generationis exordium. Nam statutis iam ijs quæ diximus, ut initijs, causas cur elemēta orta hoc modo sint, aut quo pacto inter se misceantur, reddit. Ideoque ait, Consideremus in primis, cur quatuor elementa tam pulchra præstantisque naturæ sint facta, cur uel inter se differant, cum in eodem misceantur subiecto, et ex mutua ipsorum mixtione cuncta gignantur, et in illa ipsa resoluantur. His tandem declaratis, quatuor esse pulcherrima elementa, quibus nulla alia corpora inferioris naturæ præstantiora sint, cōcludemus. Sed nos ipsam elementorum generationem ingrediamur. E' duobus quidem triangulis isosceles, id est qui cruribus constat equalibus, unicam habet naturam: qui uero parte altera est longior, infinitas. Cum ad elementorum generationem figuras solidas in planas resoluat, planasque in triangulos rectilineos, duo in his Plato triangulorum genera, scalenū et isoscelem, quasi principia reliquorū sumit, ut ex eorum compositione elementorum formationes edoceat. Hos autem duos triangulos potissimū assumit, tum quia rectanguli sunt, tum quod ad illum proximè accedunt, ideoque generationi planarum figurarum accommodantur. Nam æquilaterum, cum nullam habeat rectum angulū, minus aptum constitutendis planis figuris est. Et ut elementorum alia quidem longissimè inter se distant, alia uero media interijciuntur: ita quoque eorundem triangulorum alij diuersi inter se prorsus sunt, alij uero mediij. Proindeque scalenus et isosceles diuersissime naturæ sunt: ille enim pyramidem, cuius est ignis, figuram constituit: hic uero cubicam, cuiusmodi est terra. Quantum ergo ignis à terra, tantum ab scaleno isosceles distat. Terram uero cum alijs elementis Plato permisceri negat, propter eius crassiciem: et idcirco unicū illi triangulum isoscelem tribuit, qui cubicam figuram efficit. Nam quatuor isosceles quadratū efficiunt, sex autem plana quadrata cubum. Hac de causa unicam esse isoscelis formam, ab alijs elementorum figuris diuersam dicit: quam hoc loco propterea relinquit, quod aliorum elementorum ignis, aeris et aquæ mixtiōes mutuas à terra diuersas tradere uult. quæ cum ex triangulo scaleno cōstent, de illo prius differit. Sic enim Plato inquit: E' duobus quidem triangulis isosceles unam habet naturam. Hoc est, de terræ generatiōe, quæ cubica constat figura, postea dicitur: simulque de isoscele, siue æquicruro triangulo, ex quo cubus componitur. prius tamen de trium elementorum, ignis, aeris, et aque generationibus, quæ ab uno scaleno triangulo, siue altera parte longiori componitur, tractabi-

mus. hic enim infinitas habet naturas, ut Plato inquit: hoc est, varijs modis commutatur, atque ita efficit diuersa elementorum corpora. Ex quibus omnibus fieri uult, ut elementa illa tria, ignis, aer, aqua, propter naturæ communionem inter se solum componantur, & commutentur, atque ita ex una trianguli scaleni figura consent: terram uerò, utpote grauem ac densam, minimè cum illis commutari, componi uel dicit, sed diuersæ naturæ esse: ideoq; illam unicam cubi figurâ ex equicruro triangulo cõstitutam habere, ut deinceps docebimus. Sed nos de trium illorum elementorũ generatione prius differamus. Ergo si rectè exordiri uolumus, inferiorum quoq; pulcherrimum præligere nos oportet.) Quando tria elementa, ignis, aer, aqua, inter se solum commutantur, uariasq; rerum ac infinitas formas edunt, de mutationibus, compositioneq; illorum prius dicamus, siquidem infinita et uniuersalia priora sunt singularibus. In quo tamen probabilitate quadam contemum se esse Plato inquit, ita ut ad optimi, pulchriq; exemplaris similitudinem hoc modo cõstitutam esse elementa doceat. nam si quis uellet firmiorem eius rei rationem reddere, ueluti ab amico eam accipere se dicit. Ex quo magnam Platonis modestiam cõsidera, ut nihil arroganter, temere uel efferre audeat, sed summa modestia sententiam suam proferat: ut in alijs locis sub Socratis persona facit frequenter. Vnum itaq; reliquis post habitis, triangulorum multorum pulcherrimum ponimus, quo æquilaterus triangulus ex tertio consistit.) Aequam ignis, aeris, & aquæ generationes edoceat, trianguli scaleni, ex quibus illa constant, naturam explicat: distinguitq; ab isoscele, ex quo terra componitur. illam igitur pulcherrimum elementorum trium initium statuit, quoniam elementa eadem forme præstantia, & tenuitate naturæ præstantiora sunt terra: præstantiorum autem optima, pulcherrimâq; principia semper sunt. Quo fit, ut quanto ignis, aer, & aqua terram superant, tanto sit præstantior scalenus triangulus isoscele. Sed tu hanc pulchritudinem non in figura ipsa ponas (sic enim quamlibet figuram pulcherrimam quisq; pro libito iudicaret) sed ad exemplaris optimi similitudinem potius refer. Nam ut antea præstantiora esse elemēto illa dixit, quæ cœlo, ubi est Deus, proximiora sunt: ita nunc pulchriora esse illa eadem inquit. Itemq; scalenum triangulum, ex quo illa constant, pulcherrimū uocat: quoniā exemplar & ideam Plato tum ipsum bonum, tum pulchrū uocare solet, ut in Phædone, locisq; alijs, & Plotinus etiam in lib. de Pulchritudine confirmat. At uerò cur Plato triangulam æquilateram ex tribus scaleni partibus constare dicit? sic enim ait: A quo æquilater triangulus ex tertio constitit.) Quoniam, ut Alcinoüs explicat, scalenus triangulus est, qui tres angulos habet inæquales, cuius longius latus secundum longitudinem minoris est duplum, quod propterea semitri-

num à Timæo dicitur, quod isopleuri trianguli dimidium sit, si linea perpendicularis ab illius uertice ad basem ducta bisariā secetur. Itaq; scalenus triangulus, primò æquilateros triangulos efficit: ex ipsis demū æquilateribus elementa tria fiunt, id quod Timæus in lib. de Mundo docet. Sed interim tamen, quāuis Plato huius proportionis rationem inter scalenum & æquilaterū explicare nolit, nos breuī demonstratione ex Euclidis lib. 13. declaremus, quoniam pacto longius latus æquilateri trianguli potestate sit triplum minoris lateris. Primò describatur æquilaterus triangulus A B C intra circulum, à cuius centro ad ambitum ducantur due lineæ æquales, nimirum ex centro D, lineæ D A & D E. Quare in illo triangulo æquilatero descripti minores trianguli, & inter se ad basim oppositi æquales sunt, ut ex 8 13 & 4. proposit. lib. 1. Euclidis patet. ideoq; media linea A E, quæ totum æquilaterum diuidit, perpendicularis est ad triangulos inferiores B E D, & C E D. Hanc igitur perpendicularē triplam esse potestate dictum ad lineam minorem D E, à centro ad basim ductam. Nam tetragonum, quod ex illa eadem D E fit in E B, basim inferioris trianguli, æquale est triangulo B D C. item tetragonū quod fit ex A E, in E B, æquale est toti æquilatero triangulo. Sed cum idem triangulus æquilater triplus sit ad minorem triangulum D B C, erit etiam quadratum, quod fit ex A E, maioris æquilateri lateris in E B triplum, ad illud quod ex D E in E B fit. Igitur cum quadrati A E, in E B ducti, ad triangulum D E, in E B descripti proportio sit, ut ex lib. 6. Euclidis proposit. 1. constat, sicut A B est ad E D, eodem sanè modo inter A E & E D tripla est proportio. siquidem A E media trianguli æquilateris tripla est ad lineam E D, à centro ad basim eiusdem descriptā. Ex quo fit, ut cum idem æquilateri trianguli latus potentia sit triplum ad lineam à centro circuli ad basim illius deductam, si in eadē scalenus describatur, latus ipsum æquilateri triplum sit quoq; illius: quod hic breuiter innuit Plato.



Atqui hanc demonstrationem Timæus in suo libro his uerbis attigit: τὸ δὲ ἀνισόπλευρον, ἔχει τὰν μέγιστον ἀνωτάτην τριπλασίαν τὰς ἐλάσσονος, ὃ δὲ ἐλάχιστον οὐκ αὐτῇ γυνίαι, τρίτον ὁρῶν ἐστὶ διπλασίον

πλάσια δὲ τὰς τρεῖς αἰσῶν. δύο γὰρ τρίτον ἀδελ-
 φία, αἱ δὲ μέγιστα ὄρθα, αἰμιόλιος μὲν τὰς μέσας
 δαστα, τριπλασία δὲ τὰς ἐλαχίστας. τὸτο δὲ ὅρ τὸ
 τρίγωνον, αἰμιόλιον ἐστὶν ἰσοπλευρὸν τρίγωνον δι-
 χαζόμενον παδίῳ, ἀπὸ τὰς κορυφῶν εἰς τὰν βά-
 σιν, εἰς ἰσὰς μέρη, δύο ὀρθογώνια μὲν ὡς ἐντὶ ἑκατέ-
 ρῳ, ἀλλὰ οὐκ ὡς μὲν τὰ δύο πλυσταῖ, τὰ περὶ τὰν ὀ-
 ρθὰν μόναι ἴσαι. ἐν ᾧ δὲ τὰς τρεῖς πᾶσαι αἰσῶν, σπο-
 λὸν δὲ τὸτο μὲν παλείδω. Ecce igitur præcepto
 Timæi triangulus æqualiter in duas partes diuisus,
 duo triangula dimidiata, interposita perpendiculari
 linea, efficit: ex quorum alterutro diuiso à centro
 æquilateri ad angulum communem, scalenus fit, ex
 tribus lateribus inæqualibus, cuius totus ipse inte-
 ger æquilater potentia triplus est. Hanc igitur ob
 causam cum elementorum generationem explicare
 uelut Plato, duoq; illorum principia statuat, scale-
 num, & isoscelem: hoc in posterum relicto, scale-
 num inquit principium esse trium elementorum, i-
 gnis, aeris, aquæ: ita ut ex ipso tanquā minimo æqui-
 later triangulus cōponatur, ex æquilatere demum
 ipsa elementa. Quibus ita propositis, Platonis uer-
 ba interpretentur. Propositi sanè nobis sint duo
 è multis trianguli, ex quibus ignis, cæterorūq; cor-
 pora composita sunt. Id est, Omnium elementorū
 duo sunt principia: isosceles nimirum triangulus,
 qui equalibus cruribus constat, terræq; generationi
 accommodatur: & scalenus, qui ex isopleuro diui-
 so constituitur. idem enim, ut Plato inquit, Lon-
 gius latus semper breuiore latere potentia triplo
 maius habet: hoc est, isopleurum ipsum, siue æquila-
 ter triangulus, si diuidatur, uti demonstrauimus, la-
 tus habet triplum potentia minoris lateris iam diui-
 si. cuius tamen demonstrationem, utpote ad locum
 hunc minimè pertinentem, Plato ait se uelle omitti-
 re: quando cum qui demonstrare illam cupiat, dulce
 maneatur uictorie præmiū, hoc est, demonstrationis
 uoluptate quasi præmio uictorie delectaretur. Sed
 hoc tamen in loco minimè intelligas, in triangulo
 scaleno maius latus triplum esse minoris, sed in æqui-
 latero diuiso in scalenos. scaleni enim æquilateri
 partes sunt, ut ex demonstratione patuit: ideoq; à
 Timæo & Plutarcho scalenus αἰμιόλιον, id est
 medius triangulus uocatur. Profecto quatuor ge-
 nera ex triangulis, quos elegimus, generantur, tria
 quidem ex uno inæqualia habente latera, quartum
 uerò unicā ex triângulo isoscele componitur. Cum
 duo sint elementorum initia, scalenus, qui tria habet
 inæqualia latera, & isosceles, qui duo equalia cru-
 ra: ex illo quidem tria elementa fiunt, ignis, aer, a-
 qua: ex hoc uerò solum terra, quod nos latius in eo-
 rum compositione docebimus. Non igitur pos-
 sunt omnia ita in se inuicem resolui, & commutari,
 ut ex multis paruis pauca ingentia, uel econuerso
 efficiamur, tria certè possunt. Traditis in uniuersum
 elementorum principijs, pauca de illorū trans-
 mutatione prius disserit, ut singulorum generatio-

nes tradat. Ait enim, tria solum elementa, ignem, æ-
 rem, & aquam, in se mutuò commutari: terram au-
 tem per se ipsam existere, nec ullam cum illis com-
 munionem habere. ideoq; illorum trium unicum sta-
 tuit principium, nimirū scalenum triangulū, huius
 demum diuersum aliud ab illo priori, uidelicet iso-
 scelem: cuius rei causam afferens, dicit elementa illa
 tria mutuò commutari, quia eadē maiora cum sint,
 ex multis paruis constent. Quod ut nos melius ape-
 riamus, ipsam elementorum mixtionē prius expli-
 cemus, deindeq; uerba Platonis interpretabimur.
 hæ enim ante elemētorum generationem ab eodem
 tradūtur. Elementa omnia cum qualitatibus qui-
 busdam inter se conueniant, eandemq; habeant ma-
 teriam, uariè inter se mutātur. ignis enim in ærem,
 & aqua in uentos, aut hi rursus in illam conuertun-
 tur. Quo fit, ut qualitatibus elementorum commu-
 tatis, & elementa ipsa mutantur. Ad hanc mutuam
 eorum mutationem explicandam, Plato triangulo-
 rum compositionibus utitur: docetq; ignem, ærem,
 & aquam, propter communes qualitates inuicem
 solum commutari: terram uerò inmutabilem omni-
 no esse, quando cum nullo alio mutari potest. Cui ta-
 men sententiæ lib. 3. de Cælo Aristoteles, et Alexan-
 der Aphrodiseus repugnant: quòd elementorum
 transmutatio non in figuris corporum, sed in qua-
 litatibus fiat. Quod quidem, si rem intelligere ue-
 limus, Platonice opinioni nō aduersatur. Siquidem
 per triangulorum commutationem qualitates mu-
 tari inter se, elementaq; regenerari dicit. Primas e-
 nim aliquas elementorum qualitates esse, non trian-
 gulos, Platonici norunt: ac per hos illas explicari
 Pythagorici censebant, idemq; in his Plato existi-
 mat, ut nos fusius in sequentibus dicemus. At que-
 res fortasse, cur terram cum reliquis tribus elemētis
 mutari neget Plato, quando illius qualitates com-
 munes cum aliorum qualitatibus sint? Huic obie-
 ctioni Proclus respondens, terram inquit, utpote im-
 mobilem, cum alijs non mutari. nec enim terra in al-
 iam terrā mutatur, quæ cum ueluti cinis, aut calx
 natura sua sit, idcirco mutatur. quòd aeris, uel aquæ
 admixtum aliquid habeat. Vnde si propter qualita-
 tes eadem in aliud mutetur, id quidem nō ex se, sed
 accidentariò fieri confirmat. Quæ etiam de causa
 terram deorum antiquissimam à Platone uocari, i-
 dem testatur. Quæ cum ita sint, tria, inquit Plato,
 elementa inter se mutuò commutari possunt, quan-
 do ex uno cōstant triangulo scaleno: id est, cum ean-
 dem habeāt materiam, formasq; inter se simillimas,
 quibus cōmunes sunt naturales qualitates. Quo no-
 mine causam commutationis elementorum reddens,
 inquit: Quando maiora soluantur, multa exigua
 ex ijsdem constituuntur, paruas congruasq; sibi fi-
 guras adeptæ. Id est, Cum ignis, aer, & aqua te-
 nuissimæ naturæ sint, ex paucis, exilibusq; substan-
 tiæ partibus constant, maioraq; tum raritate, tum
 amplitudine corporis sunt. Nam rariora corpora,

ut ignis et aeris, maiora sunt densioribus: et initio magna corpora exigua sunt, postea uero incremento augentur mirum in modum. Itaque tria illa elementa propter partium suarum tenuitatem ex paucis constare dicuntur: propter raritatem autem, et magnitudinem, maiora uocantur. quod Timeus etiam in suo libro significat, cum igni *λεπτομέρειαν*, id est partium tenuitatem tribuit. Vnde considerandum est, Platonem hic elementis qualitates illas tribuere, quas initio retulimus, igni nimirum et aeri tenuitatem partium, terre uero et aquae crassiciem. Atque ita elementa inquit maiora paucioribus, siue tenuioribus partibus componi: id quod ex illorum resolutione constat. ex una enim aquae parte duae aeris partes fiunt, et ex una portione aeris duae quoque ignis. Quare tenuiora corpora propter raritatem maiora sunt, tenuioribusque partibus siue paucioribus, ut loquitur Plato, constant. sic enim idem ait: *ἐκ γὰρ οὐδὲς ἁπλῶς πικρότα, λευκώταρ τε τῶν μεζόνων ποικίλα σμικρὰ ἐκ τῶν αὐτῶν συστήσεται, διχομόνα τὰ πρὸ σθένος ὁχύματα ἐαυτοῖς, καὶ σμικρὰ ὅταν ἄν πολλὰ κατὰ τρίγωνα διασπαρῇ, γονόμενος εἰς ἀριθμὸς, ἐν δὲ ὅγκῳ μέγα ἀποτέλεισθαι αὐτὸ ἄλλο εἶδος.* Quamobrem haec nos breuiter de elementorum transformationibus proposuisse satis sit. eadem enim in sequentibus fusius dicentur.

Haec utique de mutua ipsorum generatione dicta sint haecenus. Reliquum est, ut qualis quaeque eorum facta sit species, & ex quibus concurrentibus numeris coaceruata, dicamus. Erit utique prima species, quae ex paucissimis composita fuerit, elementum eius, quod latus oblongius breuiori latere duplo maius habet. Cum uero bini huiusmodi secundum diametrum componantur, tertium id fiat, & diametri latera beuiora in idem quasi centrum ducantur, unus triangulus aequaliter ex triangulis numero sex conficitur. Trianguli autem aequilateres quatuor compositi secundum ternos planos angulos, unum solidum faciunt angulum: qui angulum planorum omnium obtusissimum deinceps ortu subsequitur. Atqui triangulis huiusmodi quatuor natis, prima solida species totius circumferentis distributiva in partes aequales ac similes oritur. Secunda uero ex eisdem quidem triangulis, sed secundum aequilateres triangulos octo constitutis, unum facientibus solidum angulum ex planis quatuor, factisque sex huiusmodi, corpus secundum absoluitur. At tertium ex elementis bis


sexaginta copulatis, & angulis solidis duodecim, quorum quilibet quinque planis triangulis aequilateribus continetur, habens uiginti aequilateres bases, nascitur. Iam igitur elementum alterum sic haecenus ista genuerit. Verum isosceles triangulus quarti generauit naturam, secundum quatuor constitutus, & ad centrum rectos congregans angulos, unumque quadrangulum aequilaterem faciens. Sex uero huiusmodi copulati angulos octo solidos, quorum quilibet per tres planos rectos coaptatus est, effecerunt. Corporisque ita constituti figura cubica facta est, sex planos quadrangulos aequilateres bases adepta. Est & quinta quaedam compositio, quae Deus ad uniuersi constitutionem est usus, eaque descripsit & figurauit: quae contemplatus aliquis, non absurde dubitauerit, utrum infinitos esse mundos, an finitos existimandum sit. Infinitos quidem dicere, illius putabit esse proprium, qui nullam rerum cognitione dignarum peritiam habeat. Sed utrum unus mundus, an quinque reuera nati sunt, inquirere, minus utique putabit absurdum. Ratio quidem nostra unum ipsum uerisimili probatione asserit esse natum. Alius uero quis, ad alia respiciens, aliter opinabitur. Sed haec dimittenda sunt. Et iam genera quatuor a nobis paulo ante digesta, in ignem, terram, aquam, aeremque distribuamus. Terrae cubicam speciem assignemus, nam omnium quatuor maximè immobilis terra est, & corporalium omnium compacta maximè. Tale uero illud praecipue factum esse necessarium est, quod firmissimas tutissimasque possidet bases. In triangulis porro a principio positus, qui aequilateres sunt, firmitiorem tutioremque, quam in aequilateres, basem possident. Et quod ex utroque compositum est planum aequilateri aequilateri quadrangulum, certe triangulo tam quoad totum, quam quoad partes, stabilius necessario prouenit.

Communem elementorum mixturem in praecedentibus Plato docuit, quo nam pacto in materia essent a Deo informata: et quo modo tria illa, ignis, aer, aqua, ex uno nascerentur principio. nunc singulorum


gulorum generationes exponit. Nam cum sola terra ex crassissimis substantiæ partibus conflata sit, tria; reliqua ex subtilissimis constituantur, ab igne omnium subtilissimo initium sumit, cuiusque generationem in primis declarat. Is igitur cum ex omnium tenuissima substantia sit factus, trianguli scaleni figura constat, cuius maius latus minoris duplus est: ut et nos antea, et hic Plato dicit. Quoniam autem triangulus scalenus reliquorum, quibus alia constât elementa, minimus, simplicissimusque est, igni accommodatur, quod hic omnium elementorum purissimus ac tenuissimus sit. Quamvis enim reliqua duo elementa ex scalenis primò componantur, quia tamen ignis subtilior est, paucioribus scalenis constare dicitur. Hic demum scalenus et aliorum elementorum, aeris atque aquæ corpora efficit, et ignem ipsum, qui pyramidem habere figuram à Pythagoricis dicitur. Pyramis autem ex quatuor constat æquilateribus triangulis, ipsa demum æquilatera ex sex scalenis. Nam resoluta igneo corpore, quod solidum est, in figuras planas, sex quidem scaleni unum æquilaterum efficiunt: quatuor autem æquilatera unam pyramidem solidam, cuiusmodi est ignis. Itaque tota ignis constitutio vigintiquatuor scalenos habet, si unicuique æquilatero illorum quatuor sex scalenos assignemus. Atque hoc modo compositum esse ignem Plato inquit, his verbis: Erit utique prima species, quæ ex paucissimis composita fuerit, elementum eius, quod latus oblongius breviori latere duplo maius habet. Id est, primum quidem elementorum est ignis, qui cum tenuissimæ naturæ sit, ex paucissimis triangulis constat. triangulorum enim multitudo corporis densitate hic indicat, ut paucitas tenuitatem. Eiusdem præterea ignis principium est scalenus triangulus, cuius longius latus duplum est minoris. Cum uero bini huiusmodi secundum diametrum componantur. Id est, cum duo scaleni simul sumantur circa eandem æquilateri diametrum, seu lineam perpendicularem. Terque id fiat. hoc est, duo illi ternario numero multiplicati, sex efficiant scalenos. Et diametri latera breviora in idem quasi centrum ducantur, unus triangulus equaliter ex triangulis numero sex conficitur. Id est, si pyramidem quadrangularem, cuius quatuor latera ex triangulis quatuor æquilateribus constituuntur, describas, triangulaque æquilatera in illa descripta rursus diuidas in sex scalenos, unus efficitur triangulus ex sex scalenis constans. Quamobrem ut hæc eadem, quæ nos diximus de ignis compositione, clarius doceamus: primò respondebimus quorundam obiectionibus, qui Platonem accusant, quod pyramideæ figuræ ignem esse dicat, cuiusque ueram sententiam explicabimus: deinceps Geometrica demonstratione ignis figuram ex scalenis et æquilateribus constitutam ostendemus: postremo, quomodo scaleni maius latus minoris sit duplum, et quanam ratione compositio illa binorum triangulorum secundum

diametrum fiat, Platonis testimonio, in hoc loco demonstrabimus. Aristoteles lib. 3. de Cælo, atque Alexander Aphrodisæus cum secutus, ignem non pyramidis figuram habere, sed rotundum esse, ueluti uniuersum, rationibus multis probat. Idem confirmat Theophrastus in lib. de Igne, cum causam inquirerit, cur ignis acuminatus semper sit: idque non illius naturæ, sed imbecillitati tribuit, quod in superiori parte ob imbecillitatem flammæ angustio rem figuram efficiat. Sed his omnibus Pythagorici Platonicique sese obijcientes, non pyramidem esse ignem, sed similitudine quadam propter celeritatem, acumenque ita dici asserunt. Ut enim pyramis acutissima omnium figurarum est, maximeque mobilis: ita quoque ignis, qui eiusmodi naturæ est, illi comparatur. Nec enim Plato, ut Iamblichus docet, uerè istas Geometricas figuras elementis tribuit, sed similitudine quadam, utpote Geometriæ studiosus, id fecit. His accedit naturalis motus ignis, qui non in orbem, sed rectè sursum sit, pyramidemque figuram efficit. Unde natura sua eiusmodi figuræ esse illum, dubium non est: ac Plotinus etiam affirmat in libro de Motu cæli, in quo ignem uel cælestis motus in orbem constringi, rotarique dicit, cum sursum tendere obstaculo cæli nequeat. Id ipsum denique in Quest. Platonici Plutarchus, ceterique Platonici testantur. Ex quo constat, non immerito Pythagoram, deinceps Platonem pyramidis figuram, tum propter tenuitatem, tum propter leuitatem, igni tribuisse. Quare uera Platonis sententia est, ignis tenuissimam, leuissimamque naturam in pyramide figura ostendere. hæc enim mobilis admodum, acutaque maxime est: quod igni permultum conuenit, ut Apuleius et Diogenes Laërtius annotant. His propositis, pyramidem ipsam ex Euclidis demonstrationibus describamus. Primò describatur circulus A B C, cuius centrum sit D, intra quem cadat triangulus æquilater A B C. per 2. proposit. lib. 4. Diuidatur præterea triangulus ille æquilater à centro D, in tres alios singulares triangulos sibi inuicem æquales, nimirum in A D, et C D, et B D. Quoniam ergo totus ille triangulus æquilater A B C, ex hypothesi tria latera habet equalia, basis pyramidis intra circulum descriptæ est. Eodemque modo tres illos singulares triangulos intra æquilaterum descriptos, æquales ac æquilateros in solida figura effice: quando in plana nequeunt depingi, sed tales intelliguntur. Cum itaque tres illi trianguli et æquilateri, et æquales inter se sint, ipsaque basis ex hypothesi æqualis illis describatur: tota igitur pyramis ex quatuor triangulis æquilateribus constabit, tribus nimirum superioribus, et unica basi. quæ quidem figura igni propter mobilitatem et acumen à Pythagoricis accommodabatur. Iam igitur pyramidis figuram ex demonstratione descriptam habes. eadem enim, ut lib. 12. Euclides definit, est figura solida, planis comprehensa,

prehensa, ab una plana basi ad unum punctum quasi apicem fastigiata.




Cum ergo tota pyramis quatuor ex æquilateralibus triangulis constituta sit, si unumquemque angulum æquilaterum in sex scalenos diuidas, quod facile est, et demonstratione non eget, habebis id quod Plato postulat, hoc est, uiginti quatuor scalenos: cum unusquisque illorum quatuor æquilateralum sex habeat scalenos. Quos tamen, ne quid prætermittamus, hoc modo constitues. Describe triangulum æquilaterum ABC , cumque in duas partes æquales, excitata perpendiculari AEF diuide, per 9. proposit. lib. 1. Euclidis, habebis duos triangulos isosceles, æquales alteri alteri, per 4. prop. eiusdem libri. Hoc ita statuto, à duobus angulis æquilateri trianguli deduc duas lineas æquales, quæ se in puncto E secet, perueniamus ad puncta G H . Quoniam ergo in toto isto triangulo æquilatero sex sunt trianguli, ique in-



æquales siue scaleni, ac inter se ipsos æquales, habes id quod postulas. nec enim prolixiori demonstratione omnia tradi oportet, cum satis sit sex illos scalenos descripsisse.


Quod si demum omnes illos quatuor æquateros in pyramide scriptos hoc modo diuidas, unicuique eorum undè quatuor sex scalenis accommodatis, tota pyramis uigintiquatuor scalenos habebit. Quæ cum ita sint, reliquum est, ut id quod nos ultimò proposuimus, uideamus: quæ nam ratione in triangulo scaleno maius latus minoris sit duplum. Describatur triangulus æquilater ADC , diuidaturque in duas æquales partes, excitata linea perpendiculari ab apice trianguli ad basim in puncto B . fiatque triangulus scalenus ABC : constituto demum triangulo scaleno, ducatur linea ab illius maiori angulo ad maius latus, nimirum BE , quæ basi æqualis sit, ipsumque maius latus in duas æquales partes secet, ita ut triangulus æquilater BEA constitutur. Quoniam ergo latera omnia illius æquilateri equalia sunt, latus quidem EC æquale erit basi BE , quia eiusdem æquilateri equalia latera sunt. Præterea cum EC latus media pars sit, ex hypothesi maioris lateris totius scaleni trianguli: ergo idem latus æquale est relique me-

diæti eiusdem lateris, nimirum $E A$. Quod si autem due illæ partes æquales sunt, et altera æqualis erat basi, ut patuit ex superioribus: ergo illarum unaquæque, seorsum sumpta, æqualis eidem basi erit. Quo nomine totum illud maius latus AEC , simul sumptum, duplū erit minoris lateris siue basis BC , quod



demonstrare decuit. Hæc igitur ratioe scaleni maius latus, minoris esse duplū demonstrare possumus: eodēque ferè modo in reliquis scaleni formis ex lib. 10. Euclidis progredi licebit.


Ex eadem quoque demonstratione possis intelligere, quo pacto bini scaleni secundū diametrum componantur, Platōnis præcepto: terque id fiat, ut sex scalenos habeas. Nam si in æquilatero triangulo perpendicularem ab apice ad basim deducas, quam diametrum hic uocat Plato, et in utroque scaleno, qui est à latere, tres scalenos describas, totus æquilater sex scalenos continebit, qui circa eandem diametrum siue perpendicularē positi sint, hoc modo:



Ecce igitur in altera medietate trianguli æquilateri tres sunt scaleni trianguli, qui simul cōiuncti, sex efficiuntur, ut Plato nobis præcipit. Trianguli autē æquilateres quatuor cōpositi secundū ternos planos angulos, unum solidum faciunt angulū. Id est, pyramis, uti diximus, ex tribus æquilateralibus in cuspidem eleuatis, et una basi constat. Ac singuli quidem illorum quatuor æquilateralium plani sunt, cōiuncti autem in cōmuni apice pyramidis solidū unum angulū efficiunt. siquidem solida corpora ex planis sunt: et anguli solidi, qualis est apex pyramidis, ex planis angulis constituntur: quemadmodum Euclides lib. 11. prop. 23. demonstrat, cum ex tribus planis angulis unum solidum effici præcipit. Iam uerò idem ille angulus solidus pyramidis, obtusissimus omnium planorum, ex quibus componitur, esse à Platone dicitur, tum quia totum partibus suis sit maius, tum quod maiori lateri obijciatur. Nam, ut ex Euclidis prop. 13. lib. 1. patet, cum maiori lateri maior angulus opponatur, pyramidis apex siue angulus solidus multo erit maior angulis planis, ex quibus componitur: quia basis pyramidis integer æquilater est, et quasi longius latus. Hoc modo ergo totus angulus pyramidis solidus ad ignis acumen refertur, totaque pyramis ignis compositionem significat, ut nos hæcenus docuimus. Sed iam ad aliorum elementorum compositionem deueniamus. Secunda uerò ex eisdem quidem triangulis, sed secundum æquilateres octo constitutis, unum facientibus solidum angulum ex planis quatuor, factisque sex huiusmodi, corpus secundum absolutur. Post ignis generationem explicatam, æris compositionem Plato adiungit. quo-

nam


nam pacto ex iisdem initijs, nimirum scaleno triangulo, constitutur. Nam propter naturae similitudinem, quam ignis habet cum aere, ex iisdem inquit scalenis factum esse illum, sed mutata tamen figura. Siquidem ignis ex quatuor equilateribus pyramidem constituentibus factus dicitur: at uero aer ex octo equilateribus est compositus, ideoq; octaedra illi figura conuenit. Quare in ipsa quoq; pyramide octaedrum constitui, quatuor alijs equilateribus additis, potest. Nam ut ex lib. 15. Euclidis prop. 2. constat, in pyramide quatuor equilaterorum triangulorum octaedrum describere facile est, si descripto prius cubo, pyramidem insuper illi inscribas: ut cum cubi prius descripti anguli sint idem cum angulis pyramidis, ac rursus in superficie octaedri omnes cubi anguli sint, eo modo octaedrum in pyramide collocetur. Sed huius rei demonstratio quia longa est, et ad hunc locum non admodum pertinet, omittatur. Itaq; aer propter naturae tenuitatem crassiorem ignis subtilitate secundo loco ponitur, et ex octaedra figura componi dicitur. idem enim, ut Apuleius testatur, secunda uelocitatis post ignem est: ac per octaedram figuram, quae secunda naturae est post pyramidem, significatur. Ipsum autem octaedrum hoc modo fit ex 14. prop. lib. 13. Euclidis. Describatur circulus A B C D, in cuius medio describantur quatuor equilateri trianguli, in centrum circuli E quasi apicem desinentes. His praeterea quatuor equilateribus totidem alij quatuor ad basim subijci intelligantur. Quibus sic statutis, octaedra figuram ex octo equilateribus planis constitutam habebis, quod Plato indicat.



In hac figura plana, cum angulus ille communis ac solidus E, rectius describi nequeat, nec reliqui quatuor equilateres eadem forma his respondentes ad basim depingi, figuram quandam solidam cogita, quae in superiori parte quatuor habeat equilateres triangulos in unum solidum angulum concurrentes, in parte uero inferiori totidem alios his respondentes, ita ut unicuique superiorum alter inferiorum rectè opponatur. Atqui hoc modo aeris compositio per octaedrum, id est figuram solidam octo basium facta sit. Quoniam autem octaedrum ipsum ab

utraq; parte, concurrentibus quatuor illis equilateribus triangulis, insolidum angulum definit, unum inquit Plato solidum angulum ex quatuor equilateribus triangulis constitui. Cum etiam unusquisque triangulus equilaterè sex constet scalenis, quemadmodum antea diximus, ipsius quoq; octaedri bases omnes equilaterae ex sex constabunt scalenis, scorsum sumptae, ita ut totum octaedrum ex quadraginta octo scalenis constet, quod duplum est ipsius pyramidis, quae uiginti quatuor solum complectitur. Hanc ob causam Plato inquit, Facisq; sex huiusmodi, corpus secundum absoluitur. Id est, sumptis octo equilateribus triangulis, quorum singuli sex habent scalenos, aer secundo loco post ignem est factus. Haec demum aeris effectio est post ignis generationem. Quid autem per figuras huiusmodi Plato significet, clarius in sequentibus dicemus. At tertium ex elementis bis sexaginta copulatis, et angulis solidis duodecim, quorum quilibet quinque planis triangulis equilateribus continetur, habens uiginti equilateres bases, nascitur. Tertia elementum generatio ex eadem materia, qua duo superiora sunt effecta, est aqua. haec autem icosaedram habere figuram, id est basium uiginti, à Platone propter eius lenitudinem dicitur. Constat enim illa ex uiginti triangulis equilateribus, ex quibus aer et ignis componitur. Cum etiam unusquisque triangulus equilater, ut diximus, sex scalenos contineat, certe si uiginti equilateros in senarium numerum scalenorum ducas, bis sexaginta scaleni, hoc est, 120 proueniunt, qui totam icosaedram figuram constituunt. iisdem enim à Platone bis sexaginta elementa nominantur, quasi prima initia, ex quibus non modo aqua, sed reliqua etiam duo elementa componuntur. Igitur primo totum icosaedrum ex 120 scalenis constat, tanquam primis initijs. ex his rursus fiunt uiginti plani equilateri, ex iisdem praeterea duodecim pyramides, siue pentagoni trianguli solidi duodecim. Atque hoc modo ex Platonis uerbis icosaedrum fit, quod ex Euclidis demonstrationibus lib. 13. describi hoc pacto potest. Esto circulus A B C D, in cuius medio per 11. propos. lib. 4. ponatur pentagonum equilaterum, seceturq; idem aduerso pentagono alio simili circa circuli ambitum. Hoc facto, angulos illos utriusque pentagoni circuli ambitum contingentes, rectis quibusdam lineis connecte, habebisq; decagonum. nam unaquaeque linea illarum, quae circuli ambitum attingunt, latus decagoni est. Praeterea ex centro E circuli, deduc rectas lineas ad utriusque pentagoni angulos, habebisq; decem lineas ad decem angulos decagoni deductas. Haec porro lineae aequales esse lateribus utriusque pentagoni debet, ut trianguli omnes sub illis comprehensi equilateres sint: siquidem tota icosaedri figura uiginti basibus triangulorum equilaterorum debet constare. Quod si ergo ab utroque solidi illius icosaedri latere decem huiusmodi equilateres triangulos planos efficias, habebis icosaedrum: quod


quod cum in plana figura depingi exactè nō possit, satis est utcumq; illius descriptionem attulisse. eandē enim apertius lib. 13. prop. 16. Theon apud Euclidem demonstrat.



Hactenus igitur trium elementorum generationem docuimus, quo pacto singula ex triangulis scalenis uariè coniunctis efficerentur: quandoquidem ignis ex uigintiquatuor cōstat scalenis, aer ex quadraginta octo, aqua ex centum et uiginti. In quo tamen haudquaquam Plato intelligit, uti diximus, elementa ipsa figuris ijs constare, talia uē illa esse: sed ad ipsorum naturam ostendendam id fecit, quoniam corpora sunt, ac corpus omne figura aliqua constare necesse est. Itaq; ut ex scalenis tanquam primis initijs pyramis, octaedrum, et icosaedrum constituantur: sic quoq; ex unius substantiæ tenuissimis partibus quasi triangulis, tria hæc elementa, ignis, aer, aqua constant. Itemq; ut figura illæ tres magnā inter se habent proportionem, et ex ijsdē scalenis, et æquilateribus, quamuis numero differentibus, componuntur: ita illa elementa magna inter se naturæ similitudine, quod ad motum, mixtionem, qualitatesq; attinet, connectuntur. Quare pyramis, quoniam subtilissima, penetrans, ac semper sursum eleuata est, ignis tribuitur naturæ: octaedrum uerò, quia non eque tenue ac mobile ut pyramis est, ad aerem 40 refertur, qui proximè ad ignem accedēs, non ita mobilis ac subtilis est. Porro icosaedrum, quia pluribus cōstat angulis, faciliusq; rotari quā sursum efferrī uidetur, ad aquam duobus alijs elemētis crassiorē, ac fluentem, minime uerò sursum petentem, accommodatur. Ergo qui earum trium figurarum compositiones, proprietatesq; perspexerit, elementorum trium generationem rectè similitudine quadā agnoscat. His ita explicatis, ad reliqua progrediamur. hæc enim latius in sequentibus explicabūtur.


Verum isosceles triangulus quarti generauit naturam, secundum quatuor constitutus, et ad centrū rectos congregans angulos. Absoluta trium elementorum, quæ commune sui exordium habent, tractatione, ad quarti elemēti, nimirum terræ, generationem accedit. De qua quidem seorsum ab alijs superioribus differit, quoniam terræ natura diuersa

ab illis est, et cubus à superioribus figuris differt. Et ut illorum trium unicum posuit initium triangulum scalenum, ita quarti huius isoscelem adfert. Hunc autem triangulum ab illo prorsus differentem, quater acceptum, planum efficere quadratum inquit, et ex planis sex eiusmodi quadratis cubum, qui terræ accommodatur. Nam si quatuor triangulos isosceles ita componas, ut æquales eorundem bases æqui distent, omnesq; illorum anguli acuti in unum punctum cōcurrant, quadratum planum efficitur. Atque hoc modo, illo iam constituto ex quatuor isosce libus, cubum facile cōstitues, si solidum efficias quadratum, quod propriè Latini tesseram uocant, Græci uerò cubum. Sed ut in hac nos figura idem quod in alijs faciamus, quadratū prius ex quatuor isosce libus cōponamus, deinde ex ipso cubum efficiemus. In primis itaque quadratum ex quatuor isosce libus sic efficitur. Estō circulus A B C D, in cuius area per proposit. 6. lib. 4. Euclidis quadratum de- 20 scribatur. diuidatur porrò quadratum ipsum à centro E circuli, deductis quatuor lineis ad quadrati angulos, in quatuor isosceles triagulos. iam sic probabimus, quadratū illud ex quatuor isosce libus constare. Omnes lineæ quatuor sunt ex eodem centro ad circuli ambitum: ergo sunt inter se æquales. Itē, omnia illa quatuor latera quadrati æqualia inter se sunt ex hypothēsi: ergo, per prop. 4. lib. 1. Euclidis, uniuscuiusq; isosceles trianguli in quadrato comprehensi duo quelibet latera æqualia sunt lateribus alterius, et basis quoq; basi. Ex quo fit, ut quatuor illi trianguli isosceles sint, cum æqualia habeant latera, et quadratum unum efficiant. quod hoc modo breuiter demonstasse oportuit.



His ita demonstratis, cum quadratum plana sit figura, cubus uerò solida, idēq; sex quadratis constet: reliquum est, ut cubum etiam eodem modo constituiamus. sic enim elementorū omnium figuras demonstrauerimus. Constituatur quadratū ex equalibus lateribus planum, A B C D, fiatq; ex altera parte quadratū aliud illi æquale B D E F, itemq; ab alia parte quadratum ijs duobus æquale A B F G. His præterea tribus quadratis totidem alia equalia, et æquidistantia subtus respondere intelligantur,

tur, quando describi nequeat. His absolutis, cubum
 è sex quadratis constitutum habebis, ut Plato postulat.



Hec est igitur cubica figura ex quadratis sex pla-
 nis, quorum unumquodque quatuor constat isosceli-
 bus, composita: quae propter stabilitatem, naturamque
 incommutabilem terrae tribuitur, ut Apuleius, cete-
 rique Platonici declarant. Itaque cubus, siue tessera,
 cum sex quadratis planis constet, octo habet solidos
 angulos, quos eadem plana quadrata efficiunt, ut ex
 proposita iam figura cernere licebit. Quinetiam in
 eodem cubo ab utraque parte tres sunt quadrati pla-
 ni, ad angulos rectos excitati, ut in precedenti fi-
 gura cernit: qui simul coniuncti sex sunt, totamque
 cubi figuram complectuntur, id quod in his Plato in-
 dicat. Sex uero huiusmodi copulati angulos octo
 solidos, quorum quilibet per tres planos rectos co-
 aptatus est, effecerunt. Id est, sex illi quadrati pla-
 ni, cum ex utroque latere ad angulos rectos sint exci-
 tati, ut in figura superiori patet, cubum perficiunt.
 sed de elementorum compositione geometrica haec
 sint haecenus dicta. Est et quinta quedam com-
 positio, qua Deus ad uniuersi constitutionem est u-
 sus, eamque descripsit, et figurauit. Post elemento-
 rum generationem explicatam, ultimo de caeli com-
 positione, quod omnia continet, differere debuisse.
 sed cum eius rei inquisitio difficilis sit, atque ut antea
 dixit, solis istis cognita, qui Deo amici sunt, eam in
 praesentia omittit: illamque solum eiusdem causam red-
 dit, quod caelum Deus constituerit ad uniuersi con-
 stitutionem: id est, ut ipsum uniuersa complectere-
 tur ambitu suo, mundumque totum compleret, quem
 communi etiam nomine caelum solemus nominare.
 interim tamen ex Platonico sententia intellige coe-
 lum dodecaedram figuram habere, quod proxime
 ad rotundam accedat, quodque in duodecim signa Zo-
 diaci diuidatur. Et quamuis elementa diuersarum fi-
 gurarum esse uideantur, intra unum tamen circuli
 ambitum includi possunt, quemadmodum Euclides
 latius lib. 13. et 14. et 15. probat: qui solida corpo-
 ra diuersarum figurarum in circulo includi posse de-
 monstrat. Ex quo fit, ut cum uniuersi caeli ambitus
 rotundus sit, diuidaturque in partes duodecim, sub se
 reliquas elementorum figuras, quas diximus, compre-
 hendat. Cuius rei etiam afferri hic possent Geometri-
 cae demonstrationes, omittendae nunc sunt, ne longius
 extra rem digrediamur. At cum mundi natura ea
 sit, ut omnia contineat, eodemque cuncta contineri non

posse uideantur: hinc fortasse dubitaret aliquis, ut
 Plato inquit, mundus ne unus esset, an plures? Nam
 qui rerum singularum, quas in mundo effecit Deus,
 naturas considerat, multos esse mundos putabit, ut
 Democritus, atque alij: siquidem et species rerum
 multae sunt, et natura in multis singularibus cernit-
 tur. Ex quo, non unum, sed plures esse mundos con-
 cluderetur, quemadmodum apud Plutarchum in lib.
 de Oraculis iam deficientibus, uerisimilibus rationi-
 bus probatur. sed cum probabilius sit multo, unum
 esse mundum, quando eius artifex unus est, quod an-
 tea docuimus, nihil hac de re amplius dicendum ui-
 detur. Verum quae nam de causa quinque esse mun-
 dos, hinc posse dubitari dicat Plato, Plutarchus in
 illo libro eleganter docet. Nam quimario, inquit, nu-
 mero natura ipsa, resque omnes naturales potissime
 constant. et sensus animalium quinque sunt, faculta-
 tesque animi quinque, digiti manuum ac pedum quin-
 que, caeli zone quinque, harmoniae interualla totidem,
 omnia denique quimario numero uidentur facta. Ex
 quo liquet, mundos esse quinque probari posse, quan-
 do eandem rationem habet totum, ac partes. Sed
 ne plura de mundi pluralitate dicamus, satis sit an-
 tea probasse conuenientibus rationibus, mundum u-
 nicum esse, quamuis diuersae illius partes sint. Nam ut
 materia quantum ad se totam una est, quantum ad
 partes uero, multiplex: ita mundus uniuersus est u-
 nus, eius uero partes multae. Quatuor enim elemen-
 ta, quatuor mundi partes sunt: caelum uero, quod om-
 nia complectitur, est quinta pars. Ex quo constat,
 Aristotelem Platonis exemplo caelum appellasse quin-
 tam essentiam. idem est enim quintum elementum, ut
 Plato uocat: et quinta essentia, ut Aristoteles. Sed
 haec, ut Plato inquit, nunc dimittenda sunt. Et iam
 quatuor genera a nobis paulo ante digesta in ignem,
 terram, aquam, aeremque distribuamus. Omnia di-
 sputatione de caelo, de quo multa in superioribus di-
 xit, ad elementa redit Plato: ac quicquid de quatuor
 figurarum generibus generatim differuit, elemento-
 rum naturis hic accommodat. illas enim figuras, ut
 saepe monuimus, proprias esse horum elementorum
 Plato minime affirmauit: sed ad trium illorum, ignis,
 aeris, aquae tenuitatem, mobilitatemque, ac naturae si-
 militudinem explicandam, illis usus est. Quod nunc
 latius demonstrans, quatuor illa (inquit) figurarum
 genera superius a nobis tradita, pyramis, octaedrum,
 icosaedrum, cubus, in quatuor elementa diuidantur,
 ita ut unicuique illorum elementum unum assignetur.
 Ergo ut ab ultimo incipiamus, cubus terrae tribui-
 tur: quoniam ut cubus solidissima figurarum omnium
 est, ac maxime stabilis, ita quoque terra ex omnibus
 elementis deorsum semper tendens, firma in medio
 consistit, ceterisque omnibus densior est: eademque, ut
 Plutarchus docet, illam ob causam cubo tribuitur.
 Quinetiam ipsorum triangulorum, quibus ille qua-
 tuor figurae constant, permagna differentia est. sca-
 lenus enim mobilior est, ac leuior, ideoque tribus ele-
 mentis

mentis conuenit. Sed isosceles firmior cum sit, magisq; natura sua consistat, terræ compositioni confert. ex eo enim cubus figurarum omnium maxime stabilis componitur, quod Plato hic affirmat, dicens:

Et quod ex utroque compositum est planum æquilatere æquilateri quadrangulū.) Id est, quadratum planum ex quatuor isoscelibus planis compositum, stabilius est scaleno. Tam quod ad totum at tinet, quàm ad partes.) hoc est, Non modò planum ipsum quadratum, quod sexta cubi pars est, firmiori 10 bus constat triangulis, quàm reliquæ tres figure, sed totus etiam cubus firmior est. Quibus uerbis æquilatere hic non ut antea capit, sed pro isoscele. Aut codex mendosus est, et pro isopleuro legendū erit isosceles, nec enim æquilatere quadratum efficiunt, sic enim idem ait: βάσις δὲ αὐτὴ τῶν πλῆθυν τριγώνων ἰσοπλευρῶν κατὰ φύσιν, ἢ τῶν πλῆθυν τῆς τῶν αὐτῶν. τό, τι ἐξ ἑκατέρου συντεθεὶς ἐπίπλευρον, ἰσοπλευρὸν ἰσοπλευρῶν, τῶν τριγώνων κατὰ τὴν μέσιν, καὶ καθόλου γαστριματρῆος ἐξ αὐτῶν βιβναι. Hoc est, basis quidem præcedentium triangulorum, ut scalenorum, simplicior natura est, ac leuior, quàm isoscelum siue æquilaterorum: ideoq; isosceles æquilatere, et quadratum triangulo stabilius est. Itaq; hac ratione terræ firmitas, grauitas, densitasq; per cubi figuram explicata sit, quando non modò cubus ipse integer totius terræ firmitatem indicat, sed partes etiā ipsius, hoc est quadrati plani. Ergo, ut in summa dicam, terræ propter grauitatē cubus tribuatur, aquæ icosædru ob naturalem fluxu 30 diuim, aeri propter leuitatem octædru, igni propter acumen et subtilitatem pyramis.

Quamobrem si conuenientem probabilemque sequi rationem uelimus, terræ id tribuamus: aquæ deinde, quod tribus reliquis est immobilius: igni, quod mobilissimum: aeri, medium. Et corpus quidem minimum igni, aquæ maximum, aeri mediū: acutissimū quoq; 40 igni, secundum ab hoc aeri, aquæ tertium. Ex his omnibus quod bases paucissimas habet, uelocissimum esse necessarium est. Est enim ad penetrandū promptissimum, quippe cum prorsus sit omnium acutissimum. Leuissimum quoque, cum ex paucissimis partibus eisdem constet. Quod secundum est, secundo loco habeat hæc oportet. Tercio, tertium. Igitur secundū rectam probabilemque rationē pyramidis species solida elementum semenque sit ignis. Secundam uerò generatione speciem aeri, aquæ tertiam tribuamus. De his omnibus adeò paruis ita putandum est,

quòd si singula duntaxat singulorum generum capiantur, nullum eorū propter paruitatem cerni à nobis poterit: sin multa inuicem congregentur, eorū moles magnitudinesque cernentur. Quinetiam hæc omnia à Deo tanta ubiq; quoad multitudines, motus, atq; potentias proportionē exactē absoluta connexa sunt, quantam necessitatis natura libens & persuasa capere poterat. Ex omnibus sanè quorum genera suprā narrauimus, ita meritò ferres habere uidetur. Terra cum in ignem inciderit, eius acumine dissoluta fert: resoluta in ignem, aut aerem, aut aquā, quousq; partes ipsius congressæ iterū, sibiq; inuicem copulatæ terrā reficiāt. non enim in aliam unquam speciem transmigraret. Aqua præterea ab igni uel aere diuisa in partes, unum, partibus suis reconciliatis, ignis corpus, aeris duo facit: portiones uerò aeris, ex una dissoluta parte duo ignis corpora faciunt. Rursus quando ignis ab aere uel aqua uel terra aliqua occupatur, & ipse quidē paucus in multis mouetur, atq; in agitatē pugnat, factatusq; distrahitur, duo corpora ignis in speciem aeris unam con crescent: deinde superato aere atq; disperso, ex totis duobus atq; dimidio una aquæ tota species coalescit. Deniq; sic ea rursus consideraremus, quoties ab igne comprehensum aliorum genus aliquod angulorum laterumq; ipsius acumine scinditur, tum demū discerpi desinit, cum in ignis naturam transierit. Simile enim idemq; genus quodlibet à simili eodemq; minime patitur: quousque uerò in aliud permutatur, imbecilliusq; cum potentiore luctatur, dissolui nō desinit. Rursus quādo minora à multis maioribus circumuenta sunt, & pauca lacerata extinguuntur, cum in uincētis ideam constitui uelint, cessant extingui, fitq; ex 50 igni aer, ex aere aqua. Quod si in hæc transitus fuerit, & aliorum aliquod genus impugnet, non cessant agitata dissolui prius, quàm aut omnino cū dissolubilia sint depulsa ad cognatum refugiant, aut expugnata in unum quiddam ex multis superanti simile tandē euadant,

euadant, familiariterq; cū uictore permanant. Enimvero per has passiones sedes uicissim cuncta commutant. Generis namq; cuiuslibet multitudines per locum propriū distinguuntur, ob sedis ipsius agitationē. Quæ uerò dissimilia inuicem facta sunt, propter fluctum concussionemq; ad locum eorū quibus similia euasere feruntur.

Hæc est omnium elementorum generationis conclusio, in qua breuiter unicuiq; suam figuram tribuit, deindeq; ipsorum qualitates et mixtiones docet. Quod imitatus Aristoteles in libris de Ortu et interitu, post elementorum expositionē, quam lib. 3. et 4. de Cælo complexus est, illorum qualitates, cōmixtionesq; docuit. Itaq; ut omnia nos ordine declaremus, singula Platonis uerba sequamur. Quando multa, inquit, de figuris elementorum superius diximus, si conuenientem, probabilemq; rationem sequimur, terre quidē cubum, quod grauissima sit, tribuamus: aque uerò, quia defluit solum, et quasi circa terras rotetur, icosædrum, seu uigesimalis sphaera, ut uocat Apuleius: acri, propter leuitatem, octaedrum: igni demum pyramis. hæc enim figurarum genera, ad eorum naturas explicandas maxime conueniunt. Nam ut pyramis et cubus diuersissime naturæ sunt, illa mobilis et acuta, hic grauis et obtusus: ita ignis et terra longissimè inter se distant. Præterea, ut octaedrum et icosædrum mediam habent naturam, utriq; extremorum communem: ita aer et aqua media elementa sunt, pariterq; cum igne et terra conueniunt. Ex his omnibus quod bases paucissimas habet, uelocissimum esse necessarium est. est enim ad penetrandum promptissimum: quippe cum prorsus sit omnium acutissimum. Hactenus elementorum compositionem explicuit: nunc eorundem qualitates edocet, seruata superiorum figurarum similitudine. in his enim singulas elementorum describit qualitates: atq; igni quidem leuitatem, acumen, tenuitatemq; tribuit: secundum autem locum acri, aquæq; tertium, terram autem seorsum relinquit. Ergo leuitatem Plato dicit esse, paucissimis ex partibus constare: uelocitatem, paucissimas bases habere, ut ad penetrandum sit facilis res. Quia in re quemadmodum unicuiq; elemento conuenientem eius naturæ figuram tribuit, ita qualitates similitudine quadam figurarum ac triangulorum eisdem accommodat. Nam per bases paucissimas corporis uolubilitatem intelligit, quia basium multitudo corpus obfirmat, ac moueri non sinit: ut cubus, et icosædrum. Itemq; per triangulos paucissimos tenuitatem seu λεπνομέρειαν significat, quoniam figura triangulis paucioribus constantes, tenuiores sunt, quam quæ pluribus constant. Ac paucitas etiam basium acumen, penetrandiq; uim indicat: ut in pyramide, quæ acutior est reliquis figuris. Quod autem

comparatione quadam qualitates huiusmodi elementis tribuat, cum alij Platonici, tum Apuleius de dogmate Platonis affirmat, cum pyramidem mobilitatis causa igni accommodari ait, acri uerò octangulum ob secundam uelocitatem illius, uigesimalis sphaeram siue icosædrum aquæ propter fluentem uolubilemq; formam, tessaram deniq; seu cubum ob constantiam firmitatemq; terre. Idem quoq; Plutarchus in lib. de Oraculis deficientibus testatur. Quæ ob causam immeritò Aristoteles lib. 3. de Cælo, Platonem reprehendit, quod earum figurarum esse qualitates elementorum dixerit: cum ille nunquam elementa eiusmodi esse censuerit, sed ad eorum naturas explicandas ijs figuris sit usus, quemadmodum animi compositionem numeris edocuit. Quod ipsemet Plato in his uerbis intelligit: Igitur secundum rectam, probabilemq; rationē pyramidis species solida elementum, semenq; sit ignis: secunda uerò generatione speciem acri, aquæ tertiam tribuamus. Itaq; non esse eiusmodi figurarum elementa dicit, sed similitudine quadam easdem illis attribui. De his omnibus adeo paruis ita putandum est, quod si singula duntaxat singulorum generum capiamur, nullum eorum propter paruitatem cerni a nobis poterit. Quando elementa omnia ex una eademq; materia composita sunt, qualitatibusq; initio acceptis distinguuntur, ita constituta sunt, ut ex paruis, sensumq; fugientibus principijs constituantur, postea uerò magnitudinis incremento in magnam molem excreuant. Quemadmodum et nos in superioribus quatuor figuris triangulos duos planas, scalenum et isoscelem, ut illarum prima initia statuimus, ipsasq; deinde figuras ad soliditatem perduximus. Quare ut illi trianguli, minimæ quadam particule totius solide figure sunt: ita elementorum qualitates, formæq; quasi exiguas esse initio particulas putandū est, postea uerò magnum quoddam corpus efficere. Nam tota elementorum natura ampla est, ac per omnia latè patet: qualitates uerò primæ, ex quibus eadem cōstant, quasi tenuissimi trianguli, exiguæq; particule sunt, quas non sensu, sed mente concipimus, ut calorem, siccitatemq; in igne, humorem in aqua, frigiditatem in terra. Ergo ut integrum in diuisilia semper diuidi potest, tandemq; ad exiguum quidam, ex quo primo constat, peruenit: ita in elementis ex frequenti eorum commutatione ultima quedam initia, hoc est qualitates primas cognoscas, ultra quas progredi non licet. Quemadmodum etiā Geometra solida corpora in plana, ac plana rursus in triangulos resoluunt, eosq; demum ad certum aliud quod genus redigunt: sic Plato elementa in tenuissimas partes diuidens, ad ultimam eorundem compositionem deuenit, hoc est, ad primas qualitates, quæ incorporeæ sunt, et ad materiæ particulas, ex quibus constant. Quamobrem elementorem naturalis constitutio, quod ad motum attinet, ac facultates, et magnitudines, ex quatuor illis figurarum generi

bus declarantur à Platone. Nam secundum totam figuræ compositionem ex multis triangulis compositam, elementum cuiusque molem perfectam esse docet: secundum uero particulas, quæ cerni nequeant propter paruitatem, qualitates eorundem explicat. Si quidem initio qualitates incorporeæ sunt, et quasi exigui quidam trianguli: deinde uero connexæ et coniunctæ inter se, corpus aliquod sua mole magnitudineque perfectum efficiunt. His iam propositis, ad elementorum compositionem, qualitatesque explicandas, ad eorundem mixtiones in sequentibus accedit Plato, cum ait: Quinetiam hæc omnia à Deo tanta ubique, quo ad multitudines, motus atque potentias proportionē exactē absoluta, conexaque sunt, quam necessitatis natura libens et persuasa capere poterat.) id est, Hæc quidem figuras natura inferior, siue diuiores elementis tribuerunt necessitatis uel quadam, ut magnitudines, motus, facultatesque naturales illorum constituerentur. Nam ut in figuris diuersa est magnitudo à qualitatibus: ita in elementis alia est moles corporis, aliaque qualitas. Ergo tota figurarum compositio elementorum magnitudinem, triangulorumque modus ac figura significat qualitates, ac motus facultatesque naturales. Proportio denique compositionis, figurarum et elementorum proportionē inter se indicat, ut postea docebimus. Atqui hoc etiam in loco, cum necessitatem inquit Plato persuasam eiusmodi elementorum qualitates fecisse, quantum ferre poterat: inferioris naturæ uim intellige, de qua diximus in superioribus. Eadem enim à Dei uoluntate quasi persuasionē adacta, corporum omnium qualitates, mixtionesque efficit, ac necessitatem quandam naturalem rebus imponit, de qua nos plura in præcedentibus. Terra cum igne incidit, eius acumine dissoluta, fertur resoluta in ignem, aut aerem, aut aquam.) Quamuis elementa omnia contrariis qualitatibus prædita sint, eam seruant constitutionis suæ temperationem et equalitatem, ut ad corporum mixtorum effectiōem miscerantur, rursusque in se resoluantur. Quia in re quatuor esse qualitatum contrariarum coniugationes aduertendum est, calidum, frigidum, humidum, siccum: ex quarum binis connexionibus elementa constant, et mutantur. Nam ignis calido siccoque constat, ideoque ad penetrandū facilis est: aer humidus et calidus, quæ tamen ἀπορορ, id est qualitatis omnis expertem alij uocat: aqua humidus et frigidus, terra frigidus et siccus. Quod si ergo qualitates illæ mutantur inter se, elementa quoque commutari necesse est. Ut terra si ab igne dissoluatur, frigiditatemque illi insitam amittat, in ignem mutabitur, cum quo siccitate conueniat: aut si eadem in ignem iam mutata humectetur, in aerem mutabitur. eodemque modo reliqua elementa, mutatis qualitatibus, inter se commutantur. Nam cum singula, uti diximus, inter se altera qualitate differant, altera consentiant, si differens illa qualitas in contrariam suam degeneret, idem elementum in

aliud resoluatur, eodemque deinceps modo in alia mutari potest, quousque ad pristinam redeat naturam. Ex quo fit, ut elementa ex se mutuo semper gignantur, commisceantur, resoluanturque: quia materia illa, ex qua constant, modo unam, modo aliam elementi formam assumit: id quod in libris de Ortu et interitu Aristoteles, Plotinusque in lib. de Mixtione docent. Cum itaque hæc sit terræ commutatio, cur nam Plato mutari illam inquit cum igne, quando immutabilem antea cum reliquis tribus elementis afferuit? Certè, ut Proclus explicat, quia terra qualitates quasdam aliorum elementorum in se habet, propter quas mutatur. nam si eadem in ignem degeneret, id fiet, quia frigiditas illius in calorem mutatur: et calor hic siccitati adiunctus, ignem efficit, non ut terræ moles illa crassa in subtilem ignis naturam commet, sed ut qualitates illius in alias degenerent. Cui etiam interpretationi Plotinus in lib. de Cælo astipulatur, qui qualitates omnes elementorum, quamuis uni soli inhaereant, suas esse tamen reliquis inquit, ut terra sicca et frigida humoris aliquid insitum habeat, aer frigidum, ignis humidum. Quinetiam terram inquit Plato ignis acumine dissolui, quia calor illius frigiditatem huius uincens discernit, ac rarefacit. siquidem frigiditas semper constringit et densat, calor dissoluit ac rarefacit, humida præsertim. Quia in re ad elementorum figuras iam traditas Plato alludit, cum igni acumen tribuit: quia pyramis, quæ ignis est propria, figurarum aliarum est acutissima, maximeque penetrat. Aqua præterea ab igne uel aere diuisa in partes, unum, partibus suis reconciliatis, ignis corpus, aeris duo facit.) Cum elementorum alia sine alijs densiora, pluribus materie partibus uelut triangulis constant, ut aqua primò densa est: postea si in aerem degeneret, leuior fit, ac subtilior: demum si in ignem, subtilissima. semper enim magis rarefit, cum in subtiliorem mutatur naturam. Ut si aquæ pars una mutetur, in aeris partes duas mutabitur: hoc est, duplo rarior ac leuior fiet. Si rursus in ignem ex aere degeneret, ex una aeris parte duplo leuior ac subtilior adhuc reddetur. Cuius rei causa est, quòd densiora corpora plus habent materie in exigua magnitudine, rariora uero minus in magno corpore. Rursus cum ignis ab aere, uel aqua, uel terra aliqua occupatur, ac ipse paucus in multis mouetur.) Quemadmodum densiora corpora cum rarefiunt, dissoluantur: ita contraria ratione subtiliora, cum in densiora mutantur, condensantur, et coalescunt: uelut ignis, si in aerem mutetur, quia debet condensari, duplo densior fiet, siue duas illius partes in partem unam aeris mutabuntur: aut si rursus aqua in aerem, aer uel in aquam, terram uel degeneret, densiora semper rarefient, rariora uero condensabuntur: quod Aristoteles, ceterique philosophi docent. Vnde hæc est inter elementa proportio, Platone auctore, ut ignis et aeris dupla sit proportio, itemque aeris et aquæ, dupla, cum dimidia alterius partes.

parte: hoc est, Cum ignis in aerem mutatur, duplo magis densatur: aut cum aer in aquam etiam, uel uicversa duo ignis corpora in unū aeris corpus, aut duae aeris partes in unam aquae mutantur. Quae in re proportionem illam figurarum superius à nobis traditam Plato explicat. ait enim, eandem proportionem elementa in sua commutatione seruare, quam figurae inter se. Et ut inter pyramidem et octaedrum dupla est scalenorum proportio, siquidē illa uigintiquatuor scalenos habet, hoc autem quadraginta octo: ita inter aerem et ignem duplo maior est raritas et leuitas, in cuiusq; illorum commutatione. Itemq; ut inter icosaedrum et octaedrum superbiparties est proportio, hoc est octaedrum quadraginta octo scalenos, et icosaedrum 120 habet, quod duplum est, et dimidium illius: ita etiam inter aerem et aquam eadem transmutationis ratio est, semperq; aqua duplo ac dimidio rarior fit, cum in aerem mutatur: aut ille contra duplo ac dimidio densior, cum in hanc degenerat. Quare ut figurae illae, quas diximus, in triangulos dissoluantur, sic elementa in contrarias degenerantia qualitates mutantur. Nam contraria à contrarijs patiuntur, si alterū eorum uehementius sit altero, ut in suam naturam illud mutet. Agens enim omne perpetiēte semper fortius esse debet, uelut ad ignis mutationem maior humoris copia, quam siccitas est, si aer ex eo fiat. Igitur mutationes elementorum hoc modo fiunt, nec fieri unquam cessant, quousq; id quod mutatur, in propriam redeat naturā. illa enim ultima resolutio est: quoniam elementa semper mutuo transmutantur, nec alterum in alterius natura semper manet, quin tandem uicissitudine quadam ad se ipsum redeat. Ex qua cōmutatione rerū ortus, interitusq; prouenit. Enimvero per has passionēs sedes uicissim cuncta cōmutant.) Quando perpetua est elementorū commutatio, semperq; densa in rara mutantur, aut haec sursum in illa, sedes quoq; illorū proprias mutari neceesse est. Nam cum ignis et aer sublimē petāt regionem propter leuitatem, itemq; aqua et terra infimā propter grauitatē, si haec in illa, aut in haec illa eadem degenerent, locorum fiet commutatio. Ut cum aqua ignis sumit naturā, in eius quoq; locū migrat: aut cum ignis in aerem mutetur, in eiusdē etiam sedem succedit. Qgo fit, ut mutata elementi cuiusque natura, sedes quoque naturalis illius mutetur, ibiq; tandiu maneat, quandiu naturam eiusdē retineat. Atqui hoc ipsum non modo in ijs omnibus uerbis Plato nos docet, sed Aristoteles etiam, ceteriq; philosophi. Atq; haec Plato de mixtione elementorum breuiter complexus est: quamuis plura in hanc rem dici possent, quae causa breuitatis omittuntur.

Corpora igitur immixta ac prima ex causis huiusmodi fabricata sunt. Quod autem in eorum speciebus alia quoq; innata sunt genera, causa est elementū

utriusq; constitutio: quae non solum ab initio unum cum magnitudine triangulum peperit, sed etiam maiora & minora tot quidem numero, quot in speciebus sunt genera. Quapropter mixta haec in seipsis atq; inuicem, infinitā habent uarietatem: cuius peritos esse eos oportet, qui de natura sunt rationem probabilē redituri. Igitur nisi quis quo pacto & cum quibus unā motus & cōstitutio fiat, certē comprehendērit, multa disputationi quae manet à tergo, impedimēto futura uidentur. De his partim quidem dictum est, partim uerò restat dicendum. In ipsa leni plana q; natura motus esse nunquam solet. Nam agitando absq; agitaturō, uel agitaturum absq; agitando, difficile est, immō impossibile, reperiri. Motus autē horum omnium minimē est. haec uerò leuia plana q; esse nunquam possunt. Sic itaq; statum quidem in planitie lenitateq; motum uerò in contraria semper natura ponemus. Inaequalitas porrò naturae huius est causa, quae leni planitieq; contraria est. Inaequalitatis uerò generationem iam tractauimus. Sed quomodo nam modo singula secundum genera non diuisa moueri inuicem ferriq; desinunt, nequaquam exposuimus. Id ergo deinceps sic explanabimus. Vniuersae naturae circuitus cum circulari ambitu suo genera complexus sit, & se cum ipso congregi studeat, cōstringit omnia, locumq; uacuum relinqui nusquam patitur. Quocirca ignis per omnia maximē penetrauit, deinde aer, utpote qui ipsi tenuitate est proximus. & alia simili ratione deinceps. Quae enim ex maximis partibus sunt composita, uacuitatem quoq; in sua constitutione maximam reliquere, minima contra minimā. Coactionis autem ipsius angustia, parua in magnorum contrudit inania. Quare cum parua magnis insinuata sint, & ipsa quidē parua quae magna sunt discernant, maiora uerò minora coerceant, omnia sursum deorsum uel in sua loca ferunt. Nam quodlibet mutata magnitudine sedem mutat. Sic utiq; & has ob causas naturae lenitati contrariae semper generatio conseruata,

seruata, horum motum & in præsentī
& in futuro perpetuum exhibet.

Totius tractationis de mixtione elementorum conclusio hæc est, in qua Plato communem eius rationem reddit. ait enim, causam mutationis huius eam esse, quòd triangula figurarum cuiusq; elementi eadem semper non maneant, sed in alia frequenter mutantur. Vt si icosaedrum, quod aquæ tribuitur, in octaedrum conuertatur, triangulorum etiam magnitudinem, multitudinem, formamq; mutabit, & in octo solum bases traducetur. Itemq; si octaedrum in pyramidem degeneret, quatuor æquilateres triangulos assumet, omīssis octo prioribus. Igitur ut in figurarum mutationibus, & trianguli, & magnitudines earundem, & numerus mutatur: ita elementa cum in alia degenerant, non solum mutant qualitates, sed magnitudinem quoq; ac locum. mutato enim figuræ genere, hoc est primis illis planis triangulis, species etiam ac forma compositionis triangulorum mutatur. Quod ut nos elementis accommodemus, primæ profectio qualitates elementa constituentes genera ipsorum sunt, & quasi primi trianguli plani: singulorum autem elementorum partes, quæ mutantur, species illorum sunt. Itaq; si qualitates elementorum mutantur, & partes mutabuntur, ac in illam formam, quam mutata pars sumpserit, degenerabunt. Atq; hæc est simplicium, & immixtorū, primorumq; corporum, id est elementorum mutua generatio, qua perpetuò generantur, commutantur, ac resolvuntur: quam physici est optimè nosse, ut cū causas primas corporum mixtorum noscat, probabilem rationem de ijs reddere possit. Siquidem simplicium primorumq; cognitio compositionem debet antecedere. Quam etiam ob causam Aristoteles, antequam corporum mixtorum, ut animalium ac metallorum, reliquorumq; corporum tractationem afferat, simplicium, primorumq; corporum, ex quibus omnia componuntur, hoc est elementorum mentionem in libris de Cælo fecit. In ipsa leni, planaq; natura motus esse nunquam solet. nam agitandum sine agitaturō, aut moturum sine mouendo difficile est. Cum elementa inter se mutua uicissitudine moueantur, ac modò gignantur, modò mutentur, resoluantur ue in alia, eius quidem motus initium tradi oportet. Nam ut Aristoteles lib. 8. Physic. affirmat, quidquid mouetur, ab alio moueri necesse est. Ideo cum perpetuo motu elementa inter se commutantur, aliquem illius motus impulsorem tradi oportet. Etenim elementa, quādiu in equilibrio sunt, quiescunt, nullamq; mutationem edunt: cum autem equalitas illa dissoluitur, motu agitantur perpetuo. Siquidem inequalitas motus illorum causa est. Ex quo equalitatem elementorum non ita esse intelligas, ut æquales sint omnes illorum partes: sed ut proportio aliqua inter partes inequales seruetur, quando proportio equalitatem partium conseruat, eademq; inter inequalia cernitur: confusio autem proportio

ne carens, inconstantiam motumq; parit. Hæc igitur elementorum equalitas, inequalitasq; cause ipsorum motus & status sunt, ipsam uerò equalitatem & inequalitatem cælestis influxus efficit. His ita propositis, ipsa demum Platonis uerba, quæ difficultatis aliquid habeant, explicemus. In ipsa leni, planaq; natura motus esse nunquam solet. Id est, Cum elementa semper inter se moueantur, alterationibus, generationibus, corruptionibusq; perpetuis, id quidem euenit propterea, quòd inequalitatem habent inter se, quæ mutationis causa est: quæ admodum proportio statum efficit. lenis enim, planaq; natura, seu potius equalitas elementorū motum parere nunquam solet, sed inequalitas. Nam agitandum sine agitaturō, uel agitaturum absque agitando, difficile est reperi. Id est, Cum motum omne ab aliquo motore prius moueri necesse sit, atque motor omnis re mobili non careat, in elementis etiam inequalitas motum pariet: proportio uerò, ac equalitas, statū. Quod autem motus esse sine motore ac re mobili non possit, Plato ipse testatur, cum ait: Motus autem horum omnium minimè est. Id est, motus quidem nullus sine re agitando, & agitante, fieri potest, præcipuè quòd in rebus naturalibus motum efficit inequalitas elementorum. Hæc uerò lenia, planaq; esse nunquam possunt. Id est, res, quibus inest motus, equalitatem partium suarum habere non possunt. nam si habeant, quiescunt potius. Quod apertius idem Plato cōfirmans, inquit: Sic itaq; statum in planitie, lenitateq; motū uerò in contraria semper natura ponemus. Id est, Quies ergo elementorum fit, cum ipsa equalitatem, proportionemq; seruant: motus autem, cum eadem inequalia, proportionemq; uacua sunt. Itaq; duo erunt in illis cōtraria, quæ uel motum impellant, uel statum efficiant: equalitas, & inequalitas. Atque hanc sanè Platonis sententiam Simplicius lib. 8. Physic. sic, ut nos, interpretatur, uerbaq; illa ita exponit, contra Alexandri Aphrodisi sententiā, qui motum ex antiperistasi fieri, ex his Platonis uerbis deducebat: cum tamen Plato hic solum probare uelit, motū omnem ab aliquo motore fieri, ut causam mutationis status elementorum reddat: quemadmodum & Aristoteles lib. 8. Physic. postquam rerum naturalium motus edocuit, eiusdem motus auctore assertuit. Quare in his, ut diximus, Plato elementa semper moueri, cōmutariq; affirmat, eius uerò motus causam inequalitatem esse. Vnde haud rectè quidem Marsilius hoc loco *ὁμαλότης* planiciem uertit: cum equalitatem potius elementorū, de qua hic loquitur Plato, significet. *ὁμαλότης* enim, siue equalitas quietis & constantiæ elementorū causa est, ne illa transmutentur, sed in eodem semper maneant: contraq; *ἀνωμαλότης*, id est inequalitas efficit, ut eadem elementa commutantur. Quamobrem cum rei cuiusq; generationis contraria sint initia, equalitas & inequalitas elementorum, quæ motum & quietem pariunt,

riunt, contrariae quoque erunt. Haecenus igitur, Plato inquit, inaequalitatis elementorum causas ostendimus, quo nam pacto eadem inter se mutentur, alterentur, resoluanturque. Nunc uero transitione quadam usus, propriam cuiusque elementi uim, non communem explicaturam se promittit. Quaecumque enim dicta in superioribus sunt, ad communem elementorum motum pertinent. Quo nomine singula, inquit, quo pacto non generatim diuisa mouerentur, ferrenturque, minime diximus. hoc est, haecenus communem elementorum omnium generationem diximus, nec singulas illorum formas edocuimus: nunc sigillatim de formis uniuscuiusque dicendum erit. Vniuersae naturae circuitus cum circulari ambitu suo genera complexus sit, et secum ipso congregari studeat, costringit omnia, locumque uacuum relinqui nusquam patitur.) Antequam de singularibus elementorum partibus, corporumque mixtionibus edisserat, singulorum elementorum collationes in diuersis mundi partibus ostendit. Nam cum antea communem illorum generationem, motum, commutationesque generatim dixerit: consequens est, ut cuiusque elementi propriam sedem statuatur, ex qua ipsius aequabilitas sequatur. siquidem confusis omnibus elementis in materia, inordinatus, inaequalisque ipsorum motus est: eisdem uero distinctis, et in sua genera distributis, ordo et aequabilitas oritur. Igitur unumquodque elementum in suum locum naturalem distribuitur, atque eiusmodi distributio à caeli motu fit. Nam cum eadem elementa suapte natura uel sursum, uel deorsum delata, nullum motus sui ordinem seruient, caelum quidem rotundum motu suo perpetuo illa costringit, ut Proclus ait, atque in rotundam cogit figuram, ita ut certa motuum omnium proportio seruetur. Nam ignis sursum tendens, ac in caelum occurrens, ab eodem in orbem simul rapitur, rotundusque fit: eodemque prorsus modo aer, aqua, et terra una cum caeli motu rotunda fiunt, omnesque mundi partes complent, tum ut proportio inter ipsos seruetur, tum ut nullus in mundo locus uacuum existat, cum elementa rotunda non essent, nec partes aliquas implerent. Etenim si ignis atque aer sursum, aqua et terra deorsum recto motu semper ferrentur, nec à caeli motu cohibita, in orbemque rapta, omnem mundum sublimarem implerent, uacuum profecto locus esset aliquis: quod non modo rationi consentaneum non est, sed naturae quoque maxime repugnat. Atqui Aristoteles lib. 3. de Caelo, in haec uerba Platonis argumentatur, quod solida non sint illa corpora elementorum, quae supra retulimus: quoniam uacuum locum relinquerent, si rotundo caeli ambitu cubus, icosaedrum, octaedrum, pyramisque continerentur. eadem enim cauum locum relinquerent, nec omnia possent suis angulis adimplere. Cui tamè obiectioni Proclus respondens, idcirco inquit nullum in mundo uacuum relinqui, quamuis elementa eiusmodi figuratum esse dicantur, quod caeli motu eadem costringantur, propriaque loca obtineant, caeli figu-

re similia: siquidem rei locatae locus similis sit. Atque hoc modo Platonis sententiam Alcinoi explicat. ait enim, post elementorum figuras constitutas ipsa elementa in materia adhuc sine ordine agitari: postea tamen in ordinem redacta, suis locis distinguuntur, omnemque mundum inferiorem implere, caeli ambitu costricta. Quod idem Plotinus in lib. de Caeli motu affirmat, cum elementa inquit circa caeli ambitum moueri, eiusque figurae sese accommodare. Itaque causa cur nihil in mundo uacuum relinquatur, ex Platonis sententia est, quod caeli rotunditas elementa costringit, quamuis recto motu sponte ferantur. Qua in re hoc conuenit Platoni cum Aristotele, quod ambo pariter uacuum sustulere: quemadmodum ex hoc loco, alijsque patet. Differunt autem, quod diuersis sunt rationibus ad id probandum usi. siquidem ante Platonem et Aristotelem, philosophi plerique, Plutarcho auctore, uacuum esse asseruere: cuiusmodi fuisse Leucippus, Democritus, Metrodorus, et Epicurus, atque hos demum secutus Lucretius lib. 1. quibus tamen prolixè Aristoteles lib. 4. Physic. respondet.

Quae enim ex maximis partibus sunt composita, uacuitatem quoque in sua constitutione maximam reliquere.) In his Plato, nihil in natura uacuum admittit, quamuis id asserere uideatur, sed ad singulorum elementorum naturam explicandam, uacuitatem inquit quandam ab illis relinqui. Nam si singula nullo ordine seruato, nec à caeli motu cohibita, naturalis suo motu recta mouerentur, uacuum locum relinquerent, maiora quidem maiorem, et minora minorem. Sed cum caeli motus singula in suis locis continerent, eadem locum omnem replent. id quod Plato ipse sic docet: Quaecumque ex maioribus partibus sunt composita.) Id est, elementa densiora et grauiora, quae pluribus quasi triangulis propter grauitatem constant, uacuitatem in suo loco maximam relinquerent, nisi à caelo cohiberentur. nam quo maiora sunt corpora, eo ampliorem locum occupant, locusque ille magno corpore uacuum, maior item esset, maiorque uacuitas daretur. Sed ad eam tamè implendam, quoniam nec ipsum magni corpus sufficeret omnino (aqua enim sola, uel terra, mundum inferiorem implere non posset, quin multum inanis relinqueret, cum in sublime ascendere non ualeret, ac deorsum ferretur) effectum est, ut leuia etiam corpora sursum tendentia, caeli agitatione quasi deprimerentur, et in partem inferiorem deiecta, locum uacuum à maioribus seu densioribus corporibus relictum adimplerent. Vt si ignis semper, aut aer, sursum tenderet, terraque solum et aqua in medio mundi collocata implere omnem locum non posset, necesse erat, ignem ipsum et aerem caeli obstaculo deorsum mitti, inanesque partes ab alijs duobus relictas implere. id quod Plato in his uerbis declarat: Coactionis autem ipsius angustia parua in magnorum detrudit inania.) Id est, Cum elementa subtilia, ut ignis et aer, angustum occuparent locum, contraque magna

et densa magnū, nec cum possent implere, ita sunt omnia cœli motu coacta, ut subtilia in locum uacuum à densioribus relictum subirent, ac implerent. Itaque parua pro raris ac subtilibus, magna pro densioribus elementis capit hic Plato, quod in his rursum magis explicat: Quare cum parua magnis insinuata sint, et ipsa quidem parua, quæ magna sunt, discernant, maiora uerò minora coerceant, omnia sursum, deorsum uel in sua loca feruntur. Hoc est, Cum elementa tenuia locum uacuum à densioribus relictum occuparent, quasi se his insinuarunt, dum ipsa contingunt, nec tamen cum illis permiscuntur. Elementa enim omnia quatuor in suis quæque locis distincta, sese mutuo contingunt, non tamen commiscuntur. Atqui eiusmodi contactus elementorum per insinuationem illam, de qua loquitur Plato, intelligitur.

Quinetiam maiora, inquit, corpora à minoribus discerni, quatenus diuersum inter se locum habent, nec altera in alterorum sedes penetrant: quia singulis elementis constitutus à natura suus locus est. Eodem quoque modo minora à maioribus coercentur, cum subtiliora cobibentur in proprio loco à densioribus, nec inde egrediuntur. Quo fit, ut cum elementa alia subire in aliorum locum nequeant, sed mutuo sint sibi obstaculo, omnia in suis locis firmiter maneant, uniuersique temperationem et æquilibrium seruent. Ex quo relinquitur, statuta esse unicuique elemento naturalia sua loca, ad quæ sponte ferantur, nec incerta uagentur: ut leuioribus locus sublimis, grauioribus infimus præscribatur. Quod si autem elementa eadem, in alia mutentur, locum etiam mutabunt, quemadmodum supra diximus, ac Plato etiam sic refert:

Mutata magnitudine sedem mutat. Id est, qualitates elementorum mutatis, uel in subtiliorum, uel in densiorum qualitates, locus quoque mutatur, leuioræque sursum, et grauiæ deorsum feruntur.

Post hæc sciendum est, multa esse ignis genera: flammam uidelicet, et quod ab ea est accensum, quod urit quidem, lumē uerò nullū oculis affert: quod uel extincta flamma intra illa quæ accensa fuerant, remanet. Similiter aeris genus aliud purissimum agilissimumque, quæ ætherem nuncupant: aliud turbulentissimum, caligine nubibusque obscurum: aliasque species sine nomine esse putandum est, propter ipsam triangulorum inæqualitatem. Aquæ genera duo sunt præcipua. Vnum humidum, alterum fusile. Humidum quidem, quia generibus aque paruis et inæqualibus constat, facile à seipso et ab alio propter inæqualitatis conditionem et figuræ speciem moueri solet. Quod autem ex grandioribus æqualibusque et lenibus est

compositum, stabilius illo. Et graue propter lenem æqualitatem compactum est, sed propter ignis penetrantis dissoluentisque impetum æqualitate amissa motus fit particeps: factumque agile mobileque, à proximo aere pulsum extensumque per terram duo quædā patitur. nam & liquefit, & in terram decidit. primum illud, molis purgatio, hoc fluxus cognominatur. Rursus igne hinc euolante, quippe cum non fiat in uacuum exitus, proximus aer pulsus mobilem adhuc molem humidam in ignis sedes impellit, ipsique ipsam commiscet. Moles denique compulsa, iterumque lenem æqualitatem adeptam, cum ignis inæqualitatis artifex iam abierit, in idem secum coaceruat: atque ignis abscissum frigefactionem, copulam uerò congressumque igne abeunte factum conglutinationem gelidamque rigiditatem uocamus.

Hactenus singulorum elementorum loca, motusque proprios ostendit: nunc uires, naturamque efficiendi docet. in quo sanè ab uniuersalibus ad singularia semper progreditur. Primum enim communia elementorum tradidit initia, deinde communem eorum generationem, deinceps singulorum motus proprios: nunc demum uires, naturalesque effectus. Qua de causa ab igne in primis incipit, tanquam elementorum omnium primo, eiusque genera recenset. aeris quoque formas adiungit, itemque aliorum elementorum: ut ijs inijs statutis, de corporibus mixtis postea differat. id quod Aristoteles, ut retulimus, fecit. Igitur ut proposita Platonis uerba explicentur, diuersa esse inquit ignis genera, ab una ignis natura producta, et pro formæ uarietate diuersa: flammam nimirum, quæ spledeat et urat, primamque; ab illa incensam, quæ cum nullam affert lucem, urat tamen calore suo nimio. Vtrunque genus his uerbis Plato commemorat: μετὰ δὲ ταῦτα λέγει νοεῖν, ὅτι πῦρ ὅς τε γοῖν πολλὰ γέγονεν, οἷον φλόξ, τό, τε ἀπὸ τῆς φλογὸς ἀπὸ μὲν κᾶσι, ὃ φᾶς δὲ τοῖς ὀμμάσι παρέρχει, τό, τε φλογὸς ἀποσβεσθῆσης ὃν τοῖς διαπύροις κατὰ λυτὸν μόνον αὐτῷ. Hoc est: Duplex est ignis genus: alterum quidem, quod urit atque ardet, ut flamma: alterum, quod urit, non tamen ardet, aut lucet. Quod autem per duo hæc ignis genera flammam ac ignitas prunas intelligat, Galenus lib. 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus testatur, qui eadem duo genera ponit. Timæus quoque Locrus in lib. de Mundo idem his uerbis intelligit: ἑκάστου τῶν τετραέρων σωμαμάτων πολλὰ εἶδη ἔχει. πῦρ μὲν πλῆθος, καὶ φᾶς, καὶ αἰγᾶν, διὰ τὰν ἀνίστηναι τῶν ὃν ἐκάστῳ αὐτῶν τριγώνων. Eodem modo aeris genus aliud purissimum, agilissimumque, quem ætherem appellant, aliud turbulentissimum.)

bulentissimum.) Aeris natura quamuis tota eadem sit, particulatim tamen alteratur, diuersasq; formas induit. alius est enim spiritus ille tenuis, ac temperatus, nullisq; admixtus uaporibus, qualis est in suprema aeris regione: alius uero, uaporibus nubibusq; turbidus. Qua de causa illum quidem aethera, hunc aerem Physici nominant. Quam etiam distinctionem Aristoteles lib. 1. Meteor. uidetur secutus, cum elementorum situs describens, antequam de ipsorum mixtionibus loquatur, aerem quoq; in aethera, quem supremum uocat, et in inferiore diuidit. cuius tres esse regiones dicit: ultimam uidelicet illam igni proximam, atq; hanc infimam cuncta ambiens, et intermediam, in quam uapores, nubesq; omnes cogantur. Quod idem, licet obscure, uidetur hic Plato fecisse, dum aeris genera recenset, antequam ad mixtorum tractationem accedat. Nam haec, inquit, praecipua genera sunt: quamuis pro angulorum mutationibus, hoc est pro tenuitate, densitate ue corporis diuersas mutationes subeant, quibus modo subtiliora, modo densiora redduntur. Aquae genera duo sunt praecipua, unum humidum, alterum fusile. humidum quidem, quia generibus aquae paruis et inaequalibus constat.) Aquae quoq; genera in his Plato, ut duorum superiorum, docet. duo enim esse aquae genera inquit: unum quidem purum ac tenue, alterum uero lentius ac fusile, in qua distinctione ipsam aquae naturam unam esse, humore frigoreq; constantem, intelligit: eam tamen ceterorum elementorum admixtione alterari. Nam calor humorem dissoluit, fluidumq; facit: quod ni fieret, purus, nullisq; rebus mixtus esset: nec gustu, oculis ue percipi posset, cum nullam terrae admixtionem haberet. Ex quo elementa omnia, quod ad naturam ipsorum attinet, uel pura, et sincera esse, uel impura, alijsq; commixta, intelligi Plato uult. siquidem aer humidus adeo non esset, nisi aqueis uaporibus admisceretur: nec aqua fluida, crassa, sapidaq; foret, nisi calore liquefceret, terraeq; commisceretur. Attamen impuritas haec elementorum, utilis quidem ad uitam animalium tuendam est. Quamuis enim eadem proprias qualitates retineant, nec in alia prorsus mutantur: aliqua tamen aliorum qualitatium uestigia, ut Plotinus refert, habent. Atq; ita ignis ab aere id habet, ut mitigetur aliquid: aer ab aqua humorem adducit: fluidam esse, ac sapidam, coloratamq; aquam, tum a terra, tum ab igne prouenit. Igitur ut ad Platonis uerba accedamus, duplex quidem ille inquit aquae genus esse: unum humidum, alterum uero fusile. ac per humidum illud, quod paruis et inaequalibus aquae generibus constare dicit, omnem hanc aquam tenuem, et per terras defluentem intelligit: siquidem inaequalitas triangulorum, siue admixtio tenuiorum qualitatum, mobilem illam efficit, cum aqua ex se non facile moueretur, nisi ab igne dissoluta, ab aere impelleretur. At per fusile illud aquae genus, quod grandioribus, aequalibusq; et lenibus est compositum, stabili

lius superiori, nubes, ex quibus grando, nix, eiusmodiq; alia fiunt, significat, ut ex sequentibus patet, ac Timaeus in suo libro his uerbis testatur: ὁδωρ τι τὸ μὲν ῥυτόν, τὸ δὲ πακτόν, ὁκόσον χιῶν τε καὶ πάχνα, χαλαρά τε, καὶ κρύσταλλος. Itaque primum genus aquae, ad fluentem per terras aquam refert: secundum uero, ad humores concretos et fusiles, ex quibus nix, grando, ac pruina gignitur. Quod autem Plato per secundum hoc aquae genus nubes humectas, naturaeq; aquae intelligat, his uerbis magis declarat: Et graue propter lenem aequalitatem compactum est, sed propter ignis penetrantis, dissoluentisq; impetum, aequalitate amissa, motus fit particeps.) Hoc est, Nubes quidem aquae naturae sunt, fusilesq; dicuntur, quoniam in pluuias, grandinem, nives, eiusmodiq; alia dissoluuntur. eadem autem frigore densantur in media regione aeris, grauesq; humoris copia fiunt. Vnde nisi solis siue caloris desuper penetrantis, dissoluentisq; illas uis liquefaceret, aequaliter compactae, ac densae in eadem sede manerent, minimeq; defluerent. at cum calor idem solis, quem ignem hic Plato uocat, illas dissoluat, aequalitate amissa, hoc est rarefactae, ac dissolutae, deorsum mouentur, et ut idem etiam inquit: Factumq; agile, mobileq; a proximo aere pulsatum, extensumq; per terram, duo quaedam patitur, nam et liquefit, et in terram decidit: primum illud molis purgatio, hoc fluxus cognominatur.) Id est, Nubes quidem calore solis dissolutae ac rarefactae, mouentur facile deorsum: pulsa uero ab aere proximo, per terras diffiunt. ideoq; tunc duo haec illis eueniunt: primum, ut liquefiant: deinde, ut ipsidem liquefactis, fluxus in terras fiat. Prius enim a sole liquefieri nubes debet, quam in terras diffiuiere possint. Ex his igitur Platonis uerbis, per duo illa aquae genera, et fluentem per terras aquam, ut flumium ac fontium, et humorum in nubes coactorum coactiones, communi nomine intellige. Nam ex terrae humore calore solis excitato, nubes in media regione aeris propter frigiditatem densantur, ibiq; suspenduntur, ita ut aequaliter disse concreteq; sint: cum autem eadem a calore solis liquantur, uel in pluuias, uel in res alias eiusdem naturae dissoluuntur. Qua in re idem Plato, licet obscurioribus uerbis, quod Aristoteles lib. 1. Meteor. docet, quoniam hic uaporem quendam humidum a solis calore excitari, et in mediam aeris regionem, quae frigida est, cogi, densariq; in nubes inquit, quas cum calor idem solis penetret, et liquefaciat, pro liquefactionis modo eas in pluuiam, grandinem, nitem, rorem, pruina, aquosamq; huiusmodi res dissoluit. Ille contra, idem ipsum sentiens, aquae inquit genus alterum fusile, compactumq; esse, et propter densitatem ex grandioribus particulis constans, quod cum ex se immobile sit, si a calore solis liqueatur, in terras diffuat, ac per aerem sparsum decidat. Itaque Pythagorico more ad figuras elementorum aludens Plato, idem cum Aristotele sensit, et ad densitatem,

sitatem, leuitatemq; humoris ostendendam, tum ex grandioribus particulis constare, tum ex paucioribus dicit. Rursus igne hinc euolante, quippe cum non fiat in uacuum exitus, proximus aer pulsus, mobilem adhuc molem humidam in ignis sedes impellit, ipsiq; ipsam cōmisset.) In his omnibus Plato humidorum mixtorum, quæ sunt ab exhalationibus, communes causas docet. Nam cum de nubibus ex humore attracto concretis dixisset, nunc rursus uicissitudinem excitati humoris, et in aeris regionem sublatis explicat, quo nam scilicet pacto exhalatio humida calore sublata, et in aeris regionem superiorem delata, concreseat in nubes, et in uaria mixtorum genera mutetur. Siquidem nubes, aquosæq; omnes ille mixtionem, de quibus differere Plato cepit, ex uapore humido, calore solis attracto in mediam aeris regionem, fiunt. calor etenim humorem illum euehit: sublato demum eodem, et in aere densato, ignis siue calor ille insitus exhalatur, paulatimq; concretionem ille frigescent, ita ut in pluuias grandines uel dissoluantur. Hoc igitur obscurioribus uerbis Plato intelligens ait, igne hinc euolante, id est, uapore humido à calore solis iam excitato, illiq; admixto, nubes hoc modo fiunt, ut uapor idem humectus et calidus, in aerem proximum attrahatur à calore excitante: et ne quid uacuum relinquatur, ab eodē aere, quæ penetrat, impellatur sursum, quousq; moles eadem humida, hoc est uapor, in superiorem aeris regionem siue ignis sedem euehatur, ibiq; eidem igni misceatur, hoc est calorem ipsum admixtum retineat, qui illum attraxit. Nam uapores idcirco in aerem euehuntur, ibiq; suspensi hærent, quoniam calor quidam illis est admixtus, qui aeris naturæ ipsos reddit, ac sustentat. Itaq; primò calor siue ignis, ut Plato uocat, humorem debet excitare, ac per aerem adducere: ipsum uerò iam adductum, atq; aerem penetrantem, sursum idem impellit, ne quid uacui insit ex uaporis penetratione. sublatus deniq; uapor, propter admixtum illi calorem in aeris regione superiore cōstitit, nec pondere deorsum cadit. Hac etiam in parte Aristoteles non re, sed uerbis à Platone differt, quando eandem rationem excitati uaporis reddit lib. 1. Meteor. Atqui hoc ipsum concludens Plato, inquit: Moles deniq; compulsa, iterumq; leuem æqualitatē adeptā, cum ignis inæqualitatis artifex iam abierit, in idem secum coaceruat, atq; ignis abcessum frigefactionem, copulam uerò congressumq; igne abeunte factum, conglutinationem, gelidamq; rigiditatem uocamus.) Hoc est, cum humidus uapor calore solis excitatus, et in superiori aeris regione suspensus, cōcretusq; fuerit: idem ille calor, qui illum excitauit, et auctor illius leuitatis fuit, exhalatur, humorq; ignis siue caloris defectu concreuit ac frigescit, atq; in pluuiā, niuem, et grandinē degenerat. hæc enim tria, ut lib. 1. Meteor. docet Aristoteles, in aere gignuntur, propter nubis refrigerationem, quæ ex caloris insiti defectu

fit. Atqui hæc communis est superiorum impressio-
num humidarum generatio, à Platone tradita: cuius
materia est humidus uapor, forma uerò calor illi in-
situs. hic enim tum illum ipsum excitat, tum in aeris
regione suspendit. Ideo inæqualitatis artifex Plato-
ni dicitur, quasi leuitatis auctor: siquidem insitus ca-
lor uapores excitat, leuesq; facit: leuitatem autē hic
uocat inæqualitatem, ad ignis figuram ex inæquali-
bus basibus constitutam, per quam leuitas ipsius de-
signatur: æqualitatem uerò humoris uocat densitatē
et grauitatem, ad basium multitudinem alludens.
Ergo duo quidē ex caloris defectu in uapore humi-
do fiunt: primò ut frige fiat, tum ut condensetur, ex
eoq; nix et grando gignatur, et ex frige factione
pluuia, ex densatione uerò grādo niuesq; fiāt. Hæc
igitur est aquosarum mixtionum, quæ in aere fiunt,
cōmunis origo, quam Pythagorico more Plato ob-
scure docet, et Aristoteles apertius lib. 1. Meteor.
his uerbis expressit: *μενόμενος δὲ τῆς γῆς, τὸ πρὸς αὐ-
τὴν ὑγρόν, ὑπὸ τῶν ἀπὸ τοῦ αἵματος, καὶ ὑπὸ τῆς ἀλλοτῆ-
της αὐτοῦ θέρμότητος ἀτμίδιμονον φέρεται αὐτῇ. τῆς
δὲ θέρμότητος ἀπολιπέσης τῆς ἀναγόμενης αὐτῇ, καὶ
τῆς μὲν διασπασμένης καὶ τὸν αὐτὸν τόπον, τῆς
δὲ καὶ σβεννυμένης, διὰ τὸ μὴ εἶναι παρὰ τὸ
τόπον εἰς τὸν ὑπὲρ τῆς γῆς αἴρα, τινὲς αἵματι παλιν
ἢ ἀτμίδι, ψυχρομένη διὰ τὴν ἀπόλειψιν τῆς θερ-
μῆς, καὶ τὸν τόπον, καὶ γίνεσθαι ὕλην εἰς αἴρα, γονό-
μονον δὲ φέρεται πάλιν πρὸς τὸν γῆν.* Itaq; ex uapo-
re è terris à calore excitato, et in superiorem aerē
elato, ob caloris defectum, pluuiam, grandinem, e-
iusmodiq; mixta frigida fieri, Aristoteles censet. Pla-
to uerò, licet alijs uerbis, idem affirmat, cum igneū
uaporem excitatum, et in aerem coactum, exhalato
eodem igne, frige factumq; illum in pluuiam, relē
quasq; formas concretionis mutari dicit. Quæ in re
breuiter et concise Plato idem communem humido-
rum meteororum generationem explicat, quam pro-
lixius Aristoteles lib. 1. Meteororū edocet. Satis est
enim materiam, effectiōemq; illarum rerum propo-
uisse, cum eandem ob causam illæ gignantur: præ-
terquam quod liquefactionis, condensationisq; mo-
do differant, quamuis ex eodem consistant uapore.
Quæ de re plura Aristot. eod. in lib. ac Plinius lib. 2.
et Seneca lib. 7. Quest. nat. differunt.

Ex his uerò quas aquas fusiles appel-
lauimus, quod ex tenuissimis lenissi-
misq; fit densissimum, uniforme, splen-
didum, flauumq;, preciosissima res est,
aurum florens per petram compa-
ctum est. Auri autem ramus propter
densitatem durissimus, & nigro præte-
rea colore suffusus, adamas appellatur.
Sed quod auro proximas habet par-
tes, pluresq; una species continet, auro
quoq; densius, & terrenæ partis pauce
tenuisq; particeps, adeò ut asperius dur-
iusq;

riusq; sit: uerum ex eo quod interualla intrinsecus habet magna, leuius est: hoc genus nitentium concretarumq; aquarum unum est, atq; aes nominatur. At quando terrena pars huius immixta propter uetustatem a cæteris partibus eius secerñitur, ad extremamq; emissã superficiem per se ipsa aspectui patet, rubigo iam nascitur. Cætera generis eiusdem uerisimilibus rationibus assequi, haudquaquam laboriosum est. Quod si quis remittendi studij gratia, rationibus eorum quæ semper sunt intermissis, cõsiderauerit uerisimiles de generatione probationes, atq; eiusmodi consideratione sine pœnitentiæ accessione delectetur, moderatum in uita prudentemq; ludum consequetur. His utiq; nunc ita concessis, deinceps quæ de eisdem probabilia uidebuntur, ita percurrenda uidentur. Igni sæpe miscetur aquæ pars tenuis, atq; humida, fluida q;: sic ideo nominata, quia lubrica terra circumfluit. mollis quoq; ob eam causam, quia eius bases minus firmæ stabilesq;, quàm terræ, facile cedunt atq; labuntur. Hæc quando ab igni destituta, ab aere quoq; deseritur, fit lenior, et alienis expressis cogitur in seipsam: atq; ita compacta, si supra terram id contigerit, grando fit: si in terra, glacies: quæ quidem tunc fiunt, cum riget cohaerescitq; maximè gelu: cum uerò minus congelatur, si supra terram accidit, nix: si in terra ex rore crassior facta, pruina. Verum quando plurimæ aquæ species inuicem commiscentur, uniuersum aliud genus a terra per arbores stillans, liquor humorq; uocatur. Liquores uerò singuli propter mixtionis dissimilitudinē nacti, multa quidem alia sine nomine faciunt genera, sed quatuor igneæ species euidentēs & perspicuæ maxime, sortitæ sunt nomina. Quod enim animam simul cum corpore calefacit, uinum dicitur. Quod uerò lene est, discernitq; uisum, ideoq; aspectu splendidum atq; nitens, & pingue nobis apparet, uncta et olearia species est, pix, gummi, & oleum, cæteraq; id genus. At quod oris angustis meatibus ad penetralia usq; naturæ perfun-

dit, hac uis dulcedinem adhibens, melcõmuniter nuncupatur. Deniq; quod carnem dissoluit, uritq;, & spumeum est, ex omnibus secretum liquoribus, succus uocatur. Terræ uerò species per aquam emergens, hoc modo fit lapis. Congelata enim aqua quādo in commixtione deficit, in aeris speciem transit: hic aer in suum locum recurrit, uacuum autem ipsorum nihil, proximum ergo aerem pulsat. Iste si grauis sit pulsus, circumfususq; terrenæ moli, uehementer illidit, seq; ipsum in eas sedes unde nouus ascenderat aer, conducit. Terra deniq; ab aere indissolubiliter cum aqua coacta, lapides cõcreat, pulchriores quidem illos, qui perspicue ex æqualibus planisq; partibus emicant: deformiores uerò, qui contrarij. Vbi uerò ignis acumine humor omnis resoluitur, corpusq; illo aridius redditur, ea restat species, quæ solida uocatur, futilisq; tellus. Quandoque etiam humore relicto, terraq; fusili per ignem facta, ac deinde accedente gelu, niger fit lapis. Quando uerò id ipsum similiter ex cõmixtione multo priuatur humore, sed tenuioribus terræ partibus constat, falsumq; est, & semiglaciale fit, perq; aquam emergit, partim quidē olei terræq; purgatorium genus, nitrū dicitur: partim uerò quotidiano uictui commodissimum legitime, sal Deo amicum corpus. At enim communia ex utrisq;, aqua quidem non solubilia, ignis uerò propter tale aliquid ita cõglutinantur. Ipsas terræ moles, ignis & aer non liquefacit. Cum enim duo hæc tenuissima sint, & uacuitatibus terræ minutiora, ita per capacissimos eius meatus sine ulla uiolentiā permanant, ut neque eam dissoluant, neq; liquefaciant. Aquæ uerò partes quia maiores sunt, uiolento fluxu liquefaciunt. Terram itaq; malè compactam sic sola aqua uis soluit, compactā uerò duntaxat ignis: nihil enim præter ignem hanc penetrat. Aquæ rursus cõcretionem, uiolentissimam quidem solus ignis, debiliorem uerò utraq; & ignis & aer diffundunt, aer inquam per uacua, ignis etiam per triangulos. Aerem uerò uis constrictū,

y 3 nihil

nihil nisi per elementum soluit: sine ui coherentem solus resoluit ignis. Corpora ex aqua terraq; ita cōposita, ut aqua terrę inania ui coarctata obstruat, sic prorsus se habent, ut aqua exterior influere per ea non possit, ideoq; minime liquefaciat: sed ignis aquę meatus penetrans, quemadmodū & aqua terrę inania, atq; ita aquam afficiens ut ignis aerem, communi corpori liquefactionis causam præbeat. Hęc uerò partim aquę minus habent quàm terrę, quemadmodum uitri genus, & lapides illi qui fusiles appellantur: partim contra plus aquę, qualia sunt omnia quę cōglutinata sunt, cæreāq; euadunt, & uapores emittunt.

Quoniam cōmunes mixtorum aquosorū causas ex humida exhalatione prodeuntes reddidit, ad metallorum nunc, quę ex eadem constam materia, generationem accedit: primoq; auri & adamantis effectiōnem exponit, idq; metaphoris, inuolutisq; uerbis Pythagorico more obscurat. cuius rei ut causam nos explicemus, communem etiam metallorum effectiōnem addamus. Quemadmodum ex humida exhalatione ē terris excitata, aquosę omnes concretiones fiunt, ut nos antea docuimus: sic ex eadem intra terras inclusa, metalla omnia, ut auctor est Aristoteles lib. 3. Meteor. gignuntur. Nam humidum quidē pingue terris inclusam, calore cōsolidatur, terręq; accessione indurefcit: quod prout multum, parumue caloris habuerit, diuersum metalli genus efficiet. Itaq; potissima metallorum causa est humor, quem aquam hic fusilem Plato uocat. quod etiam Aristoteles in eo libro testatur, & Theophrastus in libro de Lapidibus his uerbis affirmat: τὰ μὲν ἴσιν ὕδατος, τὰ δὲ γῆς ὕδατες μὲν τὰ μεταλλεύουσιν, καὶ ἀπὸ ἀργύρου, καὶ χρυσοῦ. Cum ergo humidus uapor terris inclusus metallorum causa præcipua sit, duo eorundem initia constituuntur, sulphur & argenteum uiuum, quod Græci hydrargyrum uocant, ex quorum mixtione diuersa fiunt metallorum genera. Nam cum alterum subtilius & calidius sit, nimirum sulphur, auri, eris, ceterorumq; huiusmodi metallorum potissima causa est: alterum uerò frigidius, uidelicet argentum uiuum, argenti, stanni, plumbi, quę frigida sunt, materia est. Vtrunq; tamen in cōposito miscetur, licet unius maior insit portio, quàm alterius. Quoniam ergo hęc omnia humide naturę sunt, & ex ijs metalla omnia componuntur, metalla etiam ipsa humore potissimum constant: ideoq; fusiles aquę, quod igne liquefiant, à Platone ac Plotino dicuntur. His ita breuiter de communi metallorum effectiōne propositis, auri generationem Plato subiungit, cum id quod densissimum ac splendi-

dum sit, ex aquis illis fusilibus gigni ait. Atq; aurum quidem, ut multi asserunt, ex glutinoso, pinguiq; humore, ac sulphure calore solis maxime consolidato gignitur, proindeq; calidis in locis ferè semper nascitur. Igitur auri natura, ut Plotinus quoq; in lib. de Cælo refert, humida est, & aquea: densatur tamen non propter terram, sed glutino quodam, quod solis calor inducit, & sulphuris accessione indurefcit. Atq; ita, quemadmodū in terra stirpes nascuntur, radicesq; agunt: sic uenę auri, ceterorumq; metallorum quasi stirpes quedam sunt, quę metalla ipsa produciunt. Quo etiam nomine aurū inquit Plato florescere, quando humoris partes tenuissimę in terrę uenis concrefcunt, durumq; corpus et calore solis, sulphurisq; copia flauum efficiunt. Auri autem ramus propter densitatem durissimus, & nigro præterea colore suffusus, adamas appellatur. Quoniam metalla stirpes etiam esse, sed duriores tamen, ac densiores diximus: auri ramū appellat Plato, particulam aliquam uel massam, quę in terrę uenis quasi in trunco est, quęq; adamas uocatur. Quę in re considerandum est, metallorum ac lapillorum diuersam esse generationē. metalla enim ex humore potissimum, lapides ē terra gignuntur: quanquā nec lapides ipsi sine humore, nec sine terra metalla esse possunt. Itaq; in metallorum generatione utrūq; miscetur, & in eorundem uenis diuersa lapillorum genera nascuntur, quę cum ex eadem ferè materia constent, quę metalla ipsa, propter siccitatem maiorem lapides sunt effecti. Metalla etenim humidiora sunt lapidibus, atq; ideo igne funduntur, & liquefcunt: contra uerò lapides non facile possunt liquefcieri, cum exsiccatum admodum humorem habeant. Quapropter in auri, argenti, aliorumq; metallorū fodinis lapides frequenter, ut auctor est Theophrastus, inueniri solent: uelut adamas, qui in auri uenis sepe nascitur, ideoq; ex illius natura esse Platoni dicitur. Nam ut aurum metallorum est densissimū, ita adamas lapides omnes densitate superat. Quod autem in aurifodinis adamas per sepe nascatur, Plinius lib. 37. cap. 4. testatur, qui apud antiquos olim in Aethiopū metallis inueniri solum, receptū fuisse dicit. Sed ne huius lapidis genera, uiresq; ab eodem traditas, longius explicemus: illud nunc dubiū uidetur, cur Plato adamantem ex ramo auri nigro fieri dicat, cum ille potius candicans, & aquei coloris sit. Quę nomine diuersa colorum genera ex albi nigriq; mixtione fieri putandum est: ipsum autem colorem ex illis iam mixtum luce quadam suffundi, ut magis minus ue splendescat, perspicuum est. Unde candidus quidem color ex magna lucis parte insita constat, nigerq; ex caligine, eodemq; modo reliqui colores ex temperatione aliorum colorum, lucisq; accessione fiunt. At uerò adamas, cum aquicū colorem referat, ex cinericio potissimum, multa luce admixto constat: ideoq; magis splendet, ac nitet. Igitur si nigrum esse adamantem Plato dicat, hoc

ad primam illius compositionem referendum esse uidetur, ita ut prima illius constitutio nigro constet colore: postea uero dum multa lux illi admiscetur, splendet, et candicans efficiatur. Quae res argumento est, quaedam esse adamantis genera, quae colorem album non referant, sed aeneum potius, uel ferreum, et ad nigrum accedant: cuiusmodi sunt cyprius, et siderites, quorum meminit lib. 37. Plinius. Quare color hic niger adamantis generationi assignandus esse uidetur, non quod is uere sit niger, sed quia subaqueus, et nonnihil nigredinis admixtum habens. Ex quo patet, communem omnium metallorum materiam humidam esse, ex qua non modo aurum, sed adamas etiam gignatur. nam aurum inter adamantinas uenas ex aqua uelut florem enasci, Plato hic putauit: quemadmodum Marsilius etiam Ficinus annotat. Sed quod auro proximas habet partes, pluresque una species continet, auro quoque densius, et terrene partis pauca, tenuisque particeps.) Quando breuiter metallorum omnium generationem exponit, post auri et adamantis effectiorem, aeris, ferrique causas efficiences subiungit. haec enim eadem ex humida pinguique materia fieri testatur, ita tamen ut diuersas recipiant formas, propter eiusdem materiae temperationem. Nam si purus, tenuisque humor concreseat, et calore multo quasi decoquatur, aurum fit solidissimum: si uero terrae particula crassior res humori adherat, nec sit tam solida densaque constitutio, sed meatus aliqui ob impuritatem materiae aperiantur, et aut ferrum gignitur, quod propterea leuius auro est: siquidem et meatus apertiores habet, et siccus est multo. res enim siccae leuiiores sunt humidis. Quo fit, ut aurum et grauius et humidius sit, ferrum autem et a leuius et siccus: quod ex ipsorum liquefactione perspicui licebit. Quam ob causam post aurum, inquit Plato, secundum locum es obtinet, quando ex eadem humida materia constat, quamuis propter mixtionem diuersa fiat. Idem praeterea plures metallorum formas complectitur, ut cuprum, orichalcum, ac ferrum: ideoque quasi genus alterum multorum metallorum ponitur a Platone. Iam uero cum de generatione aeris hic differat, rubiginis causas adiungit, quo pacto eadem fiat. Ex quo constat, et ipsum ex terra siccaeque natura multum habere. nam ut siccae res facile carie aut tineae eroduntur, humidae uero diutius conseruantur: ita et, quia terrae multum admixtum habet, siccusque est, rubigine facile obducitur, rubigo autem siccitatis corruptio est. Vnde metalla magis terrestria, ut ferrum, et, cuprum, sicciora sunt: et idcirco apertiores habent meatus; faciliusque rubigine obducuntur, quia siccitate nimia natiuus humor paulatim consumitur. Atque ita si ferrum sub terra sit reconditum, nec usu atteratur, exsiccatur in dies magis, quousque in terram degenerat: aurum uero, et argentum, quia humidioris naturae sunt, non facile corrumpi possunt. Atqui haec etiam est reliquorum metallorum com-

munis effectio, de qua plura Plinius lib. 34. Igni saepe miscetur aquae pars tenuis atque humida, fluidaque: sic ideo nominata, quia lubrica terra circumfluit.) Cum elementorum mixtiones docere in his Plato statuerit, atque antea metallorum causas generatim explicauerit: nunc grandinis, glacie, niuis, pruinaeque generationem exponit. Igitur ut singulas horum causas nos reddamus, primo exhalationem illam humidam, calore solis excitatam, quam fusilem aquam communi nomine Plato appellauit, materiam esse harum mixtionum, aduertendum est. eadem enim cum in aerem superiorem euehatur, ibique condensetur in nubem, si calore solis uiciniore liquefiat, in pluuiam, uentos, grandinem, huiusmodique alia mutatur: atque ita perpetua est harum rerum uicissitudo. Hoc principio mixtionum omnium statuto, grando et nix eodem fere modo fit, itidemque glacies et pruina. Nam cum nubes humida calore omni destituta est, ac frigore conarescit, in tennes particulas, et frigore condensatae, hoc est, in niuem diffuit. Cum autem nubes eadem in guttas aquae diffuset, in aerem frigidum incidat, uapor ille, qui calidus adhuc est, constringitur obstanti frigore, atque indurescit in grandinem. Pruina itidem tunc fit, cum roridus quidam uapor, ac tenuis, a sole excitatur, et in hunc aerem proximum ob humiditatem nimiam euectus, sereno noctis tempore decedit, et frigiditate aeris concreuit, ac uelut sol in terras spargitur. Glacies demum fit, cum quiuis humor terris subsidens, maiori frigore constrictus indurescit: ut in hyeme. calor enim defectu partes aquae rari frigore constringuntur, et indurantur. Hoc igitur modo mixtionum earum causas breuiter proposuisse, ad Platonis intelligentiam satis est. nam qui prolixiorem tractationem requirit, Aristotelem lib. 1. Meteor. legat. Sed nunc nos ad Platonum uerborum interpretationem accedamus. Igni saepe miscetur aquae pars tenuis.) Hoc est, uaporibus humidis a sole excitatis, quidam calor inheret, qui ipsos in sublime tollit. hic autem uapor ab humida, fluidaque aqua ui excitatur, quae fluida hic uocatur a Platone, quia ueluti fluxu quodam per terras decurrat, leuiusque ob tenuitatem sit. siquidem pauciores bases, et mobiliiores habet: hoc est, tenuitas leues et fluidas aquas efficit. Haec quando ab igne destituta, ab aere quoque deferitur, fit lenior, et alienis expressis cogitur in se ipsam.) Id est, Cum idem uapor ex aquis, humidisque natura a sole excitatur, et in sublime fertur, cum in nubes est ibi conuersus: si solis radijs feriat, in pluuiam conuertitur, tuncque leuior est, quia liquidus guttatim cadit. Quod si uero uapor idem lenis in aerem frigidum incidat, constringitur, atque indurescit frigoris oppositu. Atque ita compacta, si supra terram id conigerit, grando fit.) Hoc est, defluentibus iam guttis, et in aerem frigidum, nimium hunc nobis proximum incidentibus, grando fit. eadem enim differt a niue, ut Aristoteles etiam docet,

et, quod nix in superiori aeris regione gignatur, grando uero in inferiori: ac propterea uehementius cadit. Si in terra glacies.) Id est, si aquae quaecumque terris subsidentes magno aeris proximi frigore densentur, et concrecant, glacies fit. Cum uero minus cōgelatur, si supra terram accidat, nix.) Hoc est, in media regione aeris, quae longius à terra distat, si nubes humidae nimio frigore cōgelentur, cum iam iam in pluuiam mutabantur, guttatim cadent concrete particulae, nivesq; dicuntur. Sin in terra ex rore crassior facta, pruina.) Hoc est, cum ros uapor quidam humidus sit, exiguoq; calore cōstet, ultra primam hanc aeris regionem non effertur: sed noctu, deficiente calore solis, decidit, si aura temperata et serena sit: quod si uero sit frigida, congelascit, pruinaq; gignitur. Atqui hactenus humidatum mixtionum causas breuiter Plato exposuit. planeq; cum Aristotele in eo consentit, quamuis alijs uerbis eadem tradat. Quo nomine tractationis huius initia communia Plato uidetur tradidisse: Aristoteles uero exactius eadem explicuit in libris Meteororum.

Liquores uero singuli propter mixtiones dissimilitudinem nacti, multa quidem alia sine nomine faciunt genera: sed quatuor igneae species euidenter, et perspicue maxime, sortita sunt nomina.) Mixtionum omnium genera persequitur Plato: ac non solum ea quae in aere gignantur explicuit, sed reliquas etiam humoris cōcretiones recenset. Quatuor enim potissimum liquores commemorat, qui cum aliorum elementorum mixtionem aliquam habeant, potissimam tamen uim ab humida natura sumunt. li quor enim omnis suapte natura humidus est, quamuis caloris etiam, uel aliarum qualitarum admixtum aliquid habeat. Illi ergo quatuor liquores à Platone commemorati, hi sunt, uinum, oleum, mel, et opus siue succus: ad quos, ueluti genera, liquorum aliorum diuersae formae referuntur. Itaq; ut singulorum nos naturam exponamus, à uino auspicemur. Vinum inquit Plato animam cum corpore calefacere: quia non modo corpus ipsum inflammat, sed animae quoque sentientis facultates corpori adiunctas excitat, propter calidiorum spirituum ascendendum, ac per uenas discurrentium uim. Vinum autem omne, ut Dioscorides et Galenus asserunt, calidum atq; humidum est, quamuis tactu frigidum uideatur: ideoq; naturae nostrae maxime conuenit, citoq; in substantiam hominis conuertitur, reficitq; uires corporis, atq; animi facultates corporeas, dum leuiore subtilioresq; gignit spiritus, praesertim si modice sumatur. tunc enim recreato corpore uini liquore, uires animae propter corporis recreationem reficiuntur. Ergo, ut rectam corporis temperationem maior animi uis, facultatumq; promptitudo sequitur: ita ex uini portione moderata, corporis recta cōstitutio fit, indeq; maior uirium animalium acrimonia. Multum enim refert ciborum ac potionis natura, ad rectam corporis temperiem. Quo nomine hoc ipsum Plato in-

telligens, uinum inquit animam cum corpore calefacere. ac lib. 1. et 2. de Legibus, prouectis hominibus, et senibus, quibus calor ob etatem minuitur, uini usum moderatum permittit: adolecentibus autem et militibus, principibusq; prohibet. Quare uini semper humide calideq; naturae est, et si uinum aliud alio sit calidius: quae de re plura Plinius lib. 23. cap. 1. diserit. Quod uero lenius est, discernitq; uisum, ideoq; aspectu splendidum atq; niuens et pingue nobis apparet, uncta et olearia species, pix, gummi, et oleum, ceteraq; id genus.) Secundum liquoris genus est, olei, picis, gummi, eiusmodiq; aliorum pinguium humorum: qui quamuis humide naturae sint, multum caloris et aeris insitum habent, lenioresq; sunt, ac splendidiore. Horum ergo quanquam eadem fere natura est, diuersas tamen ipsi uires habent, quas breuiter nos hic explicemus. oleum naturae sua humidum et calidum est, et ob leuitatem ad aerem proximè accedens. Idemq; pingue ac densum propter humoris tenuioris lentorem. nec enim ab humore solum, calore uel crassum redditur, nec à terra etiam, sed ab utriusq; mixtione, ut Aristoteles lib. 4. Meteor. docet. Quae de causa propter magnam aeris partem humori calorig; admixtam, lenum pingueq; est oleum, atq; aquae ob leuitatem innatat. Idem praeterea, uelut uinum, temperatè calidum et humidum est. nec enim adeo calefacit, ut resina, pix, bitumen, eiusmodi uel liquores calidissimi: nec etiam multum humectat, sed temperationem quandam habet: ut si calidis adhibeatur, calefaciat: si frigidis, leniat et emolliat, quod Galenus lib. 3. de Simplicium medicamentorum facultatibus edocet. Iam uero splendido illo, aureoq; colore et oleum, et reliqui pingues liquores constant: quoniam humor illorum proprius calore moderato quasi decoquitur, densiorq; redditur, ita ut nitorem à calore, perspicuitatem ab humore habeam. Eadem fere natura est picis, gummi, bituminis, aliorumq; eiusmodi liquorum: praeterquam quod calidiores sunt, humoremq; habent calore densiorem, et magis exsiccatum: ut ex eorum tactu, uiribusq; cernere licebit. At quod oris angustos meatus ad penetralia usq; naturae perfundit, hac uel dulcedinem adhibens, mel communiter nuncupatur.) Mel, dulciaq; omnia, humida etiā natura, sed calidiori tamen constant. calor enim moderato humori admixtus, dulcedinem efficit, ideoq; dulcia magis penetrant: quia calor meatus aperit, et in uenarum receptacula, ut auctor est Macrobius lib. 7. Saturnal. subit. Sed ex dulcibus tamen mel calidissimus liquor est. idem enim mirum in modum calefacit, adeo ut si à calidis hominibus sumatur, in bilem mutetur: aut si etiam ad ignem decoquatur, amarum praemio calore fiat. Quo nomine cum calida omnia magis penetrent, quam frigida, melq; sit admodum calidum, rectè dicitur à Platone, naturae meatus penetrare. idem enim palati linguaeq; meatus aperies, dulcem efficit saporem. Atq; inde fit, ut cibi calidior

res frigidis magis moueant gustatum, quoniam magis penetrant. Deniq; quod carnē dissoluit, uritq; et spumeum est, ex omnibus secretum liquoribus, succus vocatur.) Quartū liquoris genus, quod humido calidoq; constat, est succus, quem proprio nomine ὀπὸν Plato vocat, quemq; tamē acrimoniē esse, ut carnem urat et dissoluat ob insitā caloris vim, inquit. Nem succi quidem omnes acres magna ex parte penetrant: sed hic potissimum, quem priuato nomine ὀπὸν nominat, omnium maximē pungit, atq; urit. idem enim caliditate, tenuitateq; alios superat. Vnde illū dissoluere, atq; urere carnem, Plato dicit: quoniam calidiores subtilioresq; res maximē penetrant carnis neatus, et incendūt. Hunc quidem succum, siue opōn, Galenus lib. 7. de Simplicium medicamentorum facultatibus, Cyrenaicum appellat, magnamq; illi acrimoniā, penetrandiq; vim propter acumen ac tenuitatem tribuit. Qui cum ex humide rei natura exprimitur, spumeus dicitur, et ex alijs liquoribus segregatus. Iam uerō succus idē filiphij arbusculi, siue laserpitij proprius dicitur, si Plinio ac Theophrasto credimus. haec enim stirps caulem similem ferule, foliaq; apio aurei coloris, ac fructum aniso similem habet, quae si incidatur, liquorem lentum, et subrusum, suauissimē spirantem emit. qui nimia acrimonia linguā uellicat. Quoniā autē huius laserpitij, siue filiphij in Cyrene copia nascitur (ut Theophrastus lib. 6. de plantarū historia, et Plinius lib. 19. cap. 3. tradidit) illius succus proprio nomine opos Cyrenaicum dicitur, quamuis in Syria et Media quoque nascatur. Huius ergo liquoris calidissima esse naturā, maximāq; attrahēdi et liquandi facultatē habere, Galenus lib. 8. de Simplicium medicamentorum facultatibus scribit. Ex quo constat, Platonem hic per quartum istud liquoris genus, non solum succum laserpitij intelligere, sed reliquos etiam succos odoriferos, qui ex arborum quorundam lachrymis nascuntur: cuiusmodi sunt, balsamum, myrrha, thus, eiusmodiq; liquores alij, qui plerumq; calidissimi, erodentesq; sunt, ut prolixius Dioscorides docet. Terra uerō species per aquam emergens hoc modo fit lapis.) Quemadmodum humidarum rerum mixtiones generatim docuit in superioribus, sic nunc terrestrium rerum concretiones, corporaq; eiusmodi recenset, ut lapidem, nitrum, salem, uitrū, ceteraq; alia, quae similem generationis suae causam habent. Quia in re considerandum quidem est, quatuor esse mixtorum genera, quae ē terra desodiuntur: terrae quaedam uarie species, metalla, succi, et lapides. De metallis, ac lapidum communi generatione diximus: reliquorum uerō lapidum ac succorum genera dicemus. nec enim de singularibus quibusdam terrae formis agendum hoc loco est. Itaq; lapides omnes ex terra pingui humore coagulata, frigoreq; indurata, gignuntur. Quemadmodum enim plantae et metalla radices suas habent, indeq; nascuntur: ita et lapides radices quodammodo in terra agunt, et

ex terra cum aqua concretionē nascuntur. Vnde ipsi quoq; suam animam uegetatricem habere dicuntur, quae aluntur, augentur, ac minuantur. Ergo ut metallorū compositionis principia sunt humor tenuis ac pinguis, terraeq; tenuis et uiscose aliqua particula, ut sulphur, et argentum uiuum, quae ex illis constant: ita lapides terra molli et crassa, ac humore qui illam conglutinet, constant. Atqui haec est communis omnium lapidum generatio, quam ex terra per aquam emergente, hoc est, ex terra aquaeq; commixtione fieri, Plato inquit, cuius etiam communiorē causam reddit his uerbis: Congelata enim aqua, quando in commixtione deficit, in aeris speciem transit. hic aer suum in locum recurrit: uacuum autem ipsorū nihil, proximum ergo aerem pulsat. Hoc est, congelata demum terra ipsa frigore, postquam humore est cōdensata, omnis aquosus humor, qui lapidem poterat emollire, exhalatur, et in aeris regionem effertur, sicuti reliqui terrae uapores: siquidem humor ille lapidi inherens constringitur, terraeq; partes simul connectit. Ex quo constat, lapides nec humore omni carere, nec multo etiam abundare, sed ex paucis, eodemq; cōgelato cōponi. Quare per aerem istum ē terra excitatum, et proximum aerem pulsantem, ne quid uacui relinquantur, exhalationem ab humore lapidis excitatā intelligit: quae cum ipso calore solis effertur, aeris naturae sit, ac per aerem terris circumfusum penetrans sursum impellitur: cuius impulsus efficiens causa est calor, exhalationem attrahens. Humor enim omnis calore in uaporem conuertitur, et aeris naturae sit. Assumpta igitur aeris forma, uapor idem in aeris regionē fertur. Siquidem is proprius eiusdem loci est, quem sponte petit ne quid uacuum sit in natura. Nam si corpora naturali suo motu priuarentur, nec illo ad proprium locū ferrentur, uacuum quidem locus aliquis foret. Iste si grauis sit pulsus, circumfusiq; terrae moli, uehementē illidit, seq; ipsum in eas sedes, unde nouus ascenderat aer, conducit.) Quo pacto uacuum impleatur exhalatione illa, quam diximus, ascendente, in his docet. Cum enim, inquit, eadem exhalatio ē terrae in lapidem concretē humore excitetur, et calore solis sursum in aerem euehatur, aer quidem externus, in quem illa incidit, eam impellit, ipseq; in subeuntis locum succedit, ne quid uacuum relinquantur. Itaq; dum in terrae caneris, ubi lapides fiunt, uapores excitantur, extraq; prōdeūt: necesse est locum illum, in quo ipse uapor erat, impleri corpore aliquo. ac aer undiq; circumfusus in eundem locum subit, ne corpore aliquo uacet. Ergo illisio haec aeris terrae moli circumfusi, nihil est aliud quam loci repletio, quam externus aer in uaporis exēitis sedem intrans efficit. Terra deniq; ab aere indissolubilitē cū aqua coacta, lapides concreat: pulchriores quidem illos, qui perspicue ex equalibus planisq; partibus emicant: deformiores uerō, qui contrā.) Haec est generationis lapidum

lapidum conclusio, in qua breuiter eorum omnium effectiōnem declarat. ait enim, lapides ex terra humore cōcreta mixtione fieri, euaporato omni aquo so humore, qui lapidem emolliret. Ergo aere denuo adueniente, locus, unde napor est excitatus, repletur: idemq; aer terris inclusus, mirum in modum refrigeratur, ac frigore terram humectatam, et in lapidem conuersam indurat. Siquidem terrestris illa mixtio lapidū tum ab aere frigido circumstanti, tum ab ipsa loci frigiditate maxime congelatur. itaq; lapis eo modo durus ac solidus gignitur, quia insitus illi humor terram glutinosam constringit, frigus uerò indurat. Sed cum ipsorum lapidum, quorum omnium communis generatio hac est, alij pulchriores splendidioreq; sint, ut gemmae: alij rudes, et deformes, ut reliqui: gemmae quidem ex tenuissima terrae humorisq; cōcretionē gignuntur. lucidaeq; propter tenuem humorem nimio frigore congelatum, caloremq; solis exsiccatum fiunt. terra enim ex se nec lucida est, nec splendorem addit: humor autem tenuis in gemmis concretus, ut in glacie cernere licet, splendorem efficit. Quinetiam illarū pulchritudo ex temperatione partium aquae et terrae prouenit, quam ex planis equalibūq; partibus gigni Plato inquit, ad elementorum figuram alludens. Nam equalitatem partium ab elementis sumptarū in mixtis, ac earum temperationē, planas aequalesq; partes in his idem uocat. Hoc igitur modo pulchri omnes lapides gignuntur, quemadmodum Theophrastus etiam in libro de Lapidibus docet. Iam uerò reliqui lapides uulgares fiunt, cum in ijs equa elementorum temperatio non est, sed maior terrae, crassiorq; pars subijcitur, humoris uerò crassi minor fit accessio. Itaque rudes eam ob causam fiunt, quemadmodum in luto se aquae cōcretionē cernere possumus. Quare communis lapidum omnium generatio ex terra humorēq; fit, ijs nimirum frigore condensatis. Vnde frigida siccaq; naturae plerūq; sunt. Vbi uerò ignis acuminē humor omnis resoluitur, corpusq; illo aridius redditur, ea restat species, quae solida uocatur, futilisq; tellus. Omnia terrae mixtionis genera persequitur Plato: rationemq; docet, qua terrae genus illud quod creta dicitur, fiat. Ait enim, terrā pinguem et argillosam, arefacto humore à sole, exsiccari, et κίραμος, hoc est cretam gigni. Itaq; terra eadem exsiccato humore indurefcit, atq; in lapidis formam mutatur, quae quidem madesfacta figuli ad uasa effingenda utuntur. Cum enim eadem pinguis ac tenuis sit, et humore exsiccato indurefcit, comoda effingēdis fictilib. est. Quam ob causam Athenis locus quidā Ceramicus, ab hoc creta genere uocatus est, Plinio auctore: quod Chalcosthenes officinā suā ibi haberet, crudaq; opera ex ea terra effingeret. Huius quoque cretae generis Aristoteles lib. 4. Meteor. meminit, cum quaedam esse mixta corpora inquit, quae facile liquefiant, ut nitrum: quaedā uerò, quae nō itē, ut ceramum, siue cretam. Quod

idem Theophrastus in lib. de Lapidibus cōfirmat. Igitur cum creta omnis ex pingui tenuiq; terra humore concreta fiat, et calore solis, quem ignem hic uocat Plato, siccata durefcit, rectē inquit genus esse quoddam terrae propter calorem, qui humorem ex ea excitat, arefactum, quod ceramos uocetur. Sic enim ipse ait: τὸ ἵππερὲς πᾶσι τοῖς ὄρεσιν παρὰ ἑαυτὰς, καὶ κρημνιστοῖς ἐν αὐτῇ, τῷ γένει κίραμος ὑπανομάμαται, τότε γίγνεται. Quibus ita expositis, non admodum rectē, meo quidem iudicio, solidam, futilemq; tellurem κίραμος transulisse mihi uidetur Marfilus: quemadmodum nec is, qui apud Aristotelem laterem et lapidem candē uocem uertit: cum nihil eorum κίραμος apud Graecos hoc loco significet: sed uel pro creta generatim, uel pro gypso sigillatim capiendum sit, id quod ex ipsius Timaei uerbis in suo libro licet colligere: qui terrestrium mixtorum mentionem faciens, inter friabilia mixta θείον, hoc est gypsum recenset, hoc modo, τὸ ἵππερὲς θείον: hoc est, friabile quidem genus est, ut gypsum. Quandoq; etiam humore relicto, terraq; fusili per ignem facta, ac deinde accedente gelu, niger fit lapis. Quando lapidum, terrestriumq; mixtorum generationem Plato explicat, nigrorum lapidum effectiōnem iam docet, quam huiusmodi esse inquit, ut cum terra humectata igne siue calore exsiccetur, si post humorē calore magna ex parte consumptum frigore concrefcit, niger fiat lapis. Nam calor quidem nimius terrae humorē exsiccat, et quasi torrens minuitur, humore imminuto et exsiccato, terraq; iam densata frigore nigrior fit: ut in lateribus ad ignem decoctis cernimus, qui si magno calore torreamur, nigrescunt, posteaq; frigore densi redduntur. Ergo hoc loco Plato, cum nigrum fieri lapidem ait propter cōbustae terrae frigefactionem, communem nigrorum lapidum generationem intelligit: quamuis multa sint illorum genera, quae partim à Theophrasto, partim à Plinio traduntur.

Quando uerò idipsum finiliter ex commixtione multo priuatur humore, sed tenuioribus terrae partibus constat, fuscumq; est, et semiglaciale fit, perq; aquam emergit, partim quidem terrae, oleiq; purgatorium genus nitrum dicitur. Explicata iam lapidum generatione, ceterorum mixtorum terrestrium, quae succo quodam salsugineo constant, causas edocet: ut nitri, salis, nitri, ac reliquorum, quorū omnium generationes ordine declaremus. Nitrum gigni Plato inquit, cum salsum pinguemq; humorē, ac oleo similē, terrae crassitie misceri euenit. tunc enim humor idem cum terra cōcretus, lapidis instar indurefcit, lucidusq; ac friabilis existit, colore quodam ceruleo cōstans, quē nitrū appellamus. Idem autem, ut Galenus lib. 9. de Simplicium medicamentorum facultatibus inquit, medium est inter salem et aphronitrum: ideoq; exsiccandi asstringendiq; uims habet. Ex quo cōstat, uim illā ex eius siccitate proficisci. de cuius natura et usu Plinius lib. 31. cap. 10.

per multa

permulta differit. Iam uero, ut de salis effectione dicamus, idem nitro simillimus est: peterquam quod nitrum pinguiori constat humore, quam sal. salis enim facultas, ut auctor est idem Galenus, terrea naturae est, magnamque astringendi siccandiue uim habet: licet minus exsiccet, quam nitrum, quia minori terrae parte constat. Sal autem omnis, ut Plinius ibidem ait, igneae naturae est. gignitur enim ex salso terrestrique humore, calore solis indurato. Quod uel hinc facile intelligi potest, quod sal, aqua in-
fusa, liquefit. His ergo sic statutis, dubium est, cur Plato salem lege Deo gratum esse dicat. sic enim ait, *ἀλῶν ἡ γὰρ νόμος θεοφίλης σῶμα ἐχούσης*. Quam dubitationem Plutarchus lib. 5. Symposiorum hoc modo soluit: quod Aegyptij olim, cum res omnes, quae usui sibi erant, diuinis honoribus colerent, ut ignem, aquam, terram, eiusmodique alia: sallem etiam inter illa ipsa retulerint, quod is magnam inter omnia utilitatem tam in cibis et medicinis, quam in alijs rebus praestet: eumque idcirco magnorum deorum cultui adhibebant, usumque salis omnibus ijs qui sacris initiati non essent, prohibebant. Legeque statutum erat, ut in sacris sale uterentur soli sacerdotes. Cuius rei causa id erat potissimum, quod non modo cibis omnibus saporem ac suauitatem sal addat, sed omnia diu conseruet, et a putredine liberet. Quemadmodum enim anima diuinissima nostri pars est, quae totum corpus fouet ac sustentat: ita quoque sal corpora constringens diu conseruat, putrescereque non sin-
nit. At enim communia ex utrisque, aqua quidem non solubilia, igni uero propter tale aliquid ita con-
glutinantur. Exposita nitri et salis generatione, ad communem eorum mixtionis causam Plato recurrit. ait enim, lapides omnes aut aquae aut ignis ui con-
crescere, terram uero ipsam quasi materiam subijci. Siquidem ex maiore mixtione facta, lapidis genus muta-
tur. Qua de causa siccos lapides humore dissolui, ac liquefcere inquit: idemque lib. 4. Meteor. docet Aristoteles. Humor enim siccas res humectans dissoluit, ac rarefacit. contra uero, lapides humidiores calore dissoluntur, ut nitrum, et uitrum: quia calor in humidis res agit, ut latius in libro de Lapidibus Theophrastus tradit. Quamobrem cum humor pin-
guior sit igne, siccitasque humore densior, ignis in res humidis propter contrariam naturam, humorque in siccas eandem ob causam agunt. Atqui hoc ipsum in uitri effectione Plato nos docet. nam uitri natura, ut Plinius lib. 36. refert, ex maiori humoris copia, quam terrae, constat. multum enim pinguis humoris, minus autem terrea tenuis habet, quorum mixtione
concrefcit, frigoreque induratur: unde igne liquefit, ut metalla omnia. Ex quo etiam patet, lapides, quia terra maiori parte, quam aquae constant, minime liquefcere igne: metalla uero, humidioresque lapides liquefcieri. Igitur haec breuiter ad mutuum elementorum actionem explicandam satis sint, quae prolixio

ribus uerbis, ijsque apertis Plato indicat. In quibus considerandum est, duas poni elementorum qualitates, quae uim agendi habeant, nimirum calorem et frigus: itemque duas alias, quae uim habent patiendi, humorem et siccitatem. Nam calor in res humidis agit, frigus autem in siccas, uel uiceuersa, prout subiecta res fuerit. siquidem calor liquefcit res humidis, et duras constringit, si plus, minus uel terrae admixtione habuerint. Qua de re plura lib. 4. Meteor. Aristoteles, qui multa ex hoc Platonis loco mutuatus est.

Haecenus eas species quae figuris, commutationibusque inuicem uariantur, penè iam demonstrauimus: quas uero ob causas passiones earum nascantur, deinceps demonstrare conabimur. Principio sensum his quae dicta sunt, adesse semper oportet. Carnis uero et eorum quae ad carnem attinent, generationem, animae quoque, quantum mortale est, nondum declarauimus. Sunt enim haec a passionibus quaecumque cum sensu sunt, minime separata: et illae sine his exponi sufficienter non possunt, simul uero expleri ferme nequeunt. Prima igitur alia ponenda sunt: denique quae sequuntur, expedienda. Ut ergo deinceps in disputando genera passiones ipsae sequantur, prima nobis extent quae ad corpus et animam pertinent. In primis qua ratione ignis calidus dicitur, uideamus. quod ita demum perspicie-
mus, si discretionem diuisionemque ab eo in nostro corpore factam considerare-
mus. quod enim acumen quoddam ea passio est, ferme est omnibus manifestum. Tenuitatem uero angulorum, laterumque subtilitatem, paruitatem partium
cularum, motus uelocitatem, quibus omnibus uehemens et penetrans est, uelociterque quod occurrit, diuidit semper
& dissipat, considerare debemus, figurae ipsius generationem memoria repentes. ea quippe, non alia natura corpora nostra diuidens, & in partes exiguas partiens, merito passionem illam quae legitime calor nominatur, inducit. Contraria uero huic passio, licet cuique manifesta, sua tamen explanatione non careat. humidis namque partes corporum, partibus nostris humidis grandiores, cum in corpus influunt nostrum, minores quidem partes extrudunt, sed in earum sedes sese insinuare non possunt,
humorem

humorem autem nostrum coagulant, atq; ex inæquali et agitato immobilem propter æqualitatem coagulumq; faciunt, inq; angustum cogunt. Quod autē præter naturā coactū est, secundū naturam renititur, seq; reuocat in contrarium. In hac reluctatione quassationeq; tremor rigorq; consistit: omnisq; huiusmodi palsio, frigus: quodūe eam infert, frigidum nominatur. Durum autem dicimus illud, cui caro nostra cedit: molle, quod carni: resq; ipsas inuicem & duras & molles, eadem ratione uocamus. Cedit autem, quicquid paruo nititur. Quod uerò ex triangularibus basibus firmamentisq; est, utpote plano uehementer innixum, renititur maxime atq; resistit: quodūe summo opere densum est, contraueniencia uehementer repercutit. Graue præterea, & leue, cū ea natura simul quæ sursum deorsumue dicitur, commodissime declarabitur. Sed illud dictu absurdum est, esse duo quædam natura loca à se inuicē longo interuallo distincta: & unum quidem deorsum uocari, ad quem locum ea deferantur omnia quæcunq; molem quandam corporis habent: alterum uerò sursum, ad quem uī omnia moueantur. Cum enim cælum omne rotundum sit, quæcunq; à medio æquē distantia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema. Mediū quoque æqualibus lineis ab extremis undiq; distans, eregionē æquē omnia respicit. Quoniā igitur ita mundus dispositus est, si quis dictorū quicquam sursum esse dixerit, uel deorsum, nō in iuria errare uidebitur. Medius enim locus in ipso, neq; sursum, neq; deorsum dici debet, sed medius. Quod rursus undiq; circuit, neq; medium est, neq; partem in se habet aliam ab alia differentem, quo ad ipsum medium, & omnino quicquid sit eregionē locatum. Ei uerò quod suripsius simillimum est, cōtraria nomina iurē nullus attribuet. Si quid enim solidum æquilibratumq; in uniuersi medio sit, ad nullam extremorum partem propter perfectam ipsorum similitudinē declinabit: at si quis circa illud obambulet, sæpe sibi-

met plantis stabit oppositis, eandemq; illius partē tum sursum, tum deorsum uocabit. Itaq; uniuersum, quemadmodum paulo antē diximus, cum sit rotundum, locum habere superiorem aut inferiorem uir prudens minimē affirmabit. Sed unde nomina sunt ista, & in quibus ea intuiti, ex illis ad mundum totum transtulimus, huiusmodi quædam in primis ponētes, inuestigemus. Si quis in ea mundi regione quam ut plurimum sortitus est ignis, & ad quā undiq; fertur, insideat, uimq; aliquam nanciscatur, per quam ignis partes arripiat libretq; aut ubi in statera læcibus collocauit, ut deorsum in dissimilem detorqueat aerem, constat planē minorem ignis portionem maiori facilius coactum iri. Vbi enim duo simul uno robore suspenduntur, minus quidem magis, plus autē minus inferenti uim cedit. Et unū quidē graue deorsumq; ferri dicitur, alterum uerò sursum ac leue. Idem nobis terram habitantibus accidit. Nam terræ innixi, perq; eam gradientes, terrena genera inuicem separamus atq; distinguimus, & sæpe terram in dissimilē aerem iacimus uiolenter, præterq; naturam, sæpe partes utraq; cognatæ naturę participes. Hic portio minor facilius quā maior ad dissimilem locum iacta, prius uiolentiæ cedit, eamq; leuem cognominauimus: & locum ad quem compellimus, sursum. Contrariā his affectionē graue quiddam, atq; deorsum. Hæc itaq; differre inuicē necessariū est, propterea quod generum multitudines locum alijs cōtrarium obtinent. Quod enim in alio loco leue est, leui, quod in loco est contrario: & graue, similiter graui: & ei quod deorsum dicitur, id quod deorsum: eiq; quod sursum, id quod dicitur sursum. omnia enim hæc transuersa inuicem & contraria ac penitus differentia esse, fieriq; reperiētur. Vnum tamē id de his omnibus cogitandum, quod uia gressioq; singulorū ad simile atq; cognatum ferens, graue facit id quod fertur: locum uerò in quem tale quid fertur, deorsum. Quæ aliter se habent, aliter efficit,

Post

Post explicatam elementorū mixtionem, mixto-
rumq; generationes, ad animalū vires, sensusq; cor-
porcos exponendos accedit. Siquidem cōposita cor-
pora partim anima cōstant, partim uerò carent ea-
dem. Ideo cum de inanimatis mixtis sit dictū, deinceps
de animatis dicendum est. Quia in re, quoniam
anima cunctorum animantium corpori inclusa ne-
cessariò est, ac de communi corporea generatione
est dictum, ad animi tractationem in his iam acce-
dit: id quod in prima dialogi parte fecit. Nam cum
de mundi effectione communi differuisset, ad animi
generationem nunc digreditur. Itaq; hic de corpo-
rum animatorū temperatione Plato differit: quan-
do anima sensitiua sine corpore esse nequit, ut idem
inquit, sensus enim, et affectiones omnes animi cum
corpore communes sunt. Sed antequam ad animi
vires explicandas Plato perueniat, de corporis iam
perfectè compositi natura in primis tractat, tum de
anima ipsa. Ideo inquit, Quia sensus his quæ di-
cta sunt, adesse semper oportet. id est, quia metal-
la, lapides, eiusmodiq; alia mixta corpora suum ha-
bent uitalem sensum quasi animam. Carnis uerò,
et eorum quæ ad carnem attinent, generationem,
animæ quoq; quantum mortale est, nondum decla-
rauimus. Id est, cum reliquorum perfectorum mi-
xtorum, ut animalium quæ carne constant, genera-
tionem, animationemq; nondum explicauerimus: reli-
quum est, ut de his ipsis dicamus. Quare transi-
tione quadam usus Plato, mixtorum se inquit diuerfo-
rum, quibus inest sensus aliquis, generationem hactenus
tradidisse: deinceps uerò reliquorum perfecto-
rum compositorum, quæ anima constant, ortum uel
le explicare, quando horum vires animales cum cor-
poribus connexæ sunt, ab ipsisq; nequeunt seiungi. Igi-
tur antequam de uiribus animæ sensitiuæ Plato di-
cat, corpoream mixtionem explicat, qualitatesq; il-
lius edocet: ut his declaratis, uirium animalium con-
nexio intelligatur. Atque hoc ipsum Aristoteles imi-
tatus fuisse uidetur, qui cum de corporea con-
cretionem omnium in libris de Ortu et interitu,
ac libro 4. Meteor. (qui, auctore Alexandro A-
phrodisco, illis debet adiungi) differuisset, cōtinuò
tractationem de anima tribus libris completitur:
primòq; de communi animatorum anima differit,
deinde uerò de sensitiua, ultimò de rationali. Ergo
sequens hæc Platonis tractatio, ad animæ cōnexio-
nem cum corpore pertinet. Nec de animi quidē ge-
neratione hic loquitur, cum eam suprā docuerit: sed
de illius cum corpore cōiunctione, quomodo ea cor-
poribus inherens, animalia constituat, sensu ac uita
prædita. At dubium hoc loco est, cur Plato animā,
sine illius vires à corpore minimè separari dicat. sic
enim ait: Sunt enim hæc à passionibus, quæ cum-
que cum sensu sunt, minimè separata, et illæ sine
his exponi sufficienter non possunt, simul uerò ex-
pleri ferè nequeunt. Certè animā sensitiuā, quam
ille uocat mortalem, à corpore separabilem esse, t-

psiusq; vires sine corpore esse, expleri uel posse ne-
gat. Nam ut Iamblichus in lib. de Mysteriorum Aegy-
ptiorum inquit, quedam sunt animæ cōmunia cum
corpore, quæ per se ipse non haberet, nec corpus e-
tiam: quedam uerò illius propria, uel à corporibus
ipsis diuersa. Prioris quidem generis sunt, sen-
sus, uisa, perturbationes, eiusmodiq; alie vires: se-
cundæ autē, intelligere, uelle, ratiocinari, quæ à cor-
pore separatus animus habet. Itaq; sensitiua anima
extra corpus esse nequit, rationalis uerò potest.
Quod etiam non modò Plotinus, reliquiq; Platonici
docent, sed Aristoteles quoq; ac Peripatetici con-
firmant. Ut ergo deinceps in disputando genera-
passiones ipse sequatur, prima nobis extent, quæ ad
corpus et animam pertinent. in primis qua ratione
ignis calidus dicitur, uideamus. Quoniam corpo-
ra omnia perfectè composita quatuor ex qualitati-
bus constant, ac de ipsorum natura differat prius Pla-
to, quàm de animæ cum illis cōnexionem: ipsarū nunc
qualitatū vires describit, tum quia illæ corpora com-
ponant, tum quia sensu ipso dignoscantur. Itaque in
primis de igne, ipsiusq; facultate, tum de reliquis e-
differit. Quamobrem per ignem hic, ut Galenus lib.
8. de Placitis Hippocratis et Platonis annotat, ca-
lorem naturalem nobis insitum Plato intelligit, sem-
perq; calorem eundem ignem uocat. Hunc præte-
rea calorem tenuem ac subtilem qualitatem esse unā
ex quatuor illis inquit, quæ corpus alit et sustentet.
Eadem enim efficiendi uim habet in humorem, quo-
niam humor quasi materies subijcitur, calor uerò
efficit. Quod autem de angulorum acumine Plato
hic ait, de caloris tenuissima, uehementissimaq; ui na-
turali, quam pyramidi antea comparauit, intelli-
gendum est. calor enim penetrandi uim habet, a-
deo ut acrimonia sua quamcunq; subiectam mate-
riam, humidam præsertim absumat. Hic ergo ca-
lor naturalis non solum igni, reliquisq; simplicibus
corporibus, sed mixtis etiam inest. nec enim sine ca-
lore quicquam uiuit, aut alitur. Idem etiam, si pro-
ut est qualitas prima, intelligatur, purus per se est:
imò ferè est incorporeus, quia primæ qualitates in-
corporeæ sunt. Quod si uerò corpori alicui hæ-
ret, sine humido esse nequit. calor enim omnis ali-
mento eget, humore nimirum. Quia de causa uita o-
mnium in humore caloreq; consistit: quorum alte-
rutto consumpto, animal quoque perit. Igitur qua-
litas omnium præstantissimam esse calorem, tum
ob efficiendi uim, tum quòd maximè uitam conser-
uet, manifestum est. quod Plutarchus in lib. Vtrum
igne aqua sit præstantior, affirmat. Ex his ergo col-
lige, ignem à Platone duobus his qualitatibus præ-
ditum constitui: acumine, quo diuidit, penetratq; o-
mnia, quod ad calorem referri oportet, quamuis
per triangulorum acumen id Plato explicet: itemq;
subtilitate ac leuitate, quod ad illius siccitatem per-
tinet, tametsi ad basium mobilitatem idem refera-
tur. Nam per siccitatem leuis fit ignis, per calorem

uero acutus et subtilis. Vnde res humide graues, et minime acutae sunt. Contraria uero huic passio licet cuique manifesta, sua tamen explanatione non caret: humide namque partes corporum, partibus nostris humidis grandiores.) Post caloris naturam breuiter explicatam, frigiditatem illi ut contrariam adijcit, eiusque uim explicat. Eadem autem qualitas quaedam prima est, ut calor, et humor: cuius facultas igni contraria est, quoniam contrarios habet effectus. calor enim dissoluit, frigiditas coadensat: calor subiectam materiam consumit, frigus conseruat: eodemque modo uires omnes utriusque contrariae inter se sunt. Quam ob causam nonnulli frigiditatem caloris potius esse priuationem, quam ueram qualitatem definire. Verumtamen cum qualitates omnes alicuius elementi propriae sint, ut humor aquae, siccitas terrae, id a Plutarcho in dubium uocatur in lib. de Primo frigore, cui nam corpori frigiditas primò, uereque insit? Quidam enim aeri eam tribuerunt, alij aquae, alijque terrae. Cui obiectioni respondens, nec in aere, nec in aqua aut terra solum frigiditatem ponit, sed in iisdem omnibus diffusam esse dicit. Nam ut igni calor, terraeque siccitas inest: ita quoque aquae ac terrae frigidas aquae inhaeret. Quamobrem calori frigiditas repugnat, esseque simul ambo nequeunt, praeterquam in composito quatuor qualitatum. calor enim frigus expellit, et frigus calorem: sed diuerso sane modo. Siquidem calor, utpote subtilior et acutior, facilius penetrat: frigus autem, ut lentum, paulatim rem aggrauat. Itaque celeritas efficiendi calori tribuitur: tarditas uero frigiditati. Cum ergo haec ita sint, recte Plato frigiditatem calori obiecit, uimque coagulandi res humidas et crassas illi tribuit: quoniam illas frigus citius penetrat. Vnde cum hic Plato grandiores nostri corporis partes inquit, grandioribus partibus aduentantibus, minores partes extrudere, humoremque coagulare, frigiditatem humorem constringentem intellige. Nam frigiditas, ut diximus, lenta est, ideoque maioribus partibus quasi triangulis consistere dicitur. itemque humor est lentus, facileque constringitur frigore: eodemque modo minores partes, quae corpore expelluntur frigore subeunte, igne subtile significat. Nam ut res congeletur, necesse est tum calorem expelli frigore ingruente, tum ipsam constringi. Ergo ad figuras elementorum alludens Plato, minores partes uocat ignem siue calorem, qui paucioribus triangulis ob tenuitatem dicitur constare: maiores uero appellat frigiditatem et humorem, quae cum in aqua terraque sint, per triangulorum numerum explicantur. In hac relictatione, quassationeque tremor, rigorque consistit: omnisque huiusmodi passio frigus, quod uel eam infert, frigidum nominatur.) Quando qualitates omnes contrariae inter se sunt, necesse est commotionem, pugnamque inter ipsas fieri, dum alia aliam superare nititur, contraque alia resistit: ut cum frigiditas calorem corpori insitum superare conatur, illeque contra obstitit, rigor

siue frigus in animali oritur. Nam in collustatione illa utriusque qualitatis rigor sentitur, quousque superata illarum altera, uel frigidum remaneat corpus, uel calidum. Atqui haec de primis elementorum qualitatum dixisse satis sit. quatuor enim sunt eadem: calor, frigiditas, siccitas, et humiditas: ex quarum mixtione secundae aliae nascuntur, de quibus dicemus deinceps. Sed quaeret fortasse quisquam, cur Plato duarum solum qualitatum, caloris et frigoris, mentionem fecerit, quando omnes quatuor proponere debuit? Certè, quia duae illae, calor et frigus, uim efficiendi habent: siccitas uero et humiditas duntaxat patiuntur: ideoque siccitatem igni, humiditatem frigori in eorum explanatione subiecit. Quod ex illarum collustatione cernere licet, cum frigori humorem adiecerit, dum rigoris causam exposuit: et calori siccitatem, cum causam caloris reddidit.

Durum autem dicimus illud, cui caro nostra cedit: molle, quod carni. resque ipsas inuicem et duras et molles eadem ratione uocamus.) Ex primarum qualitatum in corpore composito mixtione, secundae quoque aliae nascuntur: ut duricies, mollicies, grauitas, leuitas, raritudo, densitas, asperitas, lenitudo, de quibus hoc loco dicendum est. Itaque secundae qualitates, ueluti primae ipsae, contrariae inter se sunt: ut duricies et mollicies, eademque sibi mutuo repugnant. Adde quod primae qualitates simplicibus et compositis corporibus insunt, secundae uero eodem modo in utrisque. Ex quo fit, ut secundae qualitates primas consequantur semper. Quo nomine ut ad secundarum qualitatum naturam explicandam accedamus, duricies quidem et mollicies ad humiditatem, siccitatemque referuntur. Siquidem humida corpora mollia sunt, ut aqua, liquoresque omnes: sicca uero dura, ut terra, lapides. Quo nomine ut primae ipsae qualitates, humiditas et siccitas contrariae inter se sunt: ita quoque secundae, duricies et mollicies inter se repugnant. Ideoque molle id esse Plato inquit, quod carni siue tactui cedit: contra uero durum, cui caro cedat eadem. Nam duricies ac mollicies tactu solum percipiuntur, caro autem tactus medium est: ex quo relinquitur, utriusque qualitatis iudicium a sensu tactus petendum esse, atque ex illo definiendum. Vnde Aristoteles lib. 4. Meteor. cum de duro ac molli differit, utrumque hoc modo definiuit: *τὸ σκληρὸν μὲν τὸ μὴ ὑπὸ πίεσιν εἰς αὐτὸ κατὰ τὸ ἐπίπαινον, μαλακὸν δὲ τὸ ὑπὸ πίεσιν μὴ αὐτὸ πρὸς πίεσιν εἶναι.* Ergo uterque philosophus durum ac molle inter secundas qualitates retulit, et ad tactus iudicium reduxit. Iam uero, cum duricies ex siccitate, concretiorique corporis mole, contraque mollicies ex humiditate magis dissoluta in corpore sit: Plato quidem ad terrae naturam alludens, duriciem inquit ex triangularibus basibus, quae quadratum planum efficiunt, fieri, quia terram cubicam figuram propter soliditatem antea comparauit. Atque hinc est manifestum, corpora omnia soliditatem a terra habere, raritatem uero ab

ro ab humore: itemque in soliditate duriciem, et in raritate molliciem inesse. quod latius libro 4. Meteor. Aristoteles explicat. Graue praeterea, et leue, cum ea natura simul, quae sursum, deorsum uel dicitur, commodissime declarabitur.) Qualitatum secundarum quaedam in corporis magnitudine sunt, ut durum, uel molle: quaedam autem in eius motu, ut leuitas et grauitas. Ex natura enim primarum qualitatum haec simul nascuntur, ut rariorum elementorum leuior sit natura, densiorum uero grauior. Et quidē cum ignis et aer sursum, aqua et terra deorsum ferantur, grauitas etiam ac leuitas illorum ex subtilitate, densitate uel nascetur. Siquidem calor leuior rarior est; res humidae efficit, contra uero frigoris graues et densas. Atque inde fit, ut non modo simplicia corpora diuersa ratione inter se collocata, leuitatis grauitatisque participari dicantur: sed composita etiam, prout rariora, densiora uel fuerint. Ex raritate enim leuitas, et densitate autem grauitas oritur. Quamobrem Plato et Aristoteles hac in re uerbis solum differunt, idemque uerē ambo sentiunt. ille enim ad elementorum figuras respiciens, graue dixit esse id, quod difficile in locum extra naturam suam educatur: leue contra, quod facile. Quasi diceret, quod ut terra propter cubicam figuram naturam fixa semper manet, nec sursum potest ascendere: ita grauius dicantur illa, quae in suo loco firma consistant: leuius uero, quae instabilia sint. Hic rursus lib. 2. de Caelo, graue et leue sic definiuit: βαρὺ μὲν ἀπὸ τοῦ πατρὸς ὑπερβαίνειν, κενὸν δὲ τὸ πατρὸς ἐπιπλάττειν. Quoniam tamen hac in sententia uterque philosophus inter se dissentire uidetur, ac nos uerbis, non re differre ipsos dicimus, Aristotelis, Platonisque sententias proponamus, easdemque conferamus inter se. Duo sunt, auctore Aristotele, naturales loci sibi inuicem contrarii: unus superior, alterque inferior. ad illius leuia omnia sponte feruntur, ad hunc uero grauius. Ideoque leuia dicuntur Aristoteli, ea quae sursum petunt: grauius, quae deorsum. Item Plato, ut Alcibiades explicat, nihil in caelo superius, nihilque inferius esse dicit, quando rotundum sit, nullamque contrariam positionem habeat. Et leuia, inquit, aut grauius non esse solū definienda, quod sursum, deorsum uel petant: sed potius leuia esse illa quae subtiliora sint, et ut ipse loquitur, paucioribus consistant triangulis: grauius demum, quae densiora, et quasi pluribus partibus composita. Huic quidem Platonis sententiae uidetur Aristoteles repugnare, quod graue ac leue hoc modo definiuit. Sed reuera, si rem ipsam uolumus contemplari, hoc solum inter se illi differunt, quod elementorum qualitates triangulis Plato docuit, Aristoteles uero minime. Et cum ille leuitatem ex corporis subtilitate, grauitatemque ex densitate definiuit, idem est, atque id quod Aristoteles lib. 3. de caelo docet, leue esse id quod est rariū, graue autem quod est densum: siquidem densitudo leuitatē, raritas grauitatem efficit. Cum enim caelum omne rotundum

sit, quaecunque à medio aequē distantia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema.) Quando leuitatem et grauitatem non recte definiuit dixit, quod sursum deorsum uel feratur, cum in caelo nihil sublime uel infimum sit: nunc idem ipsum alijs argumentis confirmans, nihil in mundo uel supremum, uel inum dicit esse, quando rotundus sit, nullaque loci diuersitas in rotunditate esse possit, sed omnis ambitus supra semper sit, nimirum caelum: mediū uero, hoc est terra, in medio consistat, aequaliterque ab ambitu distet. Nam in circulo mediū, ut Geometra docent, ab ambitu aequē distat. Atque hinc sanē patet, medium uniuersi esse terram, eamque immobilē in eodem permanere, nec in partem aliquam declinare. quod Plato in his docet: Si quid enim solidum, aequilibratumque in uniuersi medio sit, ad nullā extremorum partem propter perfectam ipsorum similitudinem declinabit.) Hoc est, tanta est medijs cum ambitu consensio in sphaera, ut illud neutram in partē declinans, ibidem semper maneat. Ex quo liquet, quaecunque in mundi parte terram ut medium esse, coeli autem ut ambitum: nihil uero sublime, aut infimum.

Sed unde nomina sunt ista, et in quibus ea intuiti, ex illis ad mundum totum transulimus.) Tacite cuidam obiectioni respondet, unde nam ista sursum et deorsum mundo tribuamur, cum in eo nihil uel sublime uel infimum sit? Cui respondet exemplo quodam huiusmodi: Si quis esset, in sphaera ignis, ibi quae ipsius ignis partes leuitatemque posset perficere, et quasi lancibus statere ponderare, posteaque in aeris locum eundem ignem demitteret, quoniam aer densior est igne: perspicuum profecto est, citius ignem propter leuitatem in suum locum rediturum, quam aerem illi cessurum. siquidem uno impetu proiectae duae res, una grauis, et altera densa, citius quidem leuis in eodem tempore, tardius uero grauis mouentur. Atque id Plato subobscurē his uerbis significat: Si quis in ea mundi regione, quam ut plurimum sortitus est ignis, et ad quam undique fertur, insideat, uimque aliquam nanciscatur, ut deorsum in dissimilem detorqueat aerem, constat planē, minorem ignis portionem maiori facilius coactum iri. ubi enim duo simul uno robore suspenduntur. minus quidem magis, plus autem minus inferenti uim cedit. Sed ei quidem interpretationi Latinae uerba illa desunt, quae in codice Graeco sunt à Platone dicta hoc modo: ἀνάγκη πρὸς κατὰ τὸ ἐνὶ μέσῳ ζῶντα τῇ βίᾳ, καὶ τὸ μὲν βαρὺ καὶ κενὸν φερόμενον κληθῆναι, τὸ δὲ σμικρὸν ἐλαφρὸν καὶ αἶον. hoc est, Necesse quidem est, id quod emittitur, ut consequi: graueque dici illud, quod feratur deorsum: leue autē, quod sursum. Idem nobis terra habitantibus accidit.) Eandem quoque similitudinem terrae partibus accommodat Plato. Si caperemus, inquit, partes aliquas terrae, easque in aerem proijceremus uolueremus, et contra ipsius terrae naturam, certē leuiorē partes citius in proprium suum locum redirent, quam grauiorē.

graviorer. Ex quibus omnibus patet, graue solum ac
lene in motu dici ratione quadam: non quod in mun
do supremum aliquid, infimum uel sit. Nam locus il
le, quod leuiores feruntur, supra esse ratione quadam
dicitur: contra uero hic quod grauiora perueniunt, in
fra ponitur. Atqui hoc modo contrarij loci in mun
di ambitu esse dicuntur, non quod uere contrarietas
aliqua sit, sed Quod generum multitudines locum
alijs contrarium obtinent.) Hoc est, quia elememo
rum raritas, densitas uel, locorum distantiam efficit,
ita ut ignis et aer, qui paucioribus constant, hoc est
rari sunt, sint leues: terra uero et aqua, quae dense
sunt, graues sint. Itaque elementa hic genera uocatur,
multitudo uero est grauitas uel densitas: quoniam hic
triangulorum, qui grauiora leuia uel faciunt illa, mul
titudinem intelligit. Quocirca uera Platonis sen
tentia ex hoc loco sumpta est, nihil in mundo, qui
rotunda figura est, contrarium esse: nihilque uere sur
sum aut deorsum in eo poni: sed ratione quadam id di
ci, quatenus aliud est leuius, et sursum in naturalem
sibi locum fertur: aliud autem grauius, ac deorsum
descendit. Quia in re planè conuenit cum Platone Ari
stoteles in libris de Caelo, cum rotundam caeli figu
ram nihil contrarium habere inquit: sursum autem et
deorsum in ea poni respectu quodam, non quod ue
rè hæc ita sint.

Harum igitur passionum huiusmo
di quædam dictæ sint causæ. Lenis ite
& asperæ passionis causam quilibet in
tuitus aperire alijs poterit. Durities e
nim hanc inæqualitati permixta, illam
uero æqualitas exhibet densitati. Sed
earum passionum quæ circa totum cor
pus cõmuniter accidunt, ea restat ma
xima, quæ uoluptatis dolorisque est cau
sa, in his quæ diximus. Similiter quæ
cunque per corporis partes sensibus pa
tent, doloresque & uoluptates cient. Ita
igitur omnis tam sensibilis quam in
sensibilis passionis, causas capiamus: 40
in primis memoria repetentes, quod
de ea natura quæ facile mouetur, de
ea quæ mouetur difficile, supra distin
ximus. hoc enim pacto ea persequi de
bemus omnia, quæ comprehendere cu
pimus. Quando in id quod facile mo
ueri solet, aliqua uel breuis incidit pas
sio, pars eius quælibet sequentibus par
tibus undique passionem ipsam trans
fundit, quousque ad prudentiæ sedem, 50
perueniatur: ubi per hos quasi nun
cios potentia illius quod passionem
intulit, noscitur. Quod uero contra est
affectum, & immobile quodammodo

permanet, circularem illam transfusio
nem non habet: & ipsum quidem pati
tur solum, proxima uero minimè mo
uet. Quapropter cum partes aliæ alijs
passionem primam non impertiant,
totumque animal hinc minimè agitur,
sensus expers id quod patitur extat. Id
profecto circa ossa capillosque & reli
quas partes quæ terrenæ ut plurimum
in nobis sunt, accidit. Visus uero & au
ditus instrumenta aliter omnino effi
ciunt, quia illis ignis aerisque uis maxima
inest. Quod præterea ad uoluptatem
attinet & dolorem, ita consideretur.
Passio uiolenter præter quæ naturam
abundè simulque nobis illata, molesta
fit. Rursus quæ in naturam abunde si
mulque reuertitur, dulcis: quæ contra
fit, contra. Passio uero magna cum faci
litate illata sentitur quidem maximè,
uoluptatis autem & doloris minimè
particeps. huiusmodi sunt, quæ ex aspe
ctu proueniunt. Cui quidè corpus no
strum cognatum fieri in die supra nar
rauimus, huic adustiones sectiones uel
& quæcunque passionis huiusmodi, do
lorem non inferunt: nec etiam quædo
in suam speciem fit restitutio, uolupta
tem. Sensus tamen uehementes claris
simique ipsi competunt, quatenus ali
quid patitur, incurritque in aliquid, & at
tingit. Violentia siquidem huius, di
scretioni concretionis uel nulla penitus
inest. Corpora uero ex partibus gran
dioribus constituta, & uix agentis ce
dentia, quando motiones illatas in to
tum corpus traiciunt, uoluptates do
loresque continent: quando uidelicet è
suo statu mouentur, dolores: quando
redeunt, uoluptates. Quæcunque paula
tim, abscessus euacuationesque sui perpe
tiuntur: repletiones uero simul atque a
bundè, cum euacuationis quidem sen
sum habeant nullum, repletionis autem
habeant, mortalitate ipsius potentia
dolores nullos, uoluptates uero maxi
mas afferunt. Quod ex suauitū odorum
perceptione cognoscitur. At quæ è sua na
tura simul & abundè pelluntur, paula
tim uero uix in eam restituunt, contra
que superiora affici solent. hoc planè in
secandis urendisque membris apparet.
Post

Post leuitatis, grauitatisq; causas explicatas, leuitatis et asperitatis rationem nunc reddit, quae etiam qualitates cum duricie mollicieq; admodum coniunctae sunt. ideoq; illarum iudicium à tactu petendum est, ueluti harum quibus sunt similes. Asperitas autem, ut Plato et Galenus referunt, ex duriore corporis inaequalitate fit. nam densiora corpora, quae suarum partium constitutionem aequalem non habent, aspera dicuntur: ac durum quidem inaequale asperum dici poterit. contra uero lenitas est aequabilis partium molliorum compositio. eadem enim ex mollicie constat: quamuis duris itidem corporibus, sed planis tamen inest. Igitur duricies et mollicies ad totam corporis soliditatem referenda sunt, asperitas uero ac lenitas ad illius planiciem. Vtrasque tamen qualitates tactu percipimus, quoniam et duriciem ac molliciem tangibiles qualitates componunt. Quare asperum, Alcino auctore, dicitur esse corpus durum, ac inaequale: lenem autem, planum, et densum. quod itidem Aristoteles lib. 4. Meteor. confirmat. 10

Sed earum passionum quae circa totum corpus communiter accidunt, ea restat maxima, quae uoluptatis, doloris quae est causa in his quae diximus.) Quando generales animalium uirium causas exponere hoc loco Plato proposuit, eademq; corporis naturae, mixtionisq; sine coniunctissimae, ac de primis secundisq; corporum qualitatibus dixit: nunc communes corporearum affectionum, quae illis connexae sunt, causas proponit. Nam affectionum quidem animalis origo omnis ex corpore nascitur, ad corpus autem à corporearum qualitatibus perpeffione plerumque perueniunt: ut eas nunc omittamus affectiones, quae sine corporis intercessione animum perturbant, uelut odium, dolor, inuidiam uel ob alius rei iniuriam, de quibus suo loco dicemus. Itaque de his solum affectionibus animalis dicendum hic est, quae coniunctae cum corporeis qualitatibus sunt, quaeq; non tactu solū, de quo paulo ante retulit Plato, sed etiam quae sensibus alijs comprehenduntur. Nam cum corporum animatorum affectiones, uiresq; docere hic instituat, antequam animi uires explicet, ea quae corpus afficiant, generatim proponit: quamuis affectio quidem haec sine anima corpus uiuificant fieri nullo modo possit. Quare cum per sensus omnes corporeos uoluptas dolorq; percipitur, idq; per diuersas corporis partes, communia quaedam quasi praecepta ad id explicandum proponit, aitq; dolores, uoluptates, huiusmodiq; alia genera affectionum per diuersas corporis partes, quibus inest sensus aliquis, admitti: quoniam sensus per partes corporis eduntur, per sensus autem affectiones omnes. Quo nomine ad id magis explicandum, duplicem esse affectionum naturam, considerandum est: unam facilem motu, alteram uero difficilem, ex quarum uires affectus plurimi nascuntur. Nam quae facile mouetur, si ab alio quodam patitur, affectiones illas educit: quae uero difficulter, quasi firma manens solum patitur.

Siquidem duae sunt animi partes, Platone atq; Aristotele auctoribus: una rationis particeps, quae firma, constansq; ex sua natura est: altera rationis ex-pers, quae frequentibus affectionibus commouetur. Hec igitur irrationalis, et motu facilis, magnam habet cum corpore connexionem, adeo ut ab illo patiatur, cum tamen commotionis causa externa sit semper. nihil enim à natura sua perturbatur, sed ab externa causa. Ergo corpus à se minime patitur, sed ab externis rebus: à quibus cum mouetur, et animum quoq; ipsum commouet. Itaq; natura haec difficilis motu, de qua in his Plato loquitur, corpus est: siquidem illud non ex se, sed propter uitam ab anima ipsi tributam patitur. Quae autem facile mouetur, sensitiua anima corpori annexa est, quae ab externis obiectis per corpus commouetur. Hoc ergo affectionum omnium principio statuto, dolorem ac uoluptatem ex naturae mutatione, temperationisq; inaequalitate nasci oportet. Quando enim corpus constans est, nunquam perturbatur: cum uero aliquo modo mouetur, uel dolorem, uel uoluptatem, uel genus aliud quoduis uoluptatis patitur, atq; ita prout commotio quouis illarum fuerit, ita perturbatio uocabitur. Nam dolor quidem, ut Cicero lib. 4. Tuscul. definit, egritudo crucians est: uoluptas autem est affectus, animum suauitate aliqua delinies. Sed queres tu fortasse, ecquae nam corporis pars primo commouetur? Certe singulorum sensuum organa: ut in tactu nervi carni adherentes, in auditu aures, in uisu oculi, eodemq; modo sensuum aliorum instrumenta. Nam cum id omne, Galeno auctore, quod affectionibus est obnoxium, sensu praeditum, patibileq; utpote ex qualitatibus compositum, esse debeat, si contraria qualitas per sensum aliquem illi adueniat, dolores, molestias, eiusmodiq; affectiones patitur. Quod si uero consensanea illius natura sit, uoluptas, delectatioq; gignitur. Atq; haec est communis affectionum corporearum causa. Singularem autem doloris uoluptatisq; sensum ex Platonis sententia nunc exponamus. Cum singula sensuum organa natura sua difficile moueantur, sensus uero ab externis rebus facile moti patiantur, iidem sane non commouent uniuersum simul corpus, sed sua quisq; organa. tactus enim, qui toto corpore fusus est, neruos carni coniunctos mouet, gustus linguam et palatum, auditus aures, olfactus nares, uisus oculos. Itaq; singuli sensus sua commouent organa, sic tamen, ut consensanea sensibus qualitates conuenientibus organis percipiamur. Nam si uisus à qualitate aliqua naturae suae conueniente moueatur, ipsam per oculos admittit: eodemq; modo reliqui sensus tum patiuntur, tum etiam ipsi agunt. Quare ex consensione qualitatum cum sensibus, iucundae affectiones oriuntur: ex dissensione autem, molestae et iniucundae. Quam ad modum si tactu res lenes percipiamus, uoluptas: si asperas, dolor oritur. Quamobrem tria haec ad omnem perturbationem concurrere debent: primo, u

res externa sensum naturæ suæ consentientem impel-
lat, ut uisilia uisum, tactilia tactum: deinde, ut sen-
sus ipsi ab illis moti, organa sua moueant: ultimo, ut
commotis iam sensorijs, affectiones ad animam sensi-
tiuum perueniant. Quæ de causa sensus quasi motu
circulari, ut Plato hic ait, conuertuntur: siquidem
partim ab obiectis mouentur, partim ipsi mouent sen-
soria. Itemq; à sensorijs ad externas res missi, iterum
ad eadē reflectuntur, uelut circulus, qui ab uno pun-
cto motus, in illud ipsum redit. Hic igitur est circula-
ris ille motus alterius naturæ, de quo Plato in supe-
rioribus dixit, et à quo cunctas perturbationes ori-
ri nunc dicit, licet uerbis prolixioribus. In quibus ta-
men communem duntaxat perturbationum animi
originem explicat: deinceps enim singulas docturus
est. Quapropter cum partes aliæ alijs passionem
primam non impertiant, totumq; animal hinc mini-
mè agitur, sensus expers id, quod agitur, extat.)
Quæ de sensuum ac sensoriorum perpeffione antea
dixit, nunc idem persequitur. Ait enim, quod, cum
sensoria uim solum perpetiendi à sensibus habeant,
nec ipsa rursus alicui parti passionem afferant, nec
ipsorum causa animal moueatur: anima, quæ motio-
nis origo est, sensoria eadem mouet, et exceptas ab
illis imagines cōprehendit. Id profectò circa ossa,
capillosq; et reliquas partes, quæ terrene utpluri-
mum in nobis sunt, accidit.) Hoc est, sensatio quidē
omnis à sensibus effecta, diuersis corporis partibus
editur, nam uel per ossa, uel nervos, uel carnem, uel
capillos fit: siquidem sensoria his partibus constant:
hæ uerò partes terreæ naturæ sunt, ut dicemus. i-
deoq; à sensu terrestri concretioni simili, hoc est ta-
ctu, patiuntur. Tactus enim sensuum omnium hebe-
rissimus est, ac terræ respondet, proindeq; per totū
corpus animalis est fusus. Visus uerò et auditus
instrumenta aliter omnino efficiunt, quia illis ignis
aerisq; uis maxima inest.) Id est, Singuli sensus qui
busdam qualitatibus respōdent, ut terræ tactus, igni
uisus, aeri auditus, atq; eodem modo reliqui diuer-
sis qualitatibus alijs. Quod præterea ad uolupta-
tem attinet, et dolorem, ita consideretur.) Pertur-
bationum omnium summa capita sunt, uoluptas et
dolor. ac idcirco Plato, cum affectionum corporea-
rum originem tradere in his uelit, causas illorū duo-
rum exponit. Quare uoluptatem inquit gigni, cum
consentaneas nostræ naturæ res percipimus: contra
uero dolorem, cum res nobis aduersas, ac repugnan-
tes. At non omnia dolorem, uoluptatemq; isto modo
pariunt: sed illa tantū, quæ tactu percipiuntur. Nam
in uisu, auditu uel, quamuis molestia iucunditasq;
infit, propter naturæ cōsensionem, dissensionem uel
cum rebus externis: quia tamen cum facilitate affe-
ctio hæc paritur, nec organū ipsum ledit, diuersam
doloris uoluptatis uel causam habem: nec eadem ra-
tio illorum, atq; ipsius tactus est. Quod Plato idem
confirmans, inquit: Sensus tamen uehementes cla-
rissimiq; ipsi competunt, quatenus aliquid patitur,

incurritq; in aliquid, et attingit.) Id est, cum uisus
et auditus ob subtilitatem naturam habeant diuer-
sam à tactu, diuersam quoq; perpeffionis causam ha-
bebunt: siquidem non patiuntur ab obiectis, quate-
nus uruntur, scinduntur uel, ut tactus: sed quod ma-
ius, uehementiusq; sit obiectum, à quo mouentur.
Quemadmodū enim tactui incisio, inflammatio uel
dolorem affert: sic uisui maior splendor, et auditui
acrior sonus. nulla tamen alia uiolentia illis inest,
quæ uel partes discernat coniunctas, uel quæ diuisas
constringat. hæc enim dolorem afferunt: ut in tactu
uidere licet, qui facile offenditur, si incidatur caro,
uel os, neruus uel, atq; etiam si cōstringantur inflam-
matione, inustione uel aliqua. Ex quo liquet, dupli-
cem hic doloris causam à Platone tradi, quam Gale-
nus, medicisq; alij confirmant: dissolutionē conuinui,
et constrictionem partium, de quibus tamen alijs
dicitur. Corpora uero ex partibus grandioribus
constituta, et uix agendi cedemia, quando motiones
illatas in totum corpus traijciunt, uoluptates dolo-
resq; continent.) Cum doloris ac uoluptatis cause
ex tactu in corpore cognosci dixerimus, tactusq; ter-
reæ naturæ sit, si corpori eidem externa alia res du-
ra, et multis constans partibus, hoc est densa uim
afferat, aut motu suo corpus uniuersum cōmoue-
at, dolores efficiuntur: quoniam tranquillum corporis
statum mutant. Cuius rei cōprehensio nō in ea par-
te solum fit, in qua uis illata est, sed per totum etiam
corpus diffunditur. nam ut doloris sensus est tactus,
atq; hic (uti diximus) toto corpori fusus est, ita do-
lor ex tactu per corpus ipsum diffundetur. Con-
traria huic affectio est uoluptas, cum status, tempe-
riesq; ab ingruente re conseruatur: ut suauis odor
odoratum recreat, quia ipsum reficit, non tamen læ-
dit, ut foetidus. Quæcunq; paulatim abscessus, e-
uacuationesq; sui perpetiuntur: repletiones uero si-
mul atq; abunde, cum euacuationis quidē sensum ha-
beat nullum.) Commotio quæuis uehemens, quæ ta-
ctus sensoriū offendit, dolorem idcirco affert, quod
tranquillam corporis temperiem agitat: ut alicuius
membri incisio, aut inflammatio. contra uero, cum
lenit et paulatim uel è corpore aliquid abscedit et
imminuitur, uel accedit atq; implet, uoluptas efficitur.
Nam ex cōmotione repentina dolor, ex lena le-
niq; uoluptas nascitur. Quarum sanè perturbationū
sensitiua animi facultas est. nec enim ratio ex se quic-
quam patitur, aut affectionis occasionem præbet.
Hæc ergo communis sit affectionum corporarum
origo, à Platone breuiter explicata, de qua plura
Galenus lib. de Locis affectis.

Iam communes toti corpori passio-
nes, easq; inferentium cognomen at-
tractauimus. Nunc igitur eas quæ cer-
tis nostri corporis partibus accedunt,
& unde proueniunt, quibus uel causis
inferuntur, pro uiribus exponamus.
Principiō

Principiò quæ suprà, quādo de humo-
ribus agebamus, reliquimus, cum lin-
guæ passiones sint, si quo modo possu-
mus declaremus. Videtur autem hæc,
quemadmodū & alia multa, discretio
nibus quibusdam & concretionibus
fieri, ac præterea lenitate asperitateq;
magis quàm cætera uti. Tenduntur à
lingua uenæ ad cordis sedem, saporum
nunciæ: in quas si qua ita inciderint, ut
humidam carnis molliem penetran-
tia, terrestri sua natura modicè liquefa-
cta, uenas ipsas cōtrahant, arefaciātq;
sapores huiusmodi pariūt. Videlicet si
asperiora sunt, acerbos, acresq;: sin as-
pera minus, austeros & ponticos. Quæ
& illas purgant, & si qua linguæ inhæ-
rescunt, abluunt: si ultra modum id fa-
ciant, naturæq; ipsius non nihil lique-
faciant, qualis est in nitro potētia, ama-
ra omnia nominantur. Sin autem uim
nitro temperatorem habent, leniusq;
abstergunt, salia sine amaritudinis as-
peritate, magisq; amica nobis appa-
rent. Quæ autem applicata oris calidi-
tati, ab eo quæ mollita & feruefacta, ip-
sum uicissim feruefaciūt, suæq; leuita-
te fursum ad sensus capitis eleuantur,
suoq; attractu singula diuidunt, pro-
pter huiusmodi vires acuta uocantur. 30
Quandoq; uerò hæc eadem ex putre-
dine attenuata, angustas uenas ingre-
diuntur, cogūtq; partes interiores tam
terrenas quàm quodāmodo aereas iac-
tatas inuicem cōmisceri, permixtasq;
circulabi alias, & alias ingredi, ingres-
susq; suo penetratas concauas tenasq;
efficere, ubi concavus & ampullosus
humor aeris cōfunditur. isq; humor
aliās terreus quoquo modo est, aliās 40
purus: sitq; ex aqua concava uasculum
aeris humidum atq; clarum. Sed quod
ex pura nascitur aqua, perlucet undi-
que, ampullaq; uocatur. Quod autem
ex lutulento magis humore simul agi-
tato quidē, elatoq; & circumtēso con-
ficitur, ebullitio, bulla, fermentumq; di-
citur. harum omnium passionum cau-
sa, acida qualitas appellatur. His omni-
bus quæ de his dicta sunt, cōtraria pas-
sio, à contraria causa proficiscitur. Quā-
do uerò ingredientium qualitas humi-

da est, linguæ qualitati naturaliter con-
cors & consentanea, ac lenit molli-
tam, contractamq; demulcet asperita-
tem, & quæ in nobis præter naturam
cōtracta uel sparsa fuerunt, relaxat uel
colligit, ac summam naturalem singu-
lis restituit habitum, suaue huiusmodi
omne amicumq; est omnibus, uiolen-
tarum quoq; passionū medicina atq;
remedium, dulceq; uocatur. Circa na-
rium uim species non sunt. Semigenia
enim odorū natura: speciei uerò nulli
competit odorem ullum habere. Sed
nostræ circa hæc uenæ ad terræ & a-
quæ genera angustiores sunt, ad ignis
uerò aerisq; genera latiores. Quocir-
ca nemo unquā istorū aliquem sensit
odorem: sed in madefactione quorum-
dam, uel putredine, uel liquefactione,
uel euaporatione gignuntur odores. 20
Cum enim in aerem aqua, uel aer in a-
quam transit, in medio istorū odores
fiunt: omnisq; odor aut fumus est, aut
caligo. Sed horum quod ex aere muta-
tur in aquam, caligo: quod uerò ex a-
qua in aerem, fumus. hinc fit, ut aqua
odores tenuiores sint, aere crassiores.
Quod maximè perspicuum fit, quan-
do certa quadam re naribus occurren-
te, aliquis in seipsum uehementer spiri-
tum retrahit. Tunc sanè nullus simul
influit odor, spiritus autē ab odore nu-
dus solus sequitur. Duæ igitur hæ in
his uarietates absq; nomine sunt, nec
ex pluribus, nec ex simplicibus specte-
bus: sed duo ibi nomina tantum mani-
festa sunt, suaue scilicet & molestum.
Hoc quidem distubrat uolūtq; omnē
eam capacitatē, quæ à summo capitis
uertice ad umbilicū protenditur. Illud
uerò eandem mulcet, & amico quodā
ingressu naturalem eius seruat habitū.
Tertiam præterea uim sentiendi, audi-
tum uidelicet, ita cōsiderare debemus,
ut quibus ex causis passiones eius pro-
ueniant, exponamus. Omnino igitur
uocem ponamus, pulsationē quandā
ab aere, per aures cerebrumq; & san-
guinem usq; ad animam penetrantem.
Nata quoq; ex ea motionem inci-
pientem à capite, & in sedē iecoris de-
sinentem, auditum uocemus. Motio
A 2 quidem

quidem uelox, acuta prouenit: tarda, grauis. Vna æqualis atq; lenis, contraria uerò aspera. Magna quæ multa, parua quæ pauca. Harum uocum concordiam consonantiasq; in sequentibus declarabimus.

Communem affectionum corporearum rationem, quæ ex qualitatum natura proueniat, in precedentibus Plato explicuit, nihilq; de singulari aliquo sensu priuatim disernit. Nunc sensuum singulorum perpeſiões, uiresq; docet. atq; illas quidem, non quòd ab ijs sensoria ledantur, superioribus addit: sed quia sensus ipsi, in rerum imaginibus percipiendis, quodammodo ab obiectis patiantur. Itaq; de gustatu, odoratu, auditu, uisq; hic dicendum est, quādo hactenus de tactu egimus. Quo nomine quoniam gustus quodammodo tactus est, deq; tactu paulo antè est dictum, de illo differendum in primis uidetur, quo nam pacto fiat, uel quomodo à saporibus afficiatur. Igitur gustus, ut Aristoteles lib. 2. de Anima inquit, eiusdem ferè naturæ est cum tactu. nterq; enim res contactu percipit, alter nimirum sapor, alter uerò tactilia: quamuis diuersa ratione. nam tactus soliditatē, molemq; corporis diiudicat, gustatus autē sapor. Quo nomine gustus organū est lingua, et palatum: tactus uerò manus, ac totum corpus. Sed ut ordine proposito gustatus perpeſiōnes doceamus, lingua quidem cum gustus instrumentum sit, sapor omnes discernit. Eadem enim spongie similis est, ut tibi succū excipiat facile: tegiturq; rara quadam pellicula, quæ ad palatum usq; protensa, à nervis è cerebro ad palatum ipsum porrectis, ipsiusq; radices cominensibus illigatur. Quo fit, ut gustatis saporibus, eorum perceptæ species per nervos ad cerebrū dimittantur. Iam uerò gustus ipsius mediū, quo sapor cōprehenditur, salua est: quæ humectati cibi, qualitates suas linguae iudicio permittunt. Quæ de causa sapor qualitas quedam erit gustu perceptibilis, ex humido ui caloris digesto in sicca cibi natura. Nam ut Aristoteles in lib. de Sensu et sensili testatur, saporibus etiam quatuor omnes qualitates insunt, qui prout compositi ex illis fuerint, diuersam formam habent. Duo enim præcipua genera saporum sunt, ut idem ait, quibus alij omnes subiiciuntur: dulce, et amarum. quorum illud ex moderato calore, humoreq; fit: hoc ex nimio calore, nimiaq; siccitate. His duobus generibus quinque aliæ formæ subiiciuntur, ex utrisq; tanquam contrarijs compositæ: nimirum sapor salus calidæ, sicciorisq; naturæ, qui linguā exsiccatur, ut sal: acris, qui calore, siccitateq; pariter uehementi constat, ut piper: austerum terrestris naturæ, ac crasse, ut siluestria poma: acidus siccus, et maxime frigidus, ut acetum. His addidit Theophrastus pinguem, qui maiori humoris quàm caloris copia abundat: ut adipem, oleū, buryrū. Hæ igitur saporū differentie di-

uersas habent qualitates, à primarū tēperature natas. Nam ut calida dissolunt, frigida cōstringunt, humida diluunt, sicca abstergunt: ita res ex ijs qualitibus compositæ similes illis saporibus habent, qui ab humore linguae insito caloris ui percipiuntur. Vnde Aristoteles saporem hoc modo definit in lib. de Sensu et sensili, ἔστι τὸ τὸ χυμὸς, τὸ γινώσκον ὁ πρὸ τῆ εἰρημονίας ἐκ τῆ πάθος, ἐν τῷ ὄντι τῆς γούσιως, τῆς κατὰ διύαμιρ ἀλλοιωτῆρος εἰς οὐσίαν. Sed ut ad Platonis uerba accedamus, gustum quidē is in linguā collocat, ex qua uenulas quasdam ad cordis sedem porrigi inquit, et ex quarum cōtractione, dilatione uel propter diuersas succorū qualitates uarietatem saporum distingui affirmat. Ipsorum item saporum septem solum formas retulit: dulcem, acrem, pomicum, austerum, salsum, acutum, amarū. Octauum his addidit, uti diximus, Theophrastus, pinguem. Sed Aristoteles in eodem lib. de Sensu et sensili, septem solum genera recenset, cum Platone: quamuis Plinius lib. 15. cap. 27. tredecim genera cōnumeret, quæ omnia ad septē superiora possunt reduci. Itaq; dulcem saporem Plato ait linguae humorem delinire, acrem turbare, acutum inflammare, amarum abstergere ac liquefacere, salsum purgare et exsiccare, pomicum meatus linguae obstruere, austerum leniter contrahere. Ex eorum igitur genere, ut Galenus lib. 2. de Simplic. medic. facult. refert, duas primum saporum inter se differentes formas Plato proponit, austerum et acerbum, quæ tamen eiusdem sunt generis: siquidem acerbum ex intensiōne austeri oriri ait. Secundam uerò formam contrariorū saporum illis adiungit, quæ abstergentium et exsiccantium est, ut nūtri, ac salis: ex quorū intensiōne, remissiōne uel, amarus, salusq; sapor nascuntur: ille uidelicet ex intensiōne, hic ex remissiōne. Postremò acrem, acidū, et dulcem in tres alias differentias distinguit. Atq; hæc est tota saporum, gustusq; natura, et perpeſiō: de qua latius in eo libro Aristoteles et Alcinoüs disernunt. Quæ in re differt à Galeno Plato, quòd hic uenas à lingua in cor usq; porrigi dicit: ille contrā, à cerebro nervos deduci, qui linguae pelliculā quasi ramis quibusdam alligent, per quos non solum tangendi, sed gustandi etiam sensus fiat, ubiq; affirmat. Quoniam autem uenæ illæ à lingua in cor porrectæ saporū nunciæ Platoni dicuntur, ita esse intelligendum uidetur, ut cor, tactus et gustus, auctore Aristotele, sit sensorium: à quo non illi solum sensus, sed reliqui etiam oriantur. siquidem cor ipsum sensoriorum omnium origo est, et animalis caloris initium, à quo uitales spiritus euehuntur in cerebrum, ut sensuum uehicula sine. nam spiritus illi ad partes diuersas digressi, ut ad oculos, linguam, nares, sensuum organa fiunt. Quæ quidem in re Plato et Aristoteles planè consensunt, differunt tamen à Galeno. Quando autem hæc est gustatus et saporum ratio à Platone tradita, uaria esse saporū genera quæ linguā, eiusq; spi-

ritus

ritus afficiant, aduertendum est. Quidam enim sapores astringunt, ut pomici: alij penetrant, ut amari, et acres, idq; ob qualitates diuersas. Acerba enim frigida sunt, ideoq; constringunt: amara cum sine calida, penetrant. His opponuntur dulcia, ad uitam animalium tuendam apta. eadem enim potissime alunt: et eadem ratione quaecumque partem saporis dulcis habuerint, multo magis alent: imò sapores quia eius dulcedinis participes sunt, alunt, ut latius ab Aristot. in lib. de Sensu et sensili traditur. Cum igitur hæc sit saporum diuersorum natura, duo affectionis genera ex acido sapore linguae accidunt: ampulla, et bulla siue ebullitio, quam *σφοδρὴ* et *σύνουσις* Plato uocat. atq; illam quidem ex constrictione partium linguae fieri ait: quoniam acidus sapor, Galeno auctore, frigidus est, et astringit, ideoq; linguam offendit, et ampullam excitat humore frigido, aereq; plenam. cum uerò humor idem ampullæ inclusus putrefactione inflammatur, et incenditur, pus gignit, quod fermentum siue *σύνουσις* hic uocatur. Itaq; utriusq; rei causa est acidus sapor, qui terree, frigideq; nature, et astringentis est, ut prolixè Galenus libro 4. de Simpl. medic. facult. Atqui hæc breuiter de saporibus dicta à nobis sint. Plura enim Aristot. lib. 2. de Anima, et de Sensu et sensili, itemq; Plutarchus in Quæst. naturalibus Circa narium uim species non sunt, odorum enim semigenia natura.) Magna est odorum cum saporibus consensio, adeò ut sapor odoris causa sit, quemadmodum Aristoteles refert. Odoratus autem sensus est, quo rerum odor percipitur, cuius instrumentum sunt nares, medium autem est aer. Sed ut singula exactius explicemus, quod ad odoratus instrumentum attinet, due sunt (teste Aristotele) in frontis commissura cum naso quasi mamillæ, spongiæ similes, et ex cerebri natura molles, per quas odores comprehendimus, comprehensosq; ad cerebri anterioris partem transmittimus. Nam ex duob. narium meatibus alter ad anteriorem partem porrigitur, excrementaq; cerebri deiecit, alter odores percipit. Ad illas igitur mamillas adductus uapor, odorè in cerebro gignit. Atqui hic est odorandi instrumentum ab Aristotele traditum. Contrà tamen Galenus in lib. de Instrumento olfactus, nullas eiusmodi mamillas ponit, sed in anterioribus cerebri uentriculis odores recipi affirmat. At cur nam Plato de molesti odoris offensione loquens, ille (inquit) à summo capitis uertice ad umbilicum protendit? Certè cum anima hominis triplicem corporis sedem sortita sit, caput, cor, et iecur: atque à sensibus exterioribus patiat, affectus quidè sensus olfaciendi graui aliquo odore, tota eadem anima afficitur: ideoq; nihil est aliud à summo capitis uertice capacitatem intermediam ab odore graui disturbari, quàm non modo sensorium olfactus, qui à naribus ad cerebri anteriorem partem uertici capitis subiectam porrigitur, offendi, sed totam etià animam sensitivam ab eodem capite ad iecur, quod

umbilico proximum est, siue in uentre inest, diffusam perturbari. Iam uerò, cum odores mixtorum quoq; corporum sint, odor sanè nec uapor illorum, nec exhalatio est: sed qualitas quedam fumida, calor is ueducta, quæ odoratum excitat. nam id quod à singulis corporibus effluit, olfactilis natura dicitur: idq; quatenus sapidum est corpus, ut ait Aristoteles. Quare odor tum ex humore, tum calore constat. ac humore quidem moderato: si enim nimius sit, nullus erit rei odor, ut in aquosis rebus cernimus. calore uerò maiori: quia calor agendi uim præditus, fumum ex obiecta re excitat, qui odor dicitur, ideoq; odorandi facultas calidæ nature est, Aristotele auctore. Eademq; cum inspiratione fieri debet, quonià à pulmonibus inspiratio fit, ut cerebrum dilatetur, atque aer odoratus penetret per meatus narium, ad partem anteriorem cerebri pertingentes. Vnde animalia minime respirantia olfactu carent, nisi fortè facultatem aliam ad odores hauriendos loco respirationis habeant. Igitur odoris, ut cum Platone loquamur, media quedam natura est aere crassior, et aqua subtilior, quasi fumus humidus, et aeruus, qui ab insito calore odoratus narium instrumento percipitur, idq; cum spiramus. nam si quis halitum contineat, minime olfaciet. Quare necesse est inspirationem fieri, ut fumosa odorum natura attrahatur. At cum odores certum aliquod genus non habeant, ut sapores et colores, sed ex saporum discrimine, ut ait Aristoteles, dignoscantur, semigeniam naturam illos habere inquit Plato: non quòd aqueæ solū, aut aeræ, terree uel nature sint, sed mediæ cuiusdam ex illis compositæ, quando ex qualitatū mixtione odores percipimus. Cum ergo definitum genus odores non habeat, duas solum illorum differētias dignoscimus: suauem nimirum, cum quid placet olfactui, cerebrumq; reficit: et iniucundum, cum displicet, ac lædit. alter enim grauitate sua olfactus sensorium offendit, alter uerò reficit ac recreat. Vtriusq; tamen sensus ad animi sensitiui uim peruenit. Ergo hæc due tantum odorum differētiae dignoscuntur, plures nō item. Quamquam ex saporum discrimine odores etiam distinguamus: ut saporem acutum, uel amarum, ad odorem etiam transferimus. sed hac de re fusius in lib. de Sensu et sensili Aristoteles. Tertiā præterea uim sentiendi, auditum uidelicet, ita considerare debemus, ut quibus ex causis passionibus eius proueniant, exponamus.) Auditus odoratu, gustuq; subtilior est: ideo sublimiorem capitis locum, ac uisui proximum obtinet. Idem autem aeræ nature est, quoniam uoces, quæ aeris quoq; natura constant, percipit. Huius instrumentum sunt aures, per quarum meatus ad cerebri usq; uoces transmittuntur, ut partim in superioribus docuimus. obiectum uerò est sonus, ex duorum solidorum corporum collisione editus, et per medium aerem ad aures delatus: ut uox, quæ ex ore animantis, percussione aeris in lingua cum palato, ac dentibus efficitur. Itaq; auditus, ut Plato hic cen-

et, à motu, qui circa caput editur, & ad iecur usq; peruenit, fit: ut cum in cerebro audiendi sensorium ab ipsa facultate auditrice mouetur, uox per aures excepta, ad idem cerebrum penetrat, indeq; per sanguinem ad animā sensualem peruenit. Anima enim rationalis in cerebro est. eademq; sensus primò mouet: qui commoti, adductisq; rerum sensilium imaginibus, sensoria sua commouent: indeq; primò ad cerebrum, unde nervi omnium sensoriorum nascuntur, penetrant: & ex cerebro ad reliquam sensitiuam animam, quæ in corde ac iecore sita est, digrediuntur. At cur nam per sanguinem sonum transmitti ad animam dixit? Quia sanguis spirituum uitalium atq; animalium uehiculum est, ipsi uero spiritus uehicula sensuum sunt. Quo fit, ut spiritibus per sensoria diffusis sentiamus, perq; eosdem sensilium rerum imagines traducamus. Atq; id sanè Plato innuens, motionem inquit à capite incipientem, & in sedem iecoris desinentem, auditum uocari: siquidem anima sensitiua à iecore usq; ad caput per corpus diffusa, illud mouet, spiritibus illis animalibus è sanguine adductis: his demum commotis, sensorium ab obiecto patitur, atq; ita sensatio fit. Hic igitur est audiendi modus, & perceptio sensus. Nunc uerò, ut de uoce dicamus, eadem auditus obiectum est, ac uarias habet differentiās, easq; acrioris iudicij. Nam quæ uoces citius, uelociusq; mouemur, auditusq; sensorium penetrant, acutæ dicuntur: quæ tardius, graues: quæ acres, ac multæ sunt, magnæ: quæ exiles, & subtiles, parue: quæ æquales, suauis: quæ denique inæquales, ac perturbatæ, asperæ dicuntur. Harum uocum magnum est in Musica discrimen, ideoq; non tam in cerebro, quàm in tota sensitiua anima sensus earum est, per quam illa ipsa quasi diffunditur.

Sequitur quartum sentiendi genus exponendum, quod uarietatem in se plurimam continet: & quæ sub eo sunt omnia, colores uocantur. Est autem color ueluti flāmula quædā, fulgorq; à singulis corporibus emanans, partes habens uisui ad sentiendum accommodatas. Causas uerò ex quibus uisus gignitur, suprā tractauimus. Nunc de coloribus potissimum hoc pacto probabilia dicenda uidentur. Quæ ab alijs delata partibus in aspectum cadunt, partim minora, partim maiora, partim uisus ipsius partibus æqualia sunt. Æqualia quidē sentiri non possunt, quæ diaphana, id est utrinq; perspicua nominantur. Minora uerò aut maiora partim discernere, partim cōtrahere uisum dicimus, instar eorum quæ caliditate uel frigiditate carnem, aut eorum quæ acrimonia uel acumine caliditate ue

linguam contrahunt uel discernunt. Atq; ea quæ uisum sic afficiunt, alba nigra ue uocamus, quæ quidem passionēs eorum sunt, quæ modò narrabam, & illorum quidem germana eademq; quodammodo, sed in genere alio, diuersa tamen propter has causas esse uidentur. Sic utiq; appellanda sunt ista, quod uisum disgregat, album: nigrum uerò, quod cōgregat. Motionem profectò acutiorem alteriusq; generis ignis, incidentē dispergentemq; uisum usq; ad oculos, orbesq; ipsos oculorum meatusq; ui diuerberantem, liquefacientemq; ignem esse dicimus ex opposito obuiantē: cuius occurſu lachryma, corpus ex igni & aqua mixtum, effunditur. Et uno quidem igne, uelut è coruscatione quadam exiliente, altero uerò penetrante, & ab humore extincto, uarij creantur ex huiusmodi mixtione colores: atq; ipsam passionē fulgorē coruscationēq; uocamus: quod ue id facit, splendidum atq; coruscum. Horum medium ignis genus ad oculorum humore perueniens, illiq; se miscens, minimè quidem coruscum, sed ex ipsa ignei radij ad humorem admixtione, sanguineum creante colorem, rubeum nominauimus. Splendidum albumq; rubeo mixtum, flauū procreat. Quo autem mensuræ modo singula singulis misceantur, etiam si quis nouerit, narrare prudentis non est: præsertim cum neq; necessariam, neque uerisimilem de his rationē asferre ullo modo possit. Rubeum cum albo nigroq; purpureum generat. Paulo obscurior moreus, luteolusq; fit color, quando his inuicem conflatis adustisq; magis est adiuncta nigredo. Fuluum flauifusq; temperatiōe producit. Fuscum uerò, albi & nigri cōfusione. Pallorem albi flauiq; copula generat. Splendidū albo adiunctum, plurimaq; obfusum nigredine, cæruleū efficit. Cæruleum cum albo glaucum creat. Fului nigriq; temperie color uiridis nascitur. Cætera fermè ex his omnia manifesta fiunt. Si quis enim superiores mixtiones imitatus, reliquos colores exequitur, probabilibus rationib; disputabit. At si quis horum

horum discussionem probationemque opere ipso aggredietur, quid inter humanam diuinamque naturam intersit, ignorare uidebit. Nempe Deus multa in unum colligere, rursusque unum in multa producere sufficiens est. scit enim simul, ac potest. Homo autem nullus qui alterutrum ualeat, aut est nunc, aut unquam erit. Hæc sanè omnia ita tunc naturaliter affecta ex necessitate, ille pulcherrimi optimique operis fabricator in his quæ gignebantur assumebat, quando Deum seipso sufficientem & perfectissimum generabat, utens quidem causis ad hæc ministris: quod autem bene se habebat, ipse in singulis agens. Duas enim causarum species distinguere decet: unam quidem necessariam, alteram uero diuinam. Ad diuinam in omnibus quærere, ut beatam uitam, quoad naturam nostram possibile est, adipiscamur. necessariam quoque causam illorum gratia perscrutari. Cogitare enim oportet, absque his illa in quibus studiū ponimus, non posse intelligi, uel comprehendī, uel quomodo cuncta aliter percipi.

Sensum omnium subtilissimus, præstantissimisque est uisus: de quo cum multa in superioribus dixerimus, quo pacto nunc à coloribus patiat, et quæ sint colorum differentia, explicemus. Quæ quidem in re uisum ab obiecto colore moueri, radiosque uisus ab oculo ad obiectum per medium aerem lucidum mitti, qui formam obiecti referant, ex superioribus statutum sit. Nunc non de uisionis modo, uel de facultate ipsa dicamus, sed de illius perfectione ab obiecto, deque obiecti generibus. Quo nomine cum color uisus obiectum sit, illum esse corporis extremam planicie luce suffusam, definire oportet. Nam cum omnibus corporibus lux quedam uel magna, uel exilis insita sit, quæ conspicua, colorataque illa reddat: profecto color lux erit, ac ueluti flamma quedam, ut Plato inquit, quæ corporis extremitati inherens, conspicuum reddit illud. Quam ob causam color in mixtis est solum corporibus, non autem in simplicibus, quæ uel diaphana, uel lucida, uel prorsus opaca sunt. Quæ cum ita sint, recte colorem cum Platone possumus definire, flammulam, aut fulgorem à corporum extremitate procedentem, quæ uisui accommodata sit. Siquidem, auctore Aristotele in lib. de Sensu et sensibili, extremitas perspicui in corpore terminato color est. ideoque superficies et color numero sunt idem, quamuis ratione quadam differant. quatenus enim superficies uisibilis

est, color dicitur. Atque eam ob causam essentialia coloris principia sunt lumen et perspicuitas, ex quorum mixtione compositæ corporum superficies colorate fiunt. Quando igitur color id esse, ex Platonis et Aristotelis sententia constat, de colorum generibus dicamus. Colores omnes cum ex luminis participatione fiant, pro diuersa illius portione uariantur. quare duo esse illorum initia, ex quorum diuersis mixtionibus fiant alij colores, non modò Plato, sed Aristoteles etiam in lib. de Coloribus, aliamque docet. Eadem uero sunt, album et nigrum: quorum illud ex multa luce constat, hoc uero ex nulla, aut certe minima. Nam si nigrum luce omni careret, cerni non posset. nec enim nigredo omni lucis mixtione caret, sed aliquam etiam habet, tametsi exiguam. Vtrumque igitur colorem sic possumus cum Platone atque alijs definire. Album est, color multa luce circumfusus, uisumque disgregans. Nigrum uero est, minima luce compositum, ac uisum congregans. Itaque cum multa splendidaque corporum extremitatis lux est, color albus fit: cum uero minima, niger. Ex horum duorum extremorum mixtione medij alij colores fiunt, ijque numero sunt quinque: rubrum, ex albi nigrique mixtione: flauum, ex multo albo, paucisque nigro: croceum, ex maiori rubri quam albi portione: uiride, ex multo nigro, et rubro pauciore: purpureum, ex pluri rubro, et nigro pauciori. Hæc igitur mediorum colorum forma, tum ex duorum simplicium albi et nigri mixtione fiunt, tum ex mutua aliorum mediorum compositione. Siquidem prout maiorem, minorem uel nigri, aut albi partem cum alio intermediarum colore permixta habuerint, diuersi fiunt colores, ut latius ab Aristotele in lib. de Coloribus explicatur. Atque hæc est communis mixtionis colorum modus. Ratio uero, et proportio, quæ in mixtione seruatur, uix potest à quoquam comprehendī, ut Plato inquit. nam qui eam uolet explicare, humani ingenij imbecillitatem ignorabit, dum se id, quod solum cognitum Deo est, assequi posse putat. His generatim propositis, Platonis uerba interpretemur, in quibus eam facit ille uisum obiectorum distinctionem, ut quedam obiecta sint maiora, quam ut uisu percipi possint: quedam minora, quam ut possint ob exilitatem comprehendī: alia denique equalia, quæ aspectu facile concipiantur. quoniam sensui obiectum omne ita debet accommodari, ut nec exilitate sua illum fugiat, nec magnitudine superet, sed mediam quandam, equalemque formam obtineat. Ergo prioris generis sunt illa, quæ uisui radios adeo construngunt, ut nullam ferè sui formam præferant: uelut tenebræ. secundi autem ea, quæ uisum discernunt, ut sol, et splendidissima corpora, colorque albus. Hæc demum diuisione facta, maiora inquit obiecta uisum offendere propter nimium splendorem, qui naturam igneam oculorum lædens, lachrymas excitat. Ignis enim maior, ut Theophrastus in lib. de Igne refert, minorem interimit: proindeque maior obiecti splendorem

dor lucem oculorum extenuat, ac offendit. Vnde lachrymae sunt, quae ex humore oculorum compresso excitantur. Quod autem maximus splendor oculorum aciem praestringat, in causa est, tenuis ipsorum lucem à maiori obiecti luce extinguere: id quod de maiori, minori; igne diximus, quodq; Galenus lib. 10. de Vsu part. ex Platonis sententia confirmat. ait enim, colorem illum splendidissimi obiecti visus radios dispergere, oculorumq; meatus vi sua penetrare: ex qua penetratione cum proprius oculorum humor comprimatur, lachryma gignitur. Eadem est enim, humor quidam oculi inflammatione excitatus, quem ex igni aqua; mixtum Plato idcirco nominat. Et uno quidem igne velut è coruscatione quadam exilente, altero uerò penetrante, et ab humore extincto, varij creantur ex huiusmodi mixtione colores.) Constitutis iam coloris generibus albo et nigro, quorum illud visum disgregare, hoc uerò congregare dicitur, mixtionem iam intermediarum adducit. sic enim ait: Cum colorum alter visum discernat, ac offendant, ut albus: alterq; constingat, et offuscet, ut niger: tum demum temperatur obiecti color, visuiq; accommodatur, cum ignis, hoc est, lux eiusdem, ab splendido corpore effluit, huicq; lux oculi egressa in medio aere lucido miscetur, indeq; ad oculum redit, ac circa humore extinguitur: id est, per pupillam intrans humore oculorum lenior et extenuatior fit, quousq; ad cerebrum quasi spiritus quidam perueniat. Ex hac itaq; oculorum lucis cum obiecti luce mixtione, colorum diuersitas gignitur. Et perceptio illa, quam uidendo oculus fert, splendor Platoni dicitur: hoc est, lucidi coloris perceptio. Quod uerò passionem eam oculo infert, hoc est obiectum, coruscum, lucidumq; corpus uocatur: siquidem obiectum lucidum oculorum aciem lucidam mouet, quae foras emissa, obiecti imaginem percipit. Atque haec est uisionis ratio, colorumq; comprehensio à Platone exposita, quam obscuris uerbis Pythagoreorum sententia tradit. Quae uerò deinceps ab eodem docentur, ad colorum mixtionem pertinent, de quibus fusius supra diximus: quae quo pacto fiat, Aristoteles in lib. de Coloribus ostendit. Colores autem, quos Plato hic recēset, sunt: ῥοδόεις, id est ruber: ῥαυδοίς, id est flauus: ἀλκυδοίς, id est purpureus: ὀφειοίς, id est luteus: πυρροίς, id est fuluus: φαιοίς, id est fuscus, ὤχρεοίς, id est pallidus: γλαυκοίς, id est caeruleus: πρασινοίς, id est uiridis. Ex his omnib. quatuor esse priora genera, è quibus alij omnes componantur, Timaeus in suo libro his uerbis docet: πᾶτα δὲ τίττορα, λουκρόν, μέλαν, λαμπρόν, φοινικίον, τελευχάρ, ἐκ πρῶτων τῶν γονῶν. Hec sanè omnia ita tunc naturaliter affecta ex necessitate, ille pulcherrimi optimiq; operis fabricator in his quae gignebantur assumebat.) Moris est Platoni, in quacumq; tractatione cuncta ad primas causas reducere: idq; non modò in hoc Dialogo saepe illum fecisse cernimus, sed alias etiam frequenter. Quid de causa,

cum de sensuum corporum perfectione ab obiectis differuerit basium, proximisq; illius rei causas tradiderit: nunc rursus ad principales causas eadem redigit. ait enim, illa omnia, quae superius dixerat, facta necessitate quadà à Deo summo fuisse, idq; ministerio secundarum causarum. Deus enim prima causa est necessitate efficiendi praedita, ut superius retulimus: dii uerò iuniores secundae causae sunt, itemq; corporis et animi connexio, quibus ut instrumentis Deus utitur. Primò siquidem Deus animam rationalem creat, necessitate quadam naturaliter: hanc deinde iuniores dii corpori alligant: illa demum corpori connexa, sensus ac uita particeps animal constituitur. Atque hic causarum ordo quia uim efficiendi naturaliter necessariam habet, necessitate, inquit Plato, hominem eo modo factum. In quo tamen considera, eundem hominem ab illo Deum seipso sufficienter uocari. Quoniam, ut amica ex Trismegisto asserimus, triplicem Deum Plato statuit: unum essentia, duos uerò participatione quadà. atqui essentia Deus est, summus ille, uniuersi auctor: participatione uerò illius sunt, mundus et homo: ille ut uniuersus, hic ut paruus mundus. Duas enim causarum species distinguere decet: unam quidem necessariam, alteram diuinam.) Quando causas, quae in hanc generationem hominis concurrant, Plato retulit, easdē nunc distinguit, ut quibus nam illarum sit utendum, declaret. Quamuis enim eas supra retulerit, necesse etiam est, propriam cuiusq; rei causam querere, non fictam, et parum consensuaneam. Quo nomine duplex esse causae genus inquit: unum diuinum, de quo in secunda Dialogi parte prima dixit: alterum necessarium, quod in rebus corporeis, et materiae formaeq; necessitate compositis cernitur. de quo non pauca in tertia hac parte discernit, cum corpoream mundi constitutionem exponeret. Vtrumq; certè genus tradendum esse dicit: sed alterum tanquam extremum, alterum uerò ut medium. Nam diuinam causam, hoc est Deum, ultimè esse omnium inquit, eumq; in omnibus primò querendum docet: at necessariam, quasi mediam ad superiorem tradi debere ait, ut uitam beatam adipiscamur. Ex quo intellige duplicem tractationis modum: unum, rerum natura corporearum: alterum uerò intelligibilem, ac diuinarum. Atque ille quidem quasi aditus quidam ad hunc consequendum est. Si quidem à rerum corporearum cognitione ad contemplationem diuinorum ascendimus, in eoq; uitam beatam consequimur. Vnde Platonis seminemiam recognosce, qui beatitudinem non in corporeis, fortuitisq; rebus posuit: sed in diuini, primi; boni, hoc est Dei contemplatione. Nam si quis omnes Platonis libros (ut Alcinoi ceteriq; Platonici docent) reuoluat, inueniet profectò non in humanis rebus, sed in diuinis beatitudinē ab illo poni: ut ex lib. 1. de Legib. ac Philebo, ceterisq; illius libris manifestum est. Quam ob causam inepit profectò quidā Platonem reprehen-

reprehedunt, quòd summum bonum in idea quadam posuerit: cum non intellexerint, ideam hanc nihil aliud esse quam ipsummet bonum, ac Deum, qui omnium extremum bonum est. Cui obiecti quoniam plura possent opponi, minime

tamen id huius loci est: & Eustratius lib. 1. Comment. in Aristotelis Ethic. eadem edisserit. His igitur in uniuersum propositis, de mundi, & eius partium effectiōe, ad hominis generationem exponendam progrediamur.

QVARTAE PARTIS TIMAEI ARGVMENTVM.

Triplicem mundum Plato in hoc dialogo constituit: intelligibilem, sensibilem, & paruum mundum, quem *μικρόν κόσμον* Graeci uocant. De intelligibili, in secunda dialogi parte disseruit, cum de Deo, ideamq; disputauit. De sensibili, & corporeo, qui illius imago est, in tertia superiori. De paruo deniq; mudo, hoc est homine, in hac quarta dicturus est. hic enim est totius tractationis finis, quem initio Plato proposuit, & cuius gratia praecedentia docuit. Qua in parte duas huius parui mundi portiones describit, animam & corpus, ex quarum connexione animal ipsum componitur. De corpore quidem, et eius partibus, constitutioneq; ac morbis, eorum causis & remedijs primò disserit. Deinde autem de animi uiribus ijs, quae communes cum corpore sunt: quando latius ipsius animi generationem in secunda parte dialogi explicuit. Vltimò, reliquorum animalium ortus, ut foeminarum, auium, ferarum, & aquatiliū docet.

PLATONIS TIMAEI PARS QVARTA.



QUONIAM uerò nobis in praesentia ueluti fabris materia subiaceret, causarum uidelicet genera uicē fermē iam preparatae materiae obtinentia, ex quibus est sequens disputatio contexenda, rursus ad principium breuiter redeamus: citòq; illuc regrediamur, unde hucusq; processimus: atq; ita demum finem apicemq; disputationi, qualem superiora exigunt, imponamus. Quē admodum ab initio diximus, cum haec ordine carerent, singulis Deus, & ad sese, & ad alia inuicem eatenus modum rationemq; proportionis indidit, quatenus suscipere singula poterant. Tunc profectò nihil erat ordinis, nisi forte casu aliquo, particeps: nec quicquam tunc aqua uel ignis uel aliud aliquid eorum quae modò apud nos nominantur, iure uocandum erat. Verum haec primùm omnia exornauit: deinde ex ijs hoc uniuersum constituit, animal unum, animalia in se omnia mortalia & immortalia continens. Et diuinorum quidem ipse est auctor, mortalium uerò generationem natis suis tradidit absoluentiam. Illi igitur suum imitati parentem, principiumq; animae immortale suscipientes, animam ipsam mortali corpore clauserunt, totumq; corpus animae quasi uehiculum subdidere, atq; in eo aliam animae speciem mortalem fabricauerunt, quae grauibz necessarijsq; perturbationibus afficeret. Qua-

rum prima foret uoluptas, esca maxima mali: dolor deinde, fuga impedimentumq; bonorum: audacia praeterea, metusq; cōsultores amentes: accederet & implacabilis iracundia, spes etiam blanda, conciliatrixq; cum irrationali sensu, amoreq; omnium inuasore. Illi ergo haec miscētes, necessariò mortale genus composuerunt. Ceterum ne diuinum ulla mortalium contagione, nisi quantum summa necessitas cogeret, pollueretur, seorsum ab illo in alia corporis sede mortale collocauerunt: atq; à pectore caput, ceruice & collo interiecto, separauere. In pectore igitur et thorace mortale genus animae posuerunt: cumq; id naturaliter partim melius, partim deterius esset, disposuerunt rursus thoracis capacitatem, discernensq; sedem tanquam uirorum alteram, alteram foeminarum. Cartilaginam enim quandam nomine diaphragma, quod etiā phrenas uocant, inter haec mediam interiecerunt. Partem igitur animae fortitudinis iracundiaeq; participem, contentiosamq; capiti propinquiorem fecere inter diaphragma ceruicemq; mediam, ut haec obediens rationi, unā cum ipsa cupiditatem genus uiollatā coerceat, si quando rationis in arce capitis habitantis, iussa cupiditas respuat. Cor uerò uenarum originem, fontemq; sanguinis per omne corpus impetu quodam manantis, in stipatum regione suspendere uoluerunt: ut

B quando

quando iræ uis exardescit, ratione nunciante si quid extrinsecus iniuste fiat, uel intrinsecus aliqua concupiscentia turbet, tunc celeriter per angustos quoslibet meatus quicquid in corpore sensus est particeps, iussa minasque perferat, atque ita obediat obsequaturque omnino, toleretque in omnibus præstantissimi illius imperium.

SEBASTIANI FOXII MORZILLI Commentarius in IIII. partem Timæi.

Cum causarum distinctionem superius fecisset Plato, ac de hominis generatione in his sit dicturus, causam iterum materialem huic accommodat: ut non solum communes cuiusque rei causas, sed proprias etiam exponat. Primum enim, Cum de materia, inquit, supra dixerimus, quo pacto necessitate quadam quasi subiecta, informataque fuerit à Deo, ad illam rursus ueniamus, doceamusque breuiter, ante hominis generationem, quomodo fuerit ea in ordinem adducta. Itaque hæc Plato quasi axiomata proponit. Initio materiam ordine caruisse, imò eam informem quasi casu quodam delatam. Et elementa tunc distincta non fuisse, sed confusa. Itemque, illa omnia Deum mirabili consilio distinxisse. In quibus omnibus, quemadmodum sepe diximus, minime quidem intelligas, confusionem illam rerum in materia productarum ante mundi ortum acere fuisse, sed ratione quadam cogitari, quatenus confusio ordinem rei præcedit, et priuatio generatione prior est. Hoc enim modo uniuersi, eumque partium generationem distinctam intelligimus, si prius materiam informem fuisse, posteaque informatam, et in ordinem adductam dicamus: id quod Alcinoüs, ceterique Platonici affirmant. Quæ de re cum multa nos in præcedentibus retulerimus, satis sit, cum Platone hanc mundi communem generationem tradidisse, ut ad parui mundi, id est hominis ortum ueniamus. Quemadmodum enim antea, cum mundi ortum Plato exponeret, primum materie informationem, generationemque rerum confusam tradidit, posteaque in ordinem distinxit: sic etiam hæcenus confuse, ac sine ordine de multis hominis siue parui mundi partibus disseruit, ut de anima, sensibus, affectionibus, somno, eiusmodique alijs. Nunc rursus eadem ordine distinguens huius animalis singulari generationi accommodat, cunctaque illi ordine tribuit, ut ex sequentibus liquebit. Et diuinorum quidem ipse est auctor, mortalium uero generationem natis suis tradidit absolendam. Quoniam in superiori bus de animi diuisione ac partibus diximus, quo pacto immortalis à Deo, ac mortalis à dijs iunioribus crearetur: nunc reliquum est, ut quomodo partes illæ due coniunctæ in homine sint, doceamus: quæ ex

re utriusque discrimen facile cognosci poterit. Primum igitur, cum diuinam hominis partem, ut Plato inquit, Deus effecerit: partem uero mortalem dijs iunioribus: ut tranque esse in uno quodam animali connexam constitutum sit, ut ex præcedentibus constet. Hoc ita statuto, quid ex connexionem illa eueniat consideremus. Infusa iam rationali anima in corpore, perturbationes omnes simul cum sensu oriuntur. id enim ab corpore habet animam, ut affectionibus frequenter commouetur: quemadmodum supra declarauimus. Affectionum autem præcipue sunt, dolor, uoluptas, spes, audacia, eiusmodique aliæ, quibus animi sepe perturbantur, quæ omnes ab irrationali anime parte nascuntur. Quo nomine ne inter animi partes confusio esset, cum irrationalis rationis participi repugnaret, singule suis locis discretæ sunt. Nam rationalis anima uis in capite, irascibilis in corde, appetitoria in iecore collocata est, eademque interuallis quibusdam distinctæ sunt. Quæ sanè distinctione idcirco Plato utitur, ut Galenus lib. 5. de Placit. Hippocratis et Platonis, atque Alcinoüs referunt, quod hæc tres animi facultates diuersæ omnino sint, contrariæque simul in eodem esse nequeant. Nam cum ratio ad appetitum plurimum distet, utrumque ibidem existere non posset, quando idem sibi repugnaret. Quo fit, ut diuersæ facultates sint, et rationis particeps, et eiusdem expertus, diuersisque in locis sint positæ. Huc accedit, quod cum intelligimus, raciocinamur, recordamur, alijsque huiusmodi functionibus utimur, in cerebro id fieri experimur: et cum in ijs multum inhaeremus, quasi dolore quodam capitis fatigamur. Eodem quoque modo dum irascimur, odio habemus, dolemus: ue, id à corde proficisci sentimus. Ex quibus omnibus diuersas esse tres illas animi facultates intelligimus: ut latius in sequentibus dicetur. In pectore igitur, et thorace mortale genus anime posuerunt, cumque id naturaliter partem melius. Cum ratio in cerebro sit posita, reliqua uero animi pars irrationalis in inferiore locum obtineat, ne rationem impediret, ac subiecta illi esset, irascibilis quidem in corde tanquam media collocata est, ultima uero appetitoria infimum locum est sortita. Quæ de causa irascibilem Plato uiro cuidam propter feruorem et animositatem comparat, appetitoriam scemine ob imbecillitatem. Cuius rei ut intelligentiam faciamus, singulas corporis humani partes ostendamus, à pectore initio sumpto: siquidem in his Plato totam corporis fabricam exactissime describit, posteaque ad cæteras hominis uires tradendas progreditur. Pectus, ut Galenus lib. 6. de Usu partium, et Aristoteles lib. 1. de Animalibus referunt, pars illa est, quæ inter colli radices, et uentrem sita, è dextris leuissimisque costis componitur. Idem autem totum communi nomine Thorax appellatur: cuius tamen anterior pars stethos, ab osse quodam nominatur: posterior uero spina, siue dorsum. Iam intra pectus ipsum cor, pulmonesque, ut naturalis caloris, ac uitalium spirituum, et respirationis

respirationis instrumenta sint, continentur: cor nimium in sinistro latere paulo superius, pulmones autem in dextro aliquantulum inferiores, ut perpetua illa sufflandi uicissitudine tum cordis nimum calorem refrigerent, tum uocis spiritum emittant. At qui cor ipsum, et pulmones, crassa quaedam ac dura membrana, quam *opéras*, id est septum transversum, et diaphragma uocant, à uentre dirimit, ne crassi ciborum uapores è uentriculo sursum ascendentes, illud offuscet. Igitur in eo pectoris medio spacio cor inest, cuius motu, Galeno auctore, à natura proficisci, motu uero diaphragmatis ex anima, constat. hoc enim tum intensum, tum laxatum, motionis initium est. In hoc loco cor situm, irascibilis animae sedes est: quoniam ira rationi proxima, et subiecta, ministrandi uim habet, ut ab ea ueluti principe imperata cohibeat appetitus. Nec enim satis est, ratione iudicare cohibendos esse appetitus, quin irascibilis facultatis animositas, ut ministra rationis, eos cohibeat. Quam ob causam, Galeno etiam auctore, cum ratio ac mens praestantissima sit animi pars, huicque abiectissima altera quasi ex diametro repugnet appetitoria, media inter utranque irascibilis est, quae eandem appetitoriam rationis iussu reprimat. Vnde irascibilis rationem sequitur, quamuis diuersa sit ab illa: ac si ratio appetitus sequatur, irascibilis quoque sequetur: si illa fugiat, haec rursus refugit. Quo nomine rationalem quidem animam homini ratione utenti Plato comparat, irascibilem leoni, appetitoriam belluae cuidam uariae ac multiplici. eadem enim tres partes ut actionibus inter se differunt, ita locis distinguuntur. nec mirum est, unam eandemque animam diuersa ratione compositam ex contrariis esse: quando id non ad eius naturam, sed ad facultates sit referendum. Cartilaginem enim quandam nomine diaphragma, quod etiam phrenas uocant, inter haec mediam interiecerunt. Quoniam sensitiua anima inferiorem hominis partem obtinet, ac una ipsius pars in corde, altera in iecore est, intervallo quodam ambae seiunctae inter se sunt, nimirum diaphragmate. hoc enim membrana quaedam est costis annexa, quae cordis sedem à uentriculo discernit, ita ut media sit inter umbilicum et cor ipsum. Appellatur autem diaphragma, interposita illa membrana, phrenes, ut Aristoteles lib. 3. de Partibus animalium refert, quasi prudentiae particeps: quoniam cordi, in quo prudentiae uim ponit, praeteditur, non autem quod prudentia in ea sit. In hac igitur sede, partem animi irascibilem, quam Apuleius animositate uocat, Plato collocat, tum ut medium corporis locum obtineat: tum ut, cum capiti sit proxima, rationi subseruiat. Nam ad cohibendos appetitoriae impetus belluinos, ministerio irascibilis ratio utitur, et ut canis contra belluam quandam tributa homini est: ideoque, appetitoria (Platone auctore) communis est homini cum brutis animantibus, ratio uero cum dijs: irascibilis deum hominis propria est potissimum, quamuis alijs

animalibus inest, in quibus tamen illa rationi minime parcat. Cor uero uenarum originem, somnig; sanguinis per omne corpus impetu quodam manantis, in stipatorum regione suspendere uoluerunt. Animae irascibilis sedem clarius etiam describit, cordisque situm et naturam in corpore humano docete, ut eius uires intelligatur. Ergo ut omnia melius explicemur, quando de cordis situ in pectore antea diximus, primo in his dicamus, quo pacto anima irascibilis prauis actionibus externis sese, internis uel opponat: deinde, quomodo sanguinis seruire id fiat: ultimo, cur uenarum ac sanguinis fons cor uocetur. Duo sunt affectionis genera, quae rationem perturbare solent: unum ab externis rebus appetitum mouentibus profectum, alterum ab ipsa ui appetendi. Vtrunque irascibilis anima, rationis iussu uel sequitur, uel cohibet. nam si ratio ipsi assentiat, irascibilis quoque assentitur: si illa refugiat, et haec itidem refugit. Igitur ira uis contra utrumque affectionis genus obijcitur. Si enim ratio iniuste quicquam foras fieri iudicet, ira coninuo ad id uitandum quasi ministra sese offert. eodemque modo, si quae cupiditas, uel appetitus ab eadem appetitoria anima suboritur, contra ira illi opponitur. Quamobrem uirtutis uitijque actio omnis tum ratione, tum affectu continetur: ratione nimirum, quando ratio illam quasi comprobans sequendam iubet, aut eandem improbens fugiendam censet: affectu autem, cum irascibilis id quod ratio examinauit, et praecipit, sequitur. Siquidem irascibili opus est ad fortitudinem, temperantiam, ad affectus reprimendos, ad omnem denique uirtutis actionem. Vnde diuersas etiam uirtutum origines, uel auctore Aristotele, esse intellige. Nam prudentia in mente, fortitudo in irascibili, et temperantia in appetitoria, ac in uoluntate iustitia collocatur. Ex quo patet, uirtutes morales, ut in Ethic. refert Aristoteles, affectu partim constare, uelut ipsa met uirtus. Quo nomine iudicium et contemplatio rationis propria sunt: actio uero, et rei executio, irascibilis. Cum ergo irascibilis facultatis hoc munus sit, id sanguinis calor, et effervescentia è corde nasces, efficit. Cum enim cor arteriarum, caloris, spirituumque omnium origo sit, ipsumque natura sua sit calidissimum, ex se semper ad cerebrum calidos spiritus emittit. At cum ira homo rapitur, id fit, quia calor cordis effruescit obiecto aliquo, calidioresque spiritus ad cerebrum extollit. Vnde irati homines plerumque exardescere uidentur. Ergo seruior ille spiritus è corde ad cerebrum ascendenti, instrumentum irascibilis est: proindeque calidioris cordis homines animosiores, iracundioresque natura sunt. Quare cor quasi fons ignis animalibus est tributum. primumque in utero, teste Aristotele libro 2. de Animalium generatione, nascitur: quoniam potissima uitae pars calore constat. Quanquam Galenus in libro de Foetuum formatione, iecur prius gigni, quam cor, asserit. Sed hanc nos questionem Medicis discutiendam

tiendā relinquantur. Cum itaque ē corde sanguinis magna pars in uarias uenas dimanet, calorq; omnis eidem naturalis inhereat, commouēte irascibili anima, cor magno calore incenditur, sanguinemq; inflammās, totum corpus incendit. Qua de causa excitandam esse iram aliquando, ut frigiditati corporis medeamur, medici præcipiūt: et philosophi iram definiunt, caloris effluuiescentiam in corde. Hoc igitur modo irascibilis anima in corpore mouetur. Iam uerò dum cor esse uenarum ac sanguinis originem Plato dixit, ita ut ab eo tanquam fonte sanguis uniuersus oriretur, ineptē aliqui interpretantur, quasi is iecur sanguinis esse fontem ignorarit, ac non arteriarum originē cor hic appellet, sed uenarū. Nam, ut Galenus lib. 6. de Placitis Hippocratis & Platonis refert, antiqui uenas pro arterijs capiebant, & cor arteriarum origo est, ut iecur uenarum ac sanguinis. Quare originem uenarum pro arteriarum cor hic nominari à Platone, intelligēdum est. Quatuor enim uasorū ora in corde Galenus ponit, duo in sinistro uentriculo, duoq; altera in dextro. Ex illis duobus unum ex pulmone spiriū ducere, alterū adductum in arterias omnes dimittere inquit: ex his autem alterum ē iecore sanguinem sugere, alterum in pulmonem diffundere ait. Quo fit, ut arterie solum ē corde nascantur, non autem uenae sanguinis. Ideo Plato & Galenus, mediciq; omnes hac in re consentiunt: idq; ipsum de Platone Galenus in libris de Placitis Hippocratis & Platonis uidetur intelligere, cum utriusq; sententiam conferat. Differunt tamē illi ab Aristotele, quod hic apertē lib. 3. de Animalibus cor uenarum initium appellat. cum enim uenarum originem querat, earumq; coniugationes describat, in corde fontem illarum posuit, in iecore uerò minime.

Cum uerò cognoscerent cor rerum terribilium obiectu trepidaturum, & ira sapius flagraturum, idq; opus omne per ignem fore, æstus huiusmodi tēperandi gratia, pulmonum tegmē cordi adhibuerunt, molle primum atq; ex angue, deinde cauis extrinsecus fistulis spongię instar distinctum, ut spiritui potuq; hausto cordis ardorem huiusmodi respiratione & refrigerio tepesciat. Quam ob causam arterias tanquā aquæ ductus per pulmonum substantiam deriuarūt, eamq; cordi, quasi mollem saltum circūdedere: ut quando nimia feruet ira, inde ad faciliorem obedientiam temperatum deferueat, sed atq; tumultu rationi facilius cū ira ministrare & obsequi ualeat. Postremò eam animæ partem, quæ esculenta & poculenta cupit, & reliqua omnino

quibus corpus indiget cōcupiscit, mediæ regioni inter diaphragma & umbilicum applicauere: ubi quoddā quasi præsepe ad totius corporis alimoniam extare uolebant, & ibidem illam uim animæ tanquam agreste animal alligauerunt. Hic sanè illam corpus suum alere necessarium est, siquidem mortale quandoq; futurum est genus. Vt ergo ad præsepe semper illa pascatur, habitetq; procul à consultore, ideoq; illum clamore et strepitu suo minime turbet, sed permittat præcipuum nostri ducē tranquillo in otio communi omnium utilitati consulere, regionem idcirco inferiori ipsi habitandum dii dedisse uidentur. Quoniā uerò uidebat Deus partem illam animę talem fore, ut rationem non exaudiret: & si quo sensu pulsaretur, nullo modo rationibus obtemperaret, sed simulachris uisisq; nocte dieq; maximè raperetur: idcirco naturam iecoris procreauit, & in eius habitationem disposuit, densam inquā naturam, lenem, claram, dulcem, & amaritudinis non expertem: ut cognitio-num ex mente descendens potentia in ipso iecore uelut in speculo figuras suscipiente, aspectuq; simulacra reddente, quandoque recepta terreat ipsum, quandocunque cognata amaritudinis parte usa, minasq; intendens, & toti repete suffusa iecori, felleos terribilesq; colores ostentat: contrahens præterea ipsum, rugosum et asperum totum red dat, ac fibras eius, bilem, eiusq; uentriculum, & uenas quæ portæ uocantur, sic afficiat, ut partim ex habitu recto deflectens atq; contorquens, partim obstruens & concludens, dolores detrimentaq; præbeat. At rursus quando mansuetudinis ex mente inspiratio contraria uisa effingit, amaritudinem quidem sedans ex eo quod aduersam sibi naturam neq; ciere neq; attingere uelit, dulcedine uerò illi ingenua utens, & omnia recta, lenia, libera in ipso digerens: tunc sanè pacatā mansuetamq; partem animę in iecore habitantem facit, adeò ut etiam in somno moderate affecta sit, uaticinioq; utatur, quando rationis prudentiæq; est expers. Qui enim

enim nos composuerunt paterni illius mandati memores, quo mortale genus præceperat quam optimum pro uiribus fieri, ita deteriore nostram partem instituerunt, ut ipsa quoque ueritatis foret quodam modo particeps. siquidem in ea expleri uaticiniū statuerunt. Quod autem dementiæ humane Deus diuinandi uim dederit, illud argumēto esse nobis potest, quod nemo dum sanæ mentis est, diuinum & uerū uaticinium ullum assequitur, sed cum uel somno prudentiæ uis præpedita est, uel oppressa morbo, uel diuino aliquo raptu e suo statu dimota, fieri diuinationis solet. Prudentis uerò duntaxat officium est, quæ a fatidico furenteque ingenio dormiendo uel uigilando pronuntiata sunt, intelligere: & quæcumque uisa illuxerint, ratiocinatione ita discernere, ut qua quidque ratione, & cui futurum aliquid, uel præteritum, præsens uel bonum uel malum portendere uideatur, explanet. illius autē qui mansit manetque adhuc in furore, non est officium quæ uiderit aut protulerit iudicare. Scitum profectò priscū id dictū: Agere sua, seque ipsum cognoscere, solius prudentiæ est opus. Hinc lex iubet diuinis uaticinijs iudices præesse prophetas, quos Vates quidam nominant, ignorantes prorsus eos oraculorum uisorumque, quæ obscuris uoluminibus inuoluuntur, interpretes esse, non uates. Quare qui uaticinia iudicant, non uates illi quidem, sed prophetae, id est uaticiniorum interpretes pronuntiatoresque uocandi. Atque iecoris quidem natura ob hanc causam talis facta est, & in ea sede qua diximus collocata, diuinationis scilicet gratia. Ac etiam uiuente unoquoque talium signa clariora exprimi solent: uita uerò priuato, cæcitas accidit, nec euident quicquam fit uaticinij signum.

Vt causas, usumque singularum corporis partium explicet, pulmonum descriptionem cordi subiungit, qui propter cor ipsum facti uidentur. Pulmones igitur natura sua rari, et spongiæ similes, spiritum in se, respirationisque causas continent. idem enim tum se comprimunt, tum laxant, cor refrigerant, animalesque spiritus emittunt. ipsi autem, Galeno auctore, tria genera uasorum habent: unum ad sinistram

cordis uentriculū, alterum ad dextrum, tertium ad fauces pertinens. et ex sinistro cordis uentriculo sanguinem exhauriens pulmo alitur. ipseque rursus in dextrum illius os spiritum emittit, corque idem refrigerat. in tertium denique uas faucibus annexum, externus aer per asperam arteriā immittitur, dum pectus dilatur: aut internus halitus emittitur, dum idem cōstringitur. Ergo huiusmodi natura, usumque pulmonis est, ut Galenus latius explicat. ex ijs enim spiritus in cor diffuens, calorem nimium refrigerat, et cor ipsum fouet. Hic tamen dubium est, cur Plato pulmones exangues esse dicat, cur uel hausto spiritu, potumque, cor refrigerari asserat, cum nullus in pulmone potus cadat, sed in uentriculum. Pulmo quidem, ut Aristoteles lib. 3. de Partibus animalium ait, refrigerandi cordis causa cum sit, caloremque huius uehementem e sanguinis copia nascentem mitiget, originem sui motus a corde habet, causam uero spirandi intra seipsum. Idem præterea in animalibus uariis est. in alijs enim sanguinem aliquem, in alijs uero nullum habet: sed, Galeno auctore, sanguineus uero, non quod natura sua illum habeat, sed quod a corde sugat. ipse enim a corde mouetur, cum motus sit expers: tum sanguine purissimo nutritur. At hoc tamen in loco Platonem quidam reprehendunt, quod is potum cibumque in pulmones immitti, indeque spiritum oriri dixerit: quorum e numero est Nicias quidam medicus apud Plutarchum lib. 7. Symposiorum, et apud Macrobiū Disariorum lib. 7. Saturnal. cap. 15. Quibus Galenus lib. 8. de Placit. Hippocrat. et Platonis, atque idem Plutarchus et Macrobius respondent, non fuisse adeo imperitum Platonem, ut cibum potumque in pulmones deferri putarit: sed quod aliquid ex ipsa portione per fauces et asperam arteriā in pulmonem subiectum defluere censuerit, non quidem per medium foramen, quo respiratio fit, aerque ducitur, sed quod circa tunicam aeris instar descendat. Ex quo etiā tussim oriri Galenus idem inquit, præcipue si crassus ille spiritus e cibi natura defluens respirationis arterias intercludat. Sed ne plura nos in hanc rem dicamus, quam tres illi auctores, quos supra retulimus, copiose declarant, ad pulmonis usum redeamus. Respirationis causam pulmones a pectoris laxatione habent, idemque cor tum laxatum cōtractum, sufflando refrigerat, ut uehemens eius calor mitigetur: ne si subito terrore, ira uel illud exardescat, calore magno animal dirumpatur. Cor enim, siue ira homines, siue metu corripiamur, subito exardescit, sanguinemque omnem a uenis in se attrahit, ideoque calidius, ardentiusque fit: quod nisi pulmonum spiritus mitigaret, interiret animal, cum calor extra prodiens illud dirumperet. Qua de causa arterias inquit Plato, quasi aquæductus, per pulmones deriuari: hoc est, pulmonem ipsum cordi alligatum, spiritum in ipsum et arterias omnes traducere, ut ira, cordisque, ipsius feruor sedetur. Nam per illam uenam, qua sanguinem a corde pulmones hauriunt, uicissitudine

situdine quadā spiritū emittunt, eodemq; modo per asperā arteriā ē naribus, faucibusq; aerem externū ipsi hauriūt, isq; per omnes illorum meatus spongię similes immisus inflat, ac uelut folles dilatat, ad expirationem efficiendam: ut postea dicemus, cum ad respirationis usum explicandum fuerit deueniū.

Postremō eam animę partem, quę esculenta et poculenta cupit, et reliqua omnino, quibus corpus indiget. Post explicatam pulmonis naturam, connectioneq; illius cum corde, reliquum est, ut animę appetitorię sedem, id est iecur describamus. Iecur autem inter diaphragma et umbilicum interijcitur, ut Plato inquit: idemq; animę appetitorię sedes est, quando alimenti corporis facultas in eo inest. Omnis enim cibus cum in sanguinē cōuertatur, ad uitam hominis tuendam maceratus iam, et in chylum mutatus, ad iecur deferitur, ibiq; concoctus in sanguinem degenerat. Quare iecoris facultas in alendo solum, pascendōq; corpore intema est, atque ideo animę appetitorię sedes dicitur. Hęc cū plantis communis est: ac proinde iecur omnis sensus expers, plantę cuidam comparari potest, quod solam ugetatricem facultatem habet. Sed ut nos huius situm, uimq; melius declaremus, cum superiorem pectoris partem cor ac pulmo obtineant, in inferiori tamen iecur et lien ponuntur: quorum illud in dextro, hic in sinistro latere est. Virumq; autem costis annectitur. sed iecur quidem multas ex se uenas diffundens, unam ad os uentriculi mittit, per quam tenuem macerati cibi succum potionis humore mixtū recipiens, et concoquens, in sanguinē mutat: quem a colore proprio, caloreq; concoctionis, ruberū reddit. Est enim iecoris natura, quasi mollis quedam et rubra caro, concreto sanguini similis. Iam uerō sanguinem factum in multas iecur uenas dimittit, ac unam ex ijs potissimum in alterum dextri uentriculi cordis finem deriuat, quam Cauam uocant, a qua cor idem alitur. Quę cum ex ipso iecoris gibbo nascatur, spine adhærens in multos diducitur ramos: quorum unus magnus in dextrum cordis uentriculum subit, alter ad iugulum ascendit in duas partes diuisus, quarum binę ad manus per humeros, et ad caput per cernicem diuiduntur. Igitur iecur uenarum omnium origo est, itemq; altricis facultatis initium: quod idcirco Plato bellę cuidam comparat, quia omnes appetitus sequitur, solumq; corpori alendo, propagandoq; incumbit. Vnde animę uis in eo sita, quasi corporea, et cibo potioniq; intema, rationi ex aduerso opponitur. Atq; hanc corporis partem Plato significans, eam inquit animi partem, quę cibum, potionemq; expetit, in media regione inter umbilicum et diaphragma constitutam esse. Quasi diceret, iecur, ad quod cibus omnis maceratus, et in uentriculo coctus demittitur, quodq; medium est in ea corporis parte costis adiunctum, sedem animę appetitorię esse. Nam ut idem corporis alendi uim habet, nulliusq; planē sensus est particeps, sed

quasi plāta quedā est: ita etiam animę appetitoria, hoc est facultas illa, quam *σπαστική*, id est altricem uocat Aristoteles, in ea parte sita est, ut uis eius corpus alatur. Et quidem cum eadem facultas in alentem, generantem, et appetentem diuidatur, omnes has quoque partes animę appetitoria in iecore habet. Nam illa ex eodem iecore sanguinem per uenas diffundens, totum corpus alit, propriamq; habet gignendi sui similem facultatem in eodem positam loco. ab eo enim sanguis in renes defluēs, in semen uertitur generationi aptum: denique uim habet appetendi, quatenus corpus alere, suiq; simile procreare expetit. Quę omnia cum a ratione longissimē absint, et cum bellus communia sint, iure animę appetitoria bellę comparatur, ut Galenus etiam lib. 6. de Placit. Hippocrat. et Platonis refert. Præterea cum multis quoq; alias corporeas affectiones anima eadem habeat, iecur inquit similē ijs, accommodatamq; naturam habere: quoniam id ad animę cupiditatem excitandam, sedandamq; rursus, dulcedinem, amaritudinemq; habere inquit: itemq; diuinationes omnes in somnis incidentes in eodem relucere, quia ob leuitatem eius, soliditatem, ac nitorem, uim a ratione emanantē in illo putat resurgere. Quę omnia ut nos apertius exponamus, quidnam amaritudo, dulcedoq; iecoris ad animę cupiditatem excitandam, compescendam uel conferat, uideamus, aut quomodo diuinitio per somnū in eodem fiat. Cum cibus omnis, quo utimur, quatuor primis qualitatibus, quatenus mixtū corpus est, constet, idemq; in sanguinem a iecore mutetur, necesse est omnes quatuor humores primis illis qualitatibus respondentes, bilem, pituitam, atram bilem, et sanguinem, simul gigni, indeq; ad suam quemq; sedem defluere. Ideoq; in iecore tenuis cibus concoctus, et in sanguinem iam uersus, bili, pituitaq; et atræ bili admixtus est: sed ne humorum permixtio illa ibidem sit, ac in sua loca singuli deriuentur, leuissima sanguinis iam facti pars, et ignea, hoc est bilis, in sel, per canale quoddam demittitur. Purissimus deniq; sanguis pituitę admixtus, ut facile defluat, per uenas, totumq; corpus diuiditur. Ergo cum distinctio hæc quatuor humorum aut singulis noctibus, ut Aristoteles in lib. de Insomnijs refert, post sumptum cibum fiat, inter dormiendum, antequam singuli in suas regiones defluant, permixti sint, sit, ut animalis appetentia propter intemperatam constitutionem magis excitetur. bilis enim calida, et ignea, sanguinem inflammans, appetitus uarios gignit. Quę ex confusione humorum terribilia, diuersaq; insomnia pro humoris abundantis copia apparēt. Itaq; quocumq; tempore bilis sanguini admixta est in iecore, magis excitatur animal ad cupiditates turpes, ac belluinas. igneus enim bilis calor temperatam sanguinis caliditatem inflamat. Quę etiam de causa Plato amaritudine ait appetitus excitari, nimirum cum bilis, quę propter calorem nimium amara est, sanguinē

sanguini admiscetur: itemq; dulcedine eosdem sedari, quia sanguis natura sua dulcis, propter caloris humorisq; temperiem purus sit, nullisq; alijs humoribus permisceatur. Quare turpius, corporearumq; rerum in appetitoria semper cupiditas est: fortitudo uero, animositas, et audacia in irascibili: ratiocinatio, uoluntas, mens in rationali. Ex quo sequitur, diuersam esse alimenti in iecore concocti actionem, quae appetitus moueat, componat ut: quod Galenus in lib. de Animi morum et corporei alimenti consecutione mutua testatur. Hoc ita proposito, reliquum est, ut quo pacto diuination in iecore per somnium fiat, doceamus: in primis tamē, quid in ea re sentiāt Academicī, explicemus. Plutarchus lib. 5. de Placit. philos. hanc Platonis de diuinatione sententiā profert: πλάτων μὲν οὐκ οἶσιν οἱ τὸν μαντικὸν εἶδος εἶναι κατὰ τὸ οὐθεὶν, ὅπερ ἐστὶν οὐθεὶς αἰσθητὸν κατὰ θεοῦ τῆς ψυχῆς, ὅπερ ἄπειρ οὐθεὶς αἰσθητὸν, καὶ τὸ ἀναρροποδινόν, ὅτῳ τὰ πλεῖστα μέρη τῆς μαντικῆς ἐγκρίνεται. Huic etiam sententiā Amblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorum astipulatus, diuinationem esse inquit propriam animi in somnis soluti. Duplicem enim ille ipsius uitam statuit: unam communem cum corpore, alteram ab illo seiunctā. itaq; cum uita illa à corpore separata, id est intelligentia ab omni corporea concretionē libera est, ut in uigilia quadam, alius se extollens, ad suamq; pristinam naturam rediens, futura sepe praeuidet. Vnde Plato in Symposio diuinationem inquit hominum communem cum dijs esse cōsensionem, qua utriq; coniungantur. Quinetiam Galenus in lib. de Praesagio ex somnis sumendo, his assentitur, cum insomnia dormientium egrotorum medico consideranda, tanquam morbi indicia praecipit. animam enim inquit corporis profundum ingressam, eiusdem afflictiones sentire, proindeq; insomnia ex ipsa corporis constitutione ipsam percipere. Diuinationem autē animus ex somno per se liber ac solutus cōtinet. Quod Aristoteles in lib. de Diuinatione per somnium uidetur sentire, cum propriam cuiusq; naturā, seu demonem insomnia mittere affirmat: causamq; se ignorare, quā qui ad Herculis columnas, et Borysthenem habitam, diuinent in somnis, dicit. Ergo cum somnia diuinationem efficere nonnunquā soleant, ac Plato id multis in locis affirmet, restat nunc inquirendum, quomodo in iecore imagines mentis reluceant, eaq; diuinationis causae sint. Sed prius tamen communes insomnia causas exponamus. Cum noctu animal somno grauatur, sensus etiam omnes grauamur, uaporesq; ab stomacho ascendentes cerebrum offuscant: idcircoq; illud prosternitur, quia calor in stomachū se recepit, coquendoq; cibo intentus est: nec ante hominem excitat, quā sanguis fuerit effectus. Hoc iam cōfecto, quasi stimulis animal excitatur, omnisq; nebula cerebri offuscans deletur. Cum ergo somnus hoc modo fiat, sensusq; omnes sopiti tunc sint, imagines rerum in memoria collocatae à phantasia, quae

tunc libera est, educuntur, uarięq; per cerebrum discurrunt, ita ut in ipso animali eadem rursus confusae, uarięq; obuersentur, diuersaq; insomnia gignāt. Vnde fit, ut ea quae in uigilia homines effecerint, aut cogitarint, noctu plerumq; sese ijs dormientibus offerant. Itaq; calor tunc, qui in uentriculo ac iecore est, alimenta q; ibi cōcoquit, soluta phantasia, diuersas agitat rerum memoriae instarū formas, easq; reuoluit, quousq; sanguine in corpus diuiso, undique calor idem permeet. Quare in somnis animae appetitoriae uis, consopita irascibili ac rationali, propter cerebri offuscationem libera uagatur, exultatq; ac turpia innumerabiliaq; iactat pro appetitus sui impetu: omnia demum à ratione aliena tunc cogitat, ut homines occidere, multa expetere, quae ratio uitaret. Atqui huiusmodi insomnia, cum appetitoria uis animae in somnis uagatur, ratione alligata, ciboq; ac potionum concoquenda intenta est, profert, quae talia quidem sunt, qualis humoris fuerit natura. Nam si pituita in uentriculo tunc affluat, quasi fluminibus immergi uidemur: si bilis, inflammari: si sanguis, uolare. Quare insomniae causa in appetitoria ui animi sita est, quatenus calor ad iecur et uentriculum receptus, impressas rerum imagines in somnis excitat. At uero cum moderata humorum materies in uentriculo est, nec tam liberē appetitoriae uis uagatur, ac rationis uigor aliquis remanet, somnia quidem, quae tunc obuersantur, leniora sunt, ac rationi magis consentanea, ideoq; rerum futurarum praesagia fieri nonnunquam solent. ex quo diuination per somnium oritur. Nam cum animi mar rationalis tunc temporis libera sit, consopitisq; sensibus, ad naturam suam intelligibilem redeat, nec uis corporeis impediatur, multa tunc exactius diiudicare, futurorumq; multorum antecessiones prauidere solet. Quapropter duplicem ex hoc loco insomniae formam esse considerandum est, unam animae appetitoriae, quae in iecore est, propriam: quando propter cibi, humorumq; in uentriculo subsidentium intemperiem, copiamq; ratio impeditur, liberaq; phantasia est, ac turpes cōfusaeq; imagines inuehit: alterā animae rationalis liberā à corporis obstaculo per somnum, cum eadem, ligatis sensibus, magis uiget, planeq; intelligibilis fit: quam diuinationem appellamus, si futurū aliquid prauideat. Quā tamen demones homini tribuere ob certam aliquam causam Plato intellexit, ut Porphyrius, Psellus, alijq; Platonici dicūt. Vnde Pythagorico modo Plato diuinationem hanc in iecore leui et lucido fieri ait, cum placato animo demones illi immittat. Quae sanē in iecore apparere dicuntur, ut Marsilius ait, non aliter quā in foetu mulieris grauide imaginatio notam aliquam imprimit, ut saepe euenire cernimus infansibus recens natis. Igitur has duas insomniae causas Plato intelligit, easq; in iecore ponit, quod calor omnis, qui per somnum sese illuc recipit, imagines omnes excitat, et ad cerebrum effert.

fert. Quid, si soluta ratio sit propter humorum, ut diximus, temperiem, pulchra, futurorumque presaga insomnia fieri solent: si uero ligata, et ob intemperiem consopita, turpia, rationeque uacua gignuntur. Atque hanc itidem duplicem insomniae causam in Politia Socrates commemorat, cum dormientibus, inquit, partem illam animae rationis participem sopitam languere, partem uero irrationalem nimio uictu exultare: ideoque ab illa bona insomnia, ueridicaque, oriri: ab hac turpia, et iudicii expertia. Quem locum eleganter Cicero lib. 1. de Diuinatione expressit. Quod autem dementiae humanae Deus uim diuinandi dederit. Quando causas diuinationis per somnium exponere Plato coepit, easque in iecore posuit: nunc rursus easdem persequitur, rationemque eiusmodi insomniae reddit. itaque ut eadem nos more nostro doceamus, singula Platonis uerba interpretemur. *μαυρινος* Plato in Phaedro, quasi *μαυρινος* dictam esse inquit, quod furore quodam homines rapi, cum diuinant, uideantur. cum enim eiusmodi uaticinia in somnis fiant, aut ab ipsa diuina animi ui, aut à Deo immittantur, mediam quandam constitutionem tum homines habent, et ut Iamblichus ait, nec plane dormiunt, nec uigilant, sed ueluti capitis grauedine quadam, aut uisus occupatione inter somnum uigiliamque media impediuntur. At cum agrestis animi pars, hoc est appetitoria insomniae futura praudentis particeps sit, in ipsaque iecore propter calorem illi inherentem, et spiritus excitantem, rerum imagines representantur, eademque sursum ac deorsum à cerebro ad appetitoriae sedem feruntur, dementiae humanae uaticinandi uim inquit Plato à Deo tributam esse: quoniam in somnis cum sensu omni priuatur homo, eiusmodi uaticinia prauideri contingat. Itaque tunc extra naturam suam homo positus uidetur, mentisque inops apparet, siue à Deo insomnia talia mittantur, siue ab animae rationali proficiantur. Tamen prudentis uiri erit, ut Plato inquit, ea ipsa quae prauidere, considerare, memoriaque firmiter tenere, ne excidant. Quod ipsum in ijs uerbis intelligens, secundamque illam insomniae uim, quae animus rationis particeps futura prauidet, significare uolens, eam inquit non sine animae appetitoriae ministerio fieri. Quauis enim mens ui sua futuras res prauideat, id tamen non efficit sine calore, qui in appetitoria animam tunc est receptus, quique imagines memoriae insculptas educat, menti que offerat. Quare cum sic sumus affecti, nec uerè, ut ait Iamblichus, uigilamus, cum sensus consopiamur: nec uerè etiam dormimus, cum mens libera sit. Quae de causa rationalē animam, dum in corpore manet, Plato, Porphyrius, Academicique omnes dormire, mori que dicunt, quod astricta sensibus, corporeisque rebus sit: in somno autem huiusmodi temperato, aut in diuinorum contemplatione excitari ipsam, ac uigilare ferunt, quae ui sua tunc maxime uti possit, nec à corpore illigetur. Vnde fabarum usum discipulis suis Pythago-

ras prohibebat, quod ea uentrem inflaret, prauaque insomnia gigneret, nec liberam esse tum animi uim propter prauos humores peramitterent. Atque ea de causa philosophi, ut in lib. de Abstinencia refert Porphyrius, diligenter omnia nitabant, quae animi corpori alligarent, ne idem corporis rebus impeditus, minus uti suo munere posset. Quamobrem non Plato solum ex huiusmodi corporis temperatione animam ui sua libere uti posse, diuinationisque causam esse dicit: sed Peripatetici etiam, ac maxima philosophorum pars, ut Cicero in lib. de Diuinatione docet. Sed de his quidem haecenus, ad Platonis intelligentiam. nam quae ipse de uaticinijs, prophetis, et oraculorum interpretibus refert, satis aperta sunt, obiterque dicuntur: quoniam de uaticinijs coepit dicere, de quibus Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorum, atque alij Platonici. Atque iecoris quidem natura ob hanc causam facta est, et in ea sede, quae diximus, collocata, diuinationis scilicet gratia. Hec est dictorum superiorum conclusio, in qua iecoris usum exponit. ait enim, illud uiuenti homini causam diuinationis per somnium esse, ob illas causas, quas retulimus. Sed cum in his Plato ait, Viuente unoquoque talium signa clariora exprimi solent, uita uero priuato caecitas accidit, nec euident quicquam signum uaticinij sit. Minime intelligas, hominem mortuum ob calorem iecoris deficientem non amplius diuinare, aut caecum tunc esse, siue eiusmodi insomniae ignarum. Quinimo duplicem hinc uitam hominis intellige, ut Macrobius, Plotinus, Platonique alij affirmant: unam ipsius animae à corpore solutae propriae, alteram totius compositi hominis. Eodemque modo duplicem mortem considera: unam naturalem, cum anima discedit à corpore, naturae imbecillitate: alteram ipsius animae, cum eadem corpori alligata contaminatur, de quibus moris ac uitae generibus in Phaedone latius à Platone disputatur. Itaque per uitam illam, in qua talia insomnia diuinationis plena uisantur, uitam hanc animae separatè intellige, cum eadem in somnis, consopito corpore, uiuet, atque omnia exactè considerat. Per mortem hanc, in qua nullum euident signum uaticinij appareat, altissimum soporem cogita, in quo non modo corpus magno humore grauatur, sed ratio etiam ac mens sepulta est, nihilque in somnis uidere diuinationi aptum potest: aut si uideat, obscurum id est. Ideoque, ut Porphyrius ait, qui diuinatoria insomnia prauidet, temperato somno dormire debent.

Proximum huic ad sinistram locatum est huius gratia membrum, ut parum hoc semper clarum reddat, & instar speculi nitens atque perspicuum, ad imaginesque exprimendas accommodatum. Quapropter quando propter corporis morbum sordibus iecur abundat, lienis raritas id purgans, eas combibit,

bibit, cum membrum hoc concavum sit, & exangue. Vnde purgamentis impletum, excrescit tumetq; sanie. Acrurus cum mundatum corpus est, restrictum in seipsum confidet. Quid igitur anima mortale, quid diuinum habeat, & ubi, & quibuscum, & quare hæc inter se disiuncta sint, diximus. At quod reuera ita sit ut diximus, ita demum asseremus, si diuinum confirmaret oraculum: quod uerò uerisimile sit ita esse, & nunc & deinceps diligentius etiam in uestigando asseuerare nō dubitamus, atq; in præsentia ita sit nobis assertum. Quod autem hæc sequitur, similiter est tractandum.

Cum de iecoris situ dixerit, lienis usum ac locū docet, quando illius causa factum uidetur, ut crassos omnes ac terreos humores exhauriat, tanquam sentina quædam. Idem enim, ut antea diximus, prope iecur situs in dextro latere, spōgiosus est, ac multis arterijs peruius, ut defluentem bilem atram ebibat, inflariq; emissis ijs, constringiq; ipsdem excreatis, possit. A iecore autem ad ipsum lienem uena quædam deducitur, per quā crassissimus sanguis ab illo defluēs immittitur, et quo lien alitur: qui si cōcoquere eum sanguinem nequeat propter melancholici humoris crassiciem, in uentriculi os egerit, ut appetitum animantis excitet. Igitur lien ob hoc solum uidetur factus, ut sanguinē crassum, & bili atræ plenum a iecore sugat, reliquosq; purus relinquatur, qui in uenas debet diffundi. Proindeq; lien atræ bilis est receptaculum, ut sel flauæ, ac iecur sanguinis: quemadmodum Galenus, & eius imitator Theophilus Protospatarius asserunt. Hunc ergo lienem iecori proximum esse Plato inquit, ut impuro illius sanguine hausto, purum, lucidumq; iecur relinquatur, commodiusq; imagines in somnis obuersantes in eo representari possint. Vnde nitorem hunc, & splendorem iecoris puritati, perspicuitatiq; sanguinis tribuere oportet: siquidem sanguis spirituum uehiculum est, spiritus autem imaginum, ac uitalis substantiæ. Ex quo constat, tanto esse puriores, subtilioresq; spiritus uitales, quo purior fuerit sanguis in iecore collectus, & concoctus. His hætenus ita expositis, uniuersum animæ locum interiore sic descripsisse satis sit. ex hoc enim intelligimus, tres illas facultates, rationem, iram, appetitum, in capite, corde, iecoreq; constitutas esse: easdemq; ijs quinque animæ facultatibus respondere, quas Aristoteles libro 2. de Anima commemorat. Nam altrici, motrici, sensitiuæ, uegetatrici, & rationali, tres eadem, ratio, ira, cupiditasq; respondent. ut sensitiua & rationalis ad primam illam, quam in capite ponit Plato, hoc est ad

rationem possunt referri, uegetatrix & altrix ad uim appetitoriam, motrix demum ad irascibilem. Etenim rationis ac sensuum uires in cerebro sunt, motus principium in corde, uegetandi & alendi facultas in iecore.

Reliquum est enim, qua ratione cætera corporis membra digesta sunt, enarrare. Itaq; hac potissimum ratione constare hæc decet. Cognoscebant illi profectō nostri generis fabricatores, nos ad cibum potumq; intemperatos fore, ac propter ingluuiem plus quàm modus aut necessitas postularit, ex his sumpturos. Igitur ne subitus propter morbos interitus proueniret, atq; ita imperfectum mox genus mortale desineret, inferiorem uentrem fabricauerunt ad esculëtorum poculëtorum ue superabundantiam capiendam. Eum præterea spiris intestinorum circumpli cauere, ne subito alimēta nobis assumpta defluerent, ac rursus noui alimenti confestim necessitas immineret. Ob illam enim inexplebilem perpetuamq; uoraginē genus nostrum philosophiæ musicæq; & moderationis omnis expers relictum fuisset, illi parti quæ in nobis diuinissima est, minimè obsecutum. Osiū uerò et carnis cæterorūq; huiusmodi ita est natura cōposita. His nempe omnibus medullæ generatio initium præbuit. Vincula enim uitæ illius quam anima corpori iuncta ducit, applicata medullæ, ex eaq; per omne diducta, uinciunt fulciuntq; corporis nostri constructionē. Ipsa uerò medulla est ex alijs generata. Sunt quidē trianguli primi quidam & indeflexi, lenesq; ad ignis, aeris, aquæ, terræ, exactissimam generationem accommodatissimi: e quorum generibus singulis Deus secernens singulos, & inuicē contemperatos permiscens, totius generationis mortalium sementem fomitemq; constituit, dum medullæ ex his substantiam procreat. Postea uerò serens in ea, animarum genera alligauit. Figuras præterea quorūcunque & qualescunque ex singulis speciebus adesse medullæ oportuit, tot penitus atque tales statim in prima illa distributione distinxit. Et illam quidē medullæ partem, in quam uelut agrū quen-

C dam

dam diuinum semen iaciundum erat, globosam & undiq; teretē finxit: atq; encephalum, id est cerebrum, idcirco uoluit nominari, quia unoquoq; animali deniq; absoluto uasculum cerebri capax, cephalum, id est caput, uocandum erat. Quod autē reliquas mortalesq; animæ uires comprehensurum erat, rotundis simul oblongisq; figuris ornauit, totumq; medullam uoluit nominari: atq; ex ijs quasi quibusdam ancoris iaciens totius animæ uincula, circa illas iam uniuersum nostrum corpus absoluit, ossiumq; textura extrinsecus ea fulciuit. Os uerò ipsum ita composuit. Terram atterens purā, lenemq; miscuit, madefecitq; medulla. id postea in ignem iecit, deinde in aquam merisit, rursus in ignem, iterum & in aquam. Atq; ita saepe transferens in utrumq; tale reddidit, ut à neutro liquefieri posset. Hoc igitur usus sphæra ossis quasi torno facta cerebrum circumsepsit. Huc angustos reliquit meatus, & circa ceruicis simul dorsoq; medullā ex ipso rotulas uertiginesq; effingens, quasi cardines subdidit, ita ut à capite per totum protēderit. Sicutiq; semen omne seruauit, dū lapideo ambitu circumuallauit. Articulos insuper addidit, alterius ipsius natura usus in ipsis tanquam media quadam existente potentia, motus flexionisq; gratia.

Quando interiorum corporis partium usum, ut cordis, pulmonis, iecoris, & lienis docuit, reliquas etiam subiungit: ut ijs descriptis, ad totam corporis fabricam exponendam accedat. Intestina, ut de ijs dicamus, cum alendi animalis munere fungantur, cibusq; ac potionis receptacula sint, sinuosa, & in orbem flexa sunt, ut cibum coquere retinereq; possint. Eorum etiam natura carnosā, & ex duabus tunicis constituta est, ut Galenus lib. 6. de Vsu partium refert. Quorū primus est uenter, cui stomachus annectitur. in illum enim maceratus cibus immittitur, coquiturq; primò: deinde per intestinū quoddam ianitorē dictū succus defluēs, in reliquos orbes & spiras deriuatur: ibiq; tamdiu cōcoquitur, quādiu in iecur non influit. Quam ob causam rotunda flexuosaq; intestina sunt, ne si recta essent, succum continere non possent: sed ut belluæ plantæue, cibo potuiq; homines semper inhererent: cum nihil in uentre retineri posset, nullumq; Musis ac philosophiæ otium relinqueretur, ut Plato inquit. Animalia enim quæ unum rectumq; habent intestinum, à

uentriculo ad os sacrum protensum, insatiabilia, gulaq; prorsus dedita sunt. Igitur intestina hominis miro artificio quasi spiræ quædam in orbem circumflexæ sunt, ut ciborum succus coquere, ac diutius retinere, distribuereq; in partes conuenientes possint, ne ue opus sit semper cibis inherere, omnemq; animi actionem omittere, cum alimento necessario corpus indigeat. Atqui hic est intestinorum usus, breuiter ex Platone explicatus, quem Galenus lib. 5. de Vsu partium, et Lactantius in lib. de Opificio Dei, ac Cicero lib. 2. de Nat. deor. tradunt. Ossium uerò, & carnis, ceterorumq; huiusmodi ita est natura composita. Explicata partium interiorum natura & positione, uniuersam iam corporis constitutionem exponit, quo nam pacto ex ossibus, nervis, carneq; componatur. Sed ut ea nos apertius doceamus, paulo altius tractationem repetamus. Animalia omnia, ut Aristoteles lib. 2. de Partibus animalium refert, ex similibus, dissimilibusq; partibus primò cōstant. Similares partes sunt, sanguis, caro, os, neruus, cartilago, eiusmodiq; alie, quæ proportionem in suo genere cum alijs habent: dissimilares uerò sunt, ut caro, os, cartilago, sanguis, pedes, manus, brachia, & similia, quæ inter se dissimilem habent naturam. Ergo prima corporis constitutio ex illis partibus simplicioribus constat, eadem uerò ex quatuor primis qualitatibus. Nam cum cibus omnis in substantiam corporis animati degeneret, à uentriculo coctus, à iecore in sanguinem humoresq; reliquos mutatus, deindeq; distributus, si nimio densetur calore in carnem degenerat, ex carne uerò in neruum, & ex neruo in os mutatur. His ita propositis, ad Platonis sententiam nos conuertamus. Medullam inquit ille generationem esse partium similium, eandēq; ex triangulis leuibus, ex quibus fiunt elementa, constare: quoniam medulla ipsa, ut Aristoteles etiam lib. 2. de Partib. animalium ait, ex sanguinis natura est, quamuis colore differat. coctionis enim modus colorem mutat. Vnde in nouellis animalibus, cum sanguis admodum concoctus non est, ut cādidi coloris fiat, medulla sanguinea cernitur. Itaq; medulla è sanguine fit, eiusdemq; naturæ est. Cum uerò sanguis initium sit corporis constituendi, ut ille idem docet: (ex eo siquidem caro, ossa, nerui, cartilagoq; fit) ac medulla eiusdem naturæ sit cum sanguine, Plato principium esse medullam harum corporis partium asserit. Item cum sanguis ipse quasi corporis elementum sit, idemq; primis ex qualitatibus constet, nimirum calore & humore, quæ ad generationem uitamq; necessaria sunt: medulla quoq; quam eiusdem esse naturæ cum illo dicimus, ipsam constabit. Præterea cum elementorum naturas Geometricis figuris Plato demonstrarit, compositarum quoq; rerum ex elementis facultates eisdem demonstrare oportet. Igitur medulla primò ex elementorum partibus siue triangulis quasi facultatibus constat, nimirum ex calida humidaq; natura, quorum

partes

partes ob tenuitatem mobiles triangulos, tenuesque; antea nominauit Plato. Deinde ex medulla ipsa reliquae corporis partes constituuntur. Atque hoc est corporeae substantiae primum elementum, ex Platonis sententia, quod ipsa corpora aliat, augeat, atque aliorum propagandorum semen et origo sit. Ex sanguine enim siue medulla, quae à cerebro per spinam defluit, semen nascitur, ut Plato uult: idemque coloris eiusdem, ac naturae est, cum sanguine, nisi quod calore crassius in uasis seminarijs sit semen, ut putat Aristoteles lib. 2. de Animalium generatione. Iam uero cum Deus opifex omnium, creationes rerum uniuersales produxerit, diique iuniores singularem medulla quidem, ut est corporis mixti quasi elementum, à Deo producta ex primis elementorum qualitatibus, siue triangulis est: reliquae uero partes, quando ex medulla constant, à dijs iunioribus factae dicuntur. Ideo in homine efficiendo primarum qualitatum temperationem ex elementis Deus effecit, uniuersamque corporum animationem protulit: dii autem iuniores, quasi generationis fundamento iam collocati, uidelicet medulla, et rationali anima, hominem singularem effecere. In quo tamen intellige, Deum hic non corpora effecisse, sed uniuersales eorum constituendorum causas protulisse, ut cum anima corporeque homo constare deberet, animam et corporis constituendi principia ille effecit: dii uero iuniores reliqua perfecit, ueluti singulares causae. Hinc igitur statutum iam sit, carnis, ossium, ac totius corporis initium medullam esse, eamque ex primis quatuor qualitatibus constare. Qua in re hoc differt ab Aristotele, Galenoque; Plato, quod illi sanguinem ex primis qualitatibus constitutum, causam esse materialem corporum dicunt, ut semen omittamus: hic uero medullam, quae parum à sanguine differt. Atque in hoc certe perfectam humani corporis constitutionem intellige, quatenus ex ijs primis partibus constat: non autem illam, quae in utero ex semine fit, de qua Galenus prolixè in lib. de Foetu. Nam cum alio modo animal in utero ex semine formetur, alio uero iam formatum augeatur, minime quidem intelligamus illum ex medulla fieri in matrice. nec enim ante est medulla, quam semen: sed potius putemus, perfecti iam animalis augmentum, generationemque; accedentem, ex sanguine in medullam conuersam in dies fieri. Nisi forte hic medullam pro semine capiamus, ita ut ex ipso non modo cerebrum, aut ossa, sed reliquum etiam corpus primo fiat. quoniam, Galeno auctore, foetus in utero formatur ex semine in primis accessione menstrui facta. Sed huius tam rei disquisitionem, ut ab hoc loco alienam, medicis relinquamus, quam Aristoteles lib. 2. de Generatione animal. et Galenus in eo libro tradunt. Hanc ergo medullam sumptam esse ad corpus animatum efficiendum, inquit Plato, ita ut unicuique animo corpus conueniens alligetur. sic enim ait: Postea uero serens in ea, animarum genera alligauit. Hoc

est, unicuique animalis generi efficiendo corpus ex medulla quasi semine Deus composuit, ut diuersis animalibus diuersa corpora tribuerentur, eademque diuersae figurae essent, prout animalis species foret. Alia enim est corporis leonis figura, et alia elephantini. Id autem in prima distributione Deum fecisse inquit, quia corpora omnium animalium ex eadem constant materia, quamuis differant figura. Et illam quidem medullae partem, quae uelut ager quidam diuinum semine esset habitura. Cum ossium, atque adeo corporis materia sit medulla, eademque primis qualitatibus constet, diuersam ossium figuram constituit, prout generationis formam produxerit. Eadem enim, ut Plato inquit, conglobata, et in orbem ducta, cerebri, in quo diuinum est semen, id est rationis particeps anima, constituit: quandoquidem caput, ut Galenus docet, rotundum secundum se totum est, in tresque partes distinguitur, sinciput, occiput, et uerticem: atque partes haec suturis quibusdam colligatae, capacem quandam globum efficiunt, in quo uires sensuum omnium sunt. Nam in posteriori capitis parte cerebri natura molle, candidumque, ueluti sub tecto continentur: in eo autem rationis, sensuumque; facultates collocantur. Ideoque molle est, ut facile quantunque imaginem possit comprehendere. igitur cerebrum ex medulla factum est, ut Plato hic inquit. in quo tamen intellige, antiquorum fuisse sententiam, Galeno auctore, ut ex dorsali medulla semen ad maris genitalia descendere putarent, cuius etiam sententiae Hippocrati fuisse ait Galenus idem. Sed cum aliud sit σπέρμα, aliud uero ἐνσπέρμα: illud nimirum cerebri ipsius natura mollis et densa, quae in occipitis uasculis continetur: hoc autem receptaculum cerebri, et utrumque ex eadem medullae substantia confletur: encephalum inquit, constituto iam animali, in cephalo, id est capitis posteriore parte tanquam uase contineri. Atqui hoc modo tota capitis fabrica ex medulla constituta est: ex ipsa uero cerebri substantia molli, et ex angui spinae medulla, quasi longum quoddam cerebrum, ut Theophilus Protospatarius inquit, à cerebello nascitur, indeque per spinam ad os sacrum defluit. Cum igitur caput ipsum constitutum iam sit ex medulla tanquam ossium materia, idemque rotundum ac solidum existat, reliquorum etiam corporis ossium, quae uelut anchoris struthuram illius continent, effectum cum Platone doceamus, quam ille sic tradit: Quod autem reliquas mortalesque; animae uires comprehensurum erat, rotundis simul, oblongisque; figuris ornauit, totumque medullam uoluit nominari, atque ex ijs quasi quibusdam ancoris iaciens totius animae uehicula. Hoc est, cum animae immortalis, nimirum rationis, sedem effecisset Deus (Plato inquit) uelletque; animae mortalis siue sensitiuae uehiculum, hoc est reliquum corpus efficere, figuram quandam rotundam ad uniuersam imaginem, et oblongam constituit, quae ex medulla quasi prima generationis materia constaret: ideoque

totum corpus medulla nominaretur, quasi ex ea compositum. Sed cum idem corpus solidis ossibus inniti deberet, ut firmum esset, ossa quidē quasi ancōe totius corporis, quod animę vehiculū est, iacta sunt, in ipsq; uelut fundamētis tota corporis structura cōfistit. Sed ipsam nos demum ossium effectiōe cōsideremus. Cum uariata medullę forma diuersas corporis partes efficiat, ut caput, cerebrumq; dummodo eadem in orbem circumducta fuerit: ita si teretē, oblongamq; figuram illa efficiat, ossa quibus corpus continetur, effingentur. Nam ossa quidem, ut Galenus ait, quasi totius corporis fundamēta sunt: eademq; diuersas habent figuras, prout cuiq; parti accommodantur. Quedam enim rotunda, quedā oblonga, et deflexa mediocriter, alia curua, reliquę demum figurarum diuersarum sunt, ut Aristoteles lib. 3. de Animalibus, et Galenus in lib. de Ossibus docent. Eadem autem, ut Alcinoüs explicat, ex medulla terręq; coactis, igneq; et aqua irrigatis facta esse Plato inquit: quoniam os omnium animātis partium durissimum est, terrestriq; natura maximē compositum. Idem siue ex sanguine, siue medulla primō conficiatur, magno calore solidatur, cuiq; humor exsiccatur, adeō ut indurescat, terręq; naturę fiat. Itaq; soliditatem à terra os habet, cōnexionemq; partium ab humore, calore cōsolidato. Qua de causa ex medulla terręq; simul coactis, et igne atq; aqua irrigatis, ossa fieri Plato inquit. Quasi diceret, medullę seu sanguinis substantiam humidam, et nimio calore concretam, atq; indurata, soliditatem accipere, tuncq; os effici. Nam calor in humidā agens materiam terrestri concretioni admixtam, eam cōstringit, solidamq; efficit, quousq; terreā naturam illa omnino sumat, et in ossa conuertatur. Quapropter ossa quidem definire possumus, solidam ac durissimā corporis partem, ex humida medullę substantia calore indurata constitutā. Nam ossis effectio, uel Galeno auctore, ē crassa, terręq; natura calore nimio concreta editur. quidquid enim in substantia corporis uiscosum ac terreum, minimeq; tractile est, ad ossis generationem natura accommodat. ideoq; dura et arida ossa sunt, nullaq; cōstant pinguedine: præterquam illa medulla, qua aluntur. Ex qua ossa eadem gigni Plato uoluit, fortasse quia os nullum medullę alimento carere queat. Hęc igitur est communis ossium generatio à Platone tradita. nunc demum capitis ossa describit, cum ait: Hoc igitur usus, sphaera ossea quasi torno facta cerebrum circumsepit. huc angustos reliquit meatus. Cum ossa, inquit, ex medulla, quę primis quatuor qualitatibus constat, effecta sint, diuersamq; figuram sortita, uariē corpus sustentens, à capite usq; ad reliqua nobis describamur, in primisq; capitis ossa demonstrantur. Caput hominis rotundum est, ut antea sepe diximus, ad uniuersi similitudinē: idemq; ossibus eiusdem figurę constat, rotundis ac teretibus, nimirum caluaria, ac reliquis quę futuris colligatur. Nam to

ta capitis exterior pars communi nomine caluaria dicitur, sexq; ossibus constat: fronte, occipitio, ac utroq; bregmate, siue ossibus sincipitis, duobusq; ossibus lateralibus, quę lapidea ob duriciē uocantur. Hęc ossa omnia, commissuris quibusdam in pectinis modum insertis, cōnectuntur, ut fusius à Galeno in lib. de Ossibus docetur. Hoc pacto capite iam constituto, in eo (inquit Plato) angustos meatus relinquit, circa ceruicis simul dorſiq; medullam, effectis etiam dorſi eiusdem uertigimibus uelut rotulis, ita ut à capite per totū corpus protendatur. Quoniam in cerebello capitis posteriore parte foramē quoddam est, cui spina hominis annectitur, à quo per illam medulla quedam ex cerebri natura ad sacrum usq; os defluit. Cum autem eidem spine ossa omnia connectantur, ex eadem illa medulla partem aliam quam singula recipiūt: sed spina tamen, ut Plato hic ait, ceruici adiuncta, ad capitis occiput pertinet: eademq; ut flecti, curuariq; homo possit, uigintiquatuor uertebreis ut nodis cōstat. Siquidem ab illo cerebelli foramine, cui spina committitur, usque ad initium uertebrearum thoracis septem sunt uertebre, quę ceruici accommodantur: thoracis autem sunt duodecim, in parte demum inferiore sunt quinque, quę omnes perforatę, ualidisq; ligamentis cōnectę, capacem quendam locum quasi canalem, in quo medulla reconditur, relinquit. Ac tota hęc uertebrearum colligatio spina dicitur, quę, ut homo erigi, curuariq; posset, ac recubere, ex multis illis rotundis ossibus, hoc est uertebreis componitur. Nam si ex uno cōstaret osse, eo motu homines carerēt. Hęc igitur uertebre, Platoni hic uertigines ac rotule dicuntur, eademq; capiti subiiciuntur, et ueluti cardinem quendam, in quo totum corpus moueatur, efficiūt. Est enim eadem spina tum corporis totius fundamētum, tum ossium omnium quasi truncus, ex quo ut rami omnia nascuntur. Per hanc demum spinam medulla omnis cerebri naturę similis defluit, et in ea uertebrearum cavitare continetur. Atqui hoc est semen illud, quod Plato hic lapideo ambitu circūuallari dicit: quoniam medulla eadem, quam semen ac materiam esse corporis superius diximus, intra uertebreas continetur, indeq; ad reliqua ossa deriuatur. Quinetiam cum ex ipsius spine flexibili constitutione totum corpus flectatur, articulos quosdam spine datos Plato inquit, ut cum omnes uertebre ligamentis quibusdam inter se sint colligatę, curuari faciliē possint. Nam præter cōmunem illam ipsarum uertebrearum colligantiam internam, habet quoque aliud spina ligamentum externum flauī coloris, medięq; naturę inter neruum et cartilaginē, quo firmius constricta flecti potest. Atq; articuli sanē isti, quos Plato refert, uertebre ipse sunt.

Arbitratus uerō ossium naturam ardiorem rigidiorēq; quā oporteat fore, & cum ignita euaserit atq; etiam frige-

frigefacta illisuram corrupturamq; citò semen internum, neruorum, carnisque genus effinxit: ut neruis quidem membra reliqua uincientibus, intensius remissisq; circa cardines ipsos, corpus omne ad flexionem tensionemue promptum & agile redderet: caro uerò tegmen foret aduersus frigus atq; calorem: & quemadmodum externa corporis fulcimēta solent, ad casus uarios munimentum: praesertim quia talis erat futura, ut molliter leniterq; corporibus cederet. Cui calidum idcirco humorem indidit, ut aestate quidem roscida madidaq; extrinsecus, toti corpori domesticum praebat refrigerium, hyeme uerò rursus proprio igni exteriorē glaciē moderatē repellat. Hæc cum factor ille nostri corporis cogitaret, mixtione quadam ex aqua, igne & terra cōtemperata, & acuto illis falsoq; fermento abhibito, succi plenam ac mollē carnem conflauit: naturam uerò neruorū ex ossē & carne non fermentata unam ex utriusq; potentia mediam temperauit, flauoq; infecit colore. Hinc fit, ut carne quidē tensior & aridior, ossibus autem agilior molliorq; sit neruorum substantia. His Deus medullam simul & ossa deuinxit, & hæc omnia carni-
bus cooperuit. Quæ igitur ossa animata maximē erant, paucissimis carni-
bus adoperuit: quæ uerò minimē, contrā plurimis atq; crassissimis. Iuncturis insuper ossium, præterquam ubi necessitatis ratio aliter postulabat, paucas carnes adiecit, ne flexionibus impedimento forent, tarda q; ad motum corpora facerent, ne uel sua quadam solida crassitudine obtusiorq; mole sensuum ac-
ciem hebetarent, memoriam impedirent, ingenij acumē obtūderent. Quā obrem inguinum, tibiarum, iliorum, brachiorum, lacertorum ossa, & cætera omnia quæ articulis carent, quæ uel intus latentia ossa propter animæ paucitatem in medulla, prudentiæ uacua sunt, multis sunt carni-
bus adoperita. Paucioribus uerò, quæ prudentiam habent: nisi forte carnosam quendam moles propriē ad sensum aliquem aptata sit: qualis est lingua. In cæteris est, ut diximus. Natu-

ra enim ex necessitate genita atq; nutrita, nullo modo os compactum, carnemq; multam simul & acutum sensum admittit. Maximē namq; omnium ea capitū compositio habuisset, si unā concurrere potuissent: genusq; hominum pingue, neruosum, robustumq; habens caput, uitam duplicem, ac etiam multo diuturniorem, ualidiorem, placidiorem quā nos possedisset. Ceterū nostris illis fabricatoribus, de nostro genere consultantibus utrū diuturnius quidem, sed deterius, an breuioris quidem uitæ, sed melioris, efficerēt: uisum fuit, uitam breuem melioremq; diuturnā & deteriori esse omnino anteponendā. Itaq; caput ossē raro texere: sed carni-
bus neruisq; quia flexiones nō erat habiturum, non fulciuerunt. His omnibus de causis caput membris omnibus acutius ad sentiendum, prudentiusq; sed imbecillius est constitutum. Neruos autem ob hanc rationem atq; hoc pacto Deus extremæ parti capitū circumponens, spinæ dorsi eos quadam similitudine circumplicauit, summasq; illis maxillas sub uultu deuinxit: reliquos per omnia mēbra disseminauit, articulum connectens articulo. Nostri præterea illi exornatores, oris naturam dentibus, lingua, labijs, ita ut nunc uidemus, necessariorum simul et optimorum gratia ornauerūt. Nam ingressum quidem necessariorum, egressum uerò optimorum gratia excogitauere. Nempe necessarium est, quicquid ad alimentum in corpus admittitur. Verborum autem effluxio ministra prudentiæ, effluxionum omnium optima est atq; pulcherrima.

Quoniam ossium quorundam communem affectionem, situmq; docuit, ossaq; ipsa quasi corporis fundamenta neruis illigantur, ut moueri homo possit, de ipsa iam neruorum natura Plato differit. Nam quod in edibus, inquit Galenus, muri, id in corpore ossa præstant, quæ nisi neruis colligantur, corpus nullo modo flecti posset, sed ipsa in se collidentur. Ex quo liquet, ut cum rigida, duraq; sint ossa, si nullis colligata neruis essent, magna collisione in motu animalis rumperentur, prorsusq; cōminuerentur. nam collisio, quæ ex corporum contactu fit, calorem excitat: qui si ab ossium collisione excitaretur, dum animal mouetur, interna ossium medulla

liquefceret. Siquidē intemperies illa uel excitati caloris in motu, uel subsequēntis frigoris ex quiete animalis, temperatam medullę substantiā deprauaret. Eadē enim calida cum sit, et humida, alterutra duarum illarum qualitatum caloris et frigoris eueniente intemperie corrumpētur. Igitur ne ipsa inter se ossa colliderentur, mouente se animali, aut ne calorē ex motu, frigus uel ex quiete cōciperent, neruis colligata sunt, ut iisdem flexis, qui mollioris sunt nature, illa quoq; flecterentur. Atqui hec est Platonis ratio, qua usum neruorum probat, etsi uerbis obscurioribus. itaq; nerui quidem ad ipsam hominis motionem facti sunt, omnesq; a cerebro, in quo motrix anima est, deducuntur, ut auctor est Galenus: quamuis Aristoteles in libris de Animalibus a corde dicat ipsos exoriri. Neruorum autem plures cōnexiones sunt, quas Hippocrates in lib. de Natura hominis, idemq; Aristoteles commemorant, quę uelut ramuli connexę inter se, per totum corpus sparguntur, uarięq; ipsum mouēt: de quorum positione latius in lib. de Neruorū dissectione Galenus. Iam uerō, cum carnis effectiōnem Plato in his adiungat, ut corporis, inquit, cōmoditas seruaretur, non solum neruos atq; ossa constituere corpoream molem, sed carne quoq; uestiri, tum ut ea quasi integumēto a calore, frigoreq; corpus protegatur, tum etiam alias ob causas. Quare caro omnis, auctore Aristotele lib. 3. de Animalib. ex sanguine nutritur, cuiusq; naturam habet, siquidem ē sanguine nimium decocto caro gignitur. Et quemadmodum ossa ex medulla aluntur, sic etiam caro ex sanguine, ideoq; natura sua calida et humida est, ac proinde mollis. Vnde fit, ut calore suo corpus uegetet, motumq; illius faciliorem reddat, ne cum ossa flectuntur, dolorem afferant, si nulla carne integantur. Idcirco igitur plura sunt carnis commoda, non a Platone solum hic enumerata, uerum etiam a Galeno in libris de Usu partium. Quę ut nos ad Platonis intelligentiam breuiter exponamus, de carnis natura nonnihil dicamus. Caro tributa est hominis corpori, quasi quoddam integumentum contra frigus: quoniam calide nature ipsa est, caloreq; suo corpus fouet, ac densitate ab externo frigore defendit, ne interiora penetret. Deinde cum ossa moueantur ad hominis motum efficiendum, dolorem afferrent magnum, si corporum externorum soliditatē offenderent, nec media caro cederet. Vnde quo quis est macilentior, eo egrius mouet ossa. caro enim corpus integens, contactis corporibus cedit, nec ullam ossium collisionē fieri permittit. Pręterea cum calida, ut retulimus, caro sit, 50 meatusq; multos tenues habeat, per quos corporis humores multi defluant, et in sudorem abeant, estate quidem calore externo meatus illi aperiuntur, sudoremq; ueluti rorem, quo corpus refrigeratur, emittunt: hyeme uerō iisdem meatibus externo frigore constrictis, calor omnis naturalis ad interna sese recipit, corpusq; calefacit. Quinetiam, ut de carnis

generatione dicatur, hoc modo factam a Deo illam esse inquit Plato, ut in ea efficienda qualitates omnes primas, uidelicet calorem, humorem, siccitatē, frigiditatēq; sumpserit: earumq; temperatione facta, sanguineū illi quendam succum sparserit, quoniam ipsa ex sanguine concocta sit: sanguis uerō calidus et humidus est, atq; ita concreto sanguine, magna humoris pars exsiccatur, quousque densior fiat materia. Eadem enim concreta, frigus ingruit, quod illam duram efficit. Itaq; caro ex cōcoctione sanguinis saporem sanguineum concipit, quia calor magnus propriam sanguinis dulcedinem cōctione insumens, sanguineum illum reddit. Ergo quatuor primę qualitates diuersa ratione considerantur in carnis effectiōne: humiditas uidelicet, et caliditas, quod ē sanguine calore condensato fiat caro: siccitas, et frigiditas, quod humor ille sanguinis fluidus exsiccatur cōcoctione, et frigore solidatur, atq; indurefcit. Ex qua etiam cōctione succus ille sanguineus fit: quoniam calor omnis aut amarum, aut sanguineum efficit saporem, si uehemens sit. Sed explicata iam carnis natura, ad neruorum generationē iterum redeamus, quam sic Plato docet. Naturam uerō neruorum ex osse et carne non fermentata uenam ex utrisq; potentia mediam temperauit, flauoq; infecit colore. Nerui, ut Plato hic uult, mediam naturam habent inter carnem et ossa: ex carne siquidem, calore nimis inaurata et exsiccata, ij fiunt. Ergo quatenus molles, flexibilesq; sunt nerui, ad carnis naturam accedunt: quatenus uerō carne ipsa duriores sunt, ad ossis naturam, idemq; unā cum medulla ossibus insita cuncta colligant ac mouent: quibus motis, homo faciliē mouetur. Quę igitur ossa animata maximē erant, paucissimis carnibus adoperuit: quę uerō minimē, contrā multis et crassibus. Cum in his Plato singularū corporis partium generationem doceat, apertiusq; illa tradat, quam ut longa interpretatione egeant, breuiter earū partium commoda ab eodem relata proponamus. Itaq; cū de tota corporis structura, ut ossibus, neruis, carneq; in his loquatur, quo pacto inter se singula connexa sint, compositionem iam illarum partium explicat: quia corpus omne partibus ijs constare necesse est, licet diuerso modo ac figura id fiat. Nam animata ossa, ut Plato inquit, hoc est, illa in quibus uis aliqua animalis inest, paucissimis carnibus interfecta sunt: contrā uerō, illa quę inanimata, hoc est huiusmodi facultate prędita nō sunt, multis ac densissimis cōstant. Eodemq; modo illa, ex quorū flexione 50 bus animalis motus pendet, tenuiorib. carnibus cōponuntur, quam ea quibus exiguus motionis usus est. Quę in re primō, ut Galenus lib. 1. de Usu partium refert, caro omnis sensu caret, utpote quę terrea et crassa sit, ideoq; sensus ac motus per neruos et ossa fiunt. Atq; eadem itidē ossa multa carne nō integuntur, ut caput, facies, aures, nares, et reliqua quę sensuū motionis uel organa sunt. Contra uerō ossa

illa quae sensu carent, solumq; ad patiendū sunt facta, uel ad usus alios, densioribus carnibus obducuntur, ut femora, nates, cateraq; carnosae membrae: quoniam sensus acutos nullum membrū carnosum admittit, ut Plato uult. Quo nomine sensus acutissimi in capite sunt, quod minime carnosum est, ac sensuum acumen in osium mollicie, tenuitateq; potissimū inest. At uero tactus, utpote densissimus, per totū corpus est susus. Eadē item ratione mobilia membra, agiliaq; ut manus, digiti, brachia, poplites, pedes, pauciori teguntur carne, quam alia quae non aequē mouentur. cuius rei causa est, ut Galenus inquit, quia sensuum motusq; organa sunt nerui osibus alligati: qui si multa carne impediuntur, minus possunt officio suo defungi. Et quanquam partes quaedam corporis multa carne obtegantur, tamen ad earum decorem data illa est: et caro item illa tenuis est, ac musculosa. At uero si singulas corporis partes, in quibus magna sensuum uis inest, consideremus, inueniemus profecto molliciem ac tenuitatem neruorum ipsae esse tributae, ad ipsas sensuum uires. Nam caput, Galeno auctore, in infantibus primum molle est: deindeq; adulta etate quāuis indurescat, non tamen est tanta illi osium soliditas, atq; partium reliquarum. eius siquidem ossa tenera, porosaq; sunt, ad sensus faciliē edendos, et ad cerebri uapores expellendos. Tenui praeterea carne, porosaq; caput idem obducitur, ne aut mole aggrauetur, si multa constaret, et ut ē cerebro uapores expirantes transmittat. Quia in re hominis praestantiae consultum est a diis iunioribus, cum illum uitae melioris participem efficere. Nam si caput durissimum, solidissimumq; esset, ut aliorum animantium, nec acriorem sensuum uim, quam eadem homo haberet. Quamobrem ut ille sensuum acumine, praestantiaq; alijs animantibus antecelleret, molliori corporis constitutione praeditus est. quamuis uitae non adeo diuturnae particeps sit, atq; reliqua alia. Praestantius est enim, meliorem corporis fabricam hominem habere, tametsi non adeo diuturna sit, quam deterioiorem ac rudiorem, ut diuturnitatem habeat. Atqui hanc Plato rationem reddit, ut corporis partes sensu praeditae acriori, exigua carniū mole dicat constare, dummodo praestatiores sint. Sic enim ait: Ceterum nostris illis fabricatoribus de nostro genere consultantibus, utrum diuturnius quidem, sed deterius, an breuioris quidem uitae, sed melioris efficerent. uisum fuit uitam breuē melioremq; diuturnae et deteriori esse omnino anteponendam. Hoc est, quamuis alia animantia uastiori duriori; corpore consistant, ac diuturnioris uitae sint, tamen hebetioribus sensibus sunt praedita. ideoq; dii iuniores, qui corpus hominis effecerunt, mollius construxerunt, ut, quanquam adeo diuturnū non sit, praestantium tamen sensuum sit particeps. Quam etiam rationem eleganter Galenus lib. 1. de Usu partium exequitur, confirmatq; Lactantius in lib. de Opificio Dei latius. Sed ut nos ad capitis effe-

ctionem explicandā redeamus, Platonis uerba subiiciamus. Itaque caput osse raro texere: sed carnibus, neruisq; quia flexiones non erat habiturum, non fulciuerūt. Nerui omnes, quibus et corpus mouetur, et sensuum organa utuntur, ē cerebro nascuntur: indeq; tum ad spinam, tum ad reliquas corporis partes quasi rami deducuntur, totumq; corpus ueluti rete complectuntur. Nam ad oculos porrecti, sensuum uis excipiunt: ad nares, olfactus organa sunt: ad aures, auditus: ad linguam, gustus, et motionis. Itaq; nerui acutiorum sensuum, molliissimi sunt: nerui autem motionis, duriores, ac rigidiores. Omnes tamen ē cerebro nascuntur, ut Plato hic docet, confirmatq; Galenus. a quibus dissentit Aristoteles. Iam uero exterior capitis pars, quoniam sensus est particeps, teneriori, porosoq; osse, carneq; eiusmodi tegitur, uti diximus, quoniam sensus, non motum edere debebat, ut Plato refert. Nam nerui motores duriores sunt, Galeno auctore, quam nerui sensorij. Sed tamen iidem nerui motionis etsi ab eadem radice oriuntur, hoc est ē cerebro, sicut nerui sensorij, initio molles sunt, postea uero in reliquum corpus diffusi indurescunt. Igitur hanc ob causam cum Plato neruorum omnium originem docere uelit, extremae ait capitis parti neruos esse circumpositos, ut quidam illorum ad maxillas diducti, sensuum organa essent: ceteri uero ad spinam, reliqua; membra porrecti, motionis instrumenta forent. siquidem nerui ē cerebro ad spinam descendentes, ceruicem capiti, humeros uero et spinam, reliqua; his partes annectunt. Ergo duplex cum sit animalis munus, unum mouendi se, alterum sentiendi, ac utriusq; rei facultas ē cerebro nascatur: nerui etiam, qui eorum munus instrumenta sunt, ē cerebro oriuntur: ita ut qui ad faciem hominis porrigantur, ut ad oculos, aures, nares, linguam, aliasq; sensuum participes partes, sensuum organa sint: qui uero ad reliqua membra inferiora demittantur, motores sint etiam, ut a Galeno in lib. de Neruorum dissectione explicatur. Nostris praeterea illi exornatores, oris naturam demib; lingua, labijs, ita ut nunc uidemus, necessario simul, et optimorum gratia excogitare. Descripto summatim capite, eiusq; conexione cum reliquo corpore: aequum est, ut linguae, labiorum, dentium, atq; adeo totius oris positionē uideamus: siquidem magna sensuum uis sita in illis est, et summa uitae commoditas. Itaq; lingua, ut ab eius natura, situq; exordiamur, ē radicibus palati nascens, neruis septimae coniugationis annectitur, gustusq; ac sermonis instrumentum est. item labia maxillae osibus adherentia, fungosam quandam naturam habent, eademq; a duobus musculis tenuibus et latis, a colli spina descendētib; colligantur, mouenturq; a neruis quibusdam mollib; per maxillas transmissis, qui parte sui quadam dentium sedibus adherent, sensumq; tactus gingiuis ac dentibus praestant. His ergo neruis tum labia et lingua, tum dentes atq; os con-

stat, à quibus gustus sensum habet. Iam uerò ipsius oris magna est utilitas, quādo per illud necessarium alende uitæ cibū capimus, expiramus, inspiramus, ac loquimur. Sed præstantissimum oris officium est, quod eodem loquimur, quo uno animam omnia superamus. Sermo enim quasi animæ rationalis effluxus quidam est, ac ideo Plato ingressum inquit rerum per os intrantium necessarium esse uitæ tuendæ, ut cibum, ut potionem: egressum uerò ex eodē, ut sermonem, optimarum rerum esse. Quod imitatus Galenus in lib. de Usu partium, naturā inquit optima quæq; maximeq; artificiosa intra corpus abdidisse: extrā uerò, utilia, et non adeo pulchra posuisse. Atq; hæc est interiorum capitis partium descriptio, breuiter explicata: nunc ad reliqua procedamus.

Caput præterea nudo offere relinqui, omni alio tegmine destitutum non poterat, propter caloris frigorisq; excessum: neq; rursus carniū pondere prægrauatū, sensus expers obtusumq; reddendum erat. Carne igitur nō penitus desiccata residuū, quod maius supererat segregatum est, cutisq; ipsa circa cerebri humorem sibi ipsi iuncta, & germinans caput circumuestiuit. Humiditas autem sub iuncturas scaturiens irrigauit, compegitq; ipsam ad uerticem. Iuncturarū uerò species uaria propter circuituum alimonieq; potentiam facta est: & his quidem magis inuicē pugnantibus plures, minus uerò pauciores. Hanc omnem cutem undiq; igne pupugit, percussitq; Deus. Per cutis inde quasi faucis rimulas humor effluxit: quod uel illic humidum calidumq; syncerum erat, abiit: quod uerò ex istis quibus & cutis, erat permixtum, emanationis impetu extra productū, in longum extensum est, tenuitatem punctationi penetrationiq; illi æqualem habens. Sed propter tarditatem à spiritu circumstante retusum, rursusq; sub cutem reuolutum, radices egit. His utiq; causis capilli in cute sunt nati, secundum pellis corijq; similitudinē cuti quā proximi, sed propter coagulationem à frigiditate factā, duriores cute atq; densiores. Nempe capillus extra cutē productus frigore riguit. Hoc pacto constipatum hirsutumq; caput nobis Deus instituit, causis quidem usus illis quas diximus: tegmē uerò ipsum

ad cerebri tutelam non carnibus ponderosum, sed leue esse uoluit, quod ad frigoris caloris uel intemperiem repellendam sufficeret, & sensus acumen minime impediret.

Quoniam nulla corporis pars est, quæ non magnam utilitatis ac decoris rationem in sui effectione habeat, de externo capitis integumento dicendum in his est. itaq; caput carne quadam tenui, spongiosaq; ornatum est, tum ut caluaria integatur, tum ut nullam iniuriam externam patiatur. Caro enim illa caput à frigore caloreq; defendit, et duris corporibus, quæ caluariā offendere possent, mollicie sua cedit. Sed nec grauis est eadē, ne idem in quo sensuum pleraq; uires sunt, grauetur, obusumq; carnis obstaculo fiat. Igitur caro caput integens, nec adeo mollis est ut reliqua, nec adeo densa et solida: sed fungosa, et multis meatibus patens, ut humores è cerebro sursum exhalantes facile transmittat. In ipsa autem caluaria suturæ tres sunt, quas παρωπιδες, id est commissurarum speciem Plato hic uocat, in pectinis modum serratæ, quibus tota caluaria ex ossibus connectitur: eademq; ita dispositæ sunt, ut earum duæ transuersæ sint, una in occipitio, quæ Lambdoi des, à Λ literæ Græcæ similitudine dicitur: altera in sincipite, quæ coronalis uocatur: tertia duas illas connectit, à Lambdoidi medio per uerticem deducta, ad coronalem, quarum omnium figuram H literæ similem esse inquit Galenus. Per has demum suturas, ut patentiores, quam ipsa capitis caluaria, crassiores fuliginosorum excrementorum cerebri partes emittuntur: tenuiores uerò per cranium tanquam rarum, et non adeo apertū. Quæ omnia latius Galenus ac Theophilus Protospatarius describunt. Carne igitur non penitus desiccata, residuum, quod maius supererat, segregatum est, cutisq; ipsa circa cerebri humorem sibi ipsi iuncta, et geminans caput circumuestiuit. Post descriptam capitis effigiem, carnemq; qua illud tegitur, nunc membranarū cerebri obtegentium mentionem facit. Quæ ut nos aperte ad Platonis intelligentiā exponamus, primò aduertendum est, cerebrum molle ac tenue sub caluariæ cavitae quasi sub testō recōdi, ab ipsoq; sensuum omnium uires oriri. Quod ne, dum caluariæ annectitur, ab eius duricie lædatur, membranæ duabus tegitur, una molliori, altera duriori: quæ hoc modo compositæ sunt, ut cum tota cerebri eiusdem naturæ figuræ sit eiusdem, atq; receptaculum caluariæ est, hoc est rotundæ. itemq; duplex sit cerebrum, alterius durius, ex quo duri nerui, alterū molle, ex quo nerui molles nascuntur: membranæ quidem illæ duæ supra, subiusq; ipsum protegent: una uidelicet quæ mollior est, cerebrum cōplectitur, firmumq; tenet, nec mollicie sua illud offendit: altera quæ est durior, bipartitō secatur, una nimirum sui parte intra caluariam, altera uerò extrā, quæ intra caluariam est, te-

nucm membranam, qua cerebrū inuoluitur, ab osse caluarie dirimit, ne mollem lēdat pelliculam: eaq; concaue caluarie extremitati adhārens, eandem ipsam constringit, seseq; inter ossis duriciem, molliciemq; cerebri interponit. Extra caluariam autem posita eadem per suturas à nobis dictas transmittitur, connexamq; caluarie extremitatem integit, inter os et carnem posita: ac pericranium uocatur, quod caluarie imposita sit. Hæc igitur duarū membranarum positio intra extraq; cerebrum est, quæ non solum illius mollissima natura tuta seruatur, sed firmiter etiam caluarie illigatur, ne uacillet. Iam uero earundem duarum membranarum unus est ortus, nisi quod bifariam secantur: ac mollis quidem rursus in duas partes diuisa, duplex cerebrum tegit: una nimirum parte unum, altera uero alterū. itemq; dura una sui parte duplex cerebrum obmunit, parte uero altera extrinsecus caluariam circūtegit. Atque hæc est cerebri, capitisq; totius colligatio. Sed nec idem cerebrum carere alimēto potest, quin alatur, ut partes aliæ corporis. Quo nomine spiritu animali per arterias ad caput euolante, ac sanguine tenuissime alitur. Nam primò ē magna illa arteria, quæ à sinistro cordis uentriculo secundū spinam ad collum usq; protenditur, indeq; in duas partes secatur, ac in multos ramulos ad caput ascendit, spiritus cerebro suppeditatur: sanguis etiam ex uenis ad caput ascendētib; idem cerebrum penetrat, caloreq; suo et humore sustentat. His ergo de cerebri descriptione dictis, Platonis uerba, quæ difficultatem aliquam habent, exponamus. Carne, inquit, non penitus desiccata, residuum quod maius supererat, cutisq; ipsa circa cerebri humore sibi ipsi iuncta, et geminans caput circumuestiuit.) Hoc est, ex carnis natura humidiori ac molliori, cerebri membrane factæ sunt: quoniam membrana omnis non adeo sicca et densa est, atq; caro. Ipse porro membranae magno intervallo diuise, intra extraq; caluariam sunt. Nam eius pars, uti dixi, dura extrinsecus est: pars uero mollis, cerebri naturam humidam uestit. Atq; hæc est cutis illa, quæ geminans, sibiq; coniuncta cerebri naturam humidam uestit, ut Plato inquit. Cum autem geminatam, sibiq; coniunctam cutem appellat, inuolucra duplicis membrane intellige, quæ inter se utrunq; cerebrum connecti, ac bifariam diuidi diximus. Humiditas autem sub iuncturas scaturiens irrigauit, compegitq; ipsam ad uerticem.) Id est, cerebri humida natura, et mollis, quam *rosida* hic uocat, eandem illam membranā, qua tegitur, per medias suturas ad caluariam, seu capitis uerticē emittit, indeq; per totam caluarie conuexitatē annectit, ita ut simul cum membrana caluariam totam uestiat, eo modo quo diximus. Quin etiam iunctura ipse utilitatem hanc præstant, præter illam quam retulimus, quod membranas per ipsarum medium transmissas ex cerebri alimento sustentant. Quoniam enim eadem necessariò egeat alimēto,

illud ipsum à cerebro habent, ac per medias suturas sugunt, quando per caluarie meatus non possent. Iuncturarum uero species uaria propter circuitiōē, alimoniaq; potentiā facta est.) Id est, iuncturæ omnes in capite factæ propterea sunt, quod uim circuitiōum, quas membrane cerebrum complexæ in orbem faciunt, intra caluariam et extra obtineant, et quod per easdem ipsas ut patentiores, alimentum proprium ex cerebro membrane capiant. At cum suturarū magna differentia sit (quidam enim homines nullam suturam habere inuenti sunt, ut Aristoteles lib. 1. de Animalibus testatur) ac mulieres unam habeant suturā, eamq; in orbem ductam, ut idem ait: diuersa quoq; alimenti per membranas egredientis ratio erit. Nam si quis plures suturas habuerit, maiorem alimenti portiōē ex cerebro membrane accipiet: si uero pauciores, minorem. Quod sanè Plato intelligens ait: Et his quidem magis inuicem pugnantibus plures, minus uero pauciores.) Hoc est, quo maior fuerit suturarū diuersitas, eo maior erit alimenti ratio. nam plures suturæ plus alimenti transmittunt, pauciores uero minus. Hanc omnem cutem undique igne pupugit, percussitq; Deus.) Quando capitis totius structuram, compositionemq; ostendere Plato cepit: pilorum etiam generationem, quibus tegitur, exponit. Idem autem, ut de ipsorum natura dicatur, sicci, frigidiq; sunt, nascunturq; à partibus corporis humidioribus: quia humor uiscosus, qui calore naturali per cutis meatus extrā mittitur, quasi pullulat herbarum more, posteaq; frigore indurefcit. Igitur pilorū generationis causa est, humor calore excretus. ideoq; quò partes corporis humidiores sunt, maior pilorum est copia, ut in cerebro, et capite toto. nam cum idem ipsum humidissima sit corporis pars propter cerebri humorem, plures, longiores, ac densiores sunt in eo pili. Vnde et cutis ipsa capitis rarior est reliqua omni, et moderatus eius calor multos pilos ex humore copioso gignit: quemadmodum lib. 3. de Animalibus testatur Aristoteles. Cum ergo pili hoc modo nascentur, hanc (inquit Plato) cutem igne undiq; Deus pupugit: id est, eandem capitis cutem calore aperiens, et plures in ea meatus diducens, potentiorem fecit ad pilos proferendos. calor enim omnis meatus carnis aperit, contrā frigus cōstringit. Vnde per cutis quasi aperte meatus humor omnis, ex quo pili gignuntur, effluxit. primò enim humor idē calore quasi germinat: id uero quod nascitur, id est pilus, externo frigore postea indurefcit. Quare non modò humore corpus abundare, sed calore etiam nō minori uigere debet, ut pili gignantur: quando horum potissima causa est calor: et quo est quisq; calidior, eo est magis hirsutus, ut Galenus lib. 2. de Temperamentis refert.

Ea uero quæ in digitis est nerui, pel-
lis & ossis complexio, aridior facta, cō-
munī

D

munī

muni quodam uno durioriꝫ cutis tegmine est adoperta. Cuius quidē accessoria ministratꝫ causa in ijs quæ diximus constitit: principalis autem causa in ea intelligentia, quæ id futuræ commoditatis gratia fabricauit. Quod enim ex uiris quandoꝫ mulieres & cæteræ animantes erant futuræ, nostri illi opifices non ignorabant. quinetiam quod unguū usum bestię quoꝫ multæ ad opera multa erant habituræ, intellegebant. Quapropter homines statim genitos unguibus armauerunt. Hac utiqꝫ ratione, & his de causis pelle, capillis, unguibus extrema membra operuerunt. Quoniam uerò partes & membra omnia mortalis animantis in mutua quadā cognatiōe genita erāt, uitamꝫ necessariò in igne ac spiritu possidebant, ne animal ipsum ab his resolutum exhaustumꝫ citò deficeret, hoc dij consilio prouidere. Quippe humani generis naturam quandam cognatā alijs formis sensibusꝫ miscentes, quasi animal quoddam aliud plantauerunt. Talia sunt domesticæ arbores, plantæ, semina, quæ consita nunc cultaꝫ ab arte, mitia nobis sunt: quōdam uerò sine cultura, agrestia. Quicquid enim uitæ est particeps, iure animal nominabitur. Quod autem nunc dicimus, tertiæ animæ speciei est particeps, quam inter diaphragma & umbilicum locauimus. Cui opinio, ratio, mens nulla penitus inest. Sensus uerò suauis & tristis unā cum cupiditatibus conuenit. Omnia siquidem continuē patitur. Cum uerò in seipso ad semet conuertatur, exterminumꝫ respuat motum, & proprio motu domesticoꝫ utatur, idcirco huic natura non tribuit, ut quicquam pensi habens, suorum aliquid consideraret. Quapropter uita quidē fungit, nec est ab animali diuersum, quia uerò illa ui qua quid seipsum trāsfert orbatum fuit, stetit rigēs, & fixū radicib. hæsit.

Vngues, cutis, os, & pili, eiusdē ferè nature sunt, eademqꝫ uidetur ratione facta. ideoqꝫ cum hætenus de pilis sit dictum, æquum est ut de reliquis dicamus. Ergo ut à cutis natura incipiamus, ipsam esse ad corpus hominis inlegendū, ut corium in reliquis animalibus, perspicuum est. Eademqꝫ mollis, leuiqꝫ

est: quoniam acrioribus sensib. præditus homo, subtiliori corpore indiget. Vnde cutis duricies hebetudinem ingenij indicat. Eadem præterea, ut Galenus docet, ex ipsa carnis, quam tegit, substantia non est, nec cum illa coalescit, sed inheret solum: ac proinde ubi sola cutis sine carne non est, uulnerata non coit. Quare generatio eius ex lemo uiscoso que humore sanguinea confici uidetur: & animalia omnia cutem habent, auctore Aristotele. Iam uerò & unguium generatio similis quodammodo illi est. nec enim osseæ, cartilagineæ, carnosæ uel nature sunt ungues, sed diuersa quadam natura cōstant, solumqꝫ ad articulos digitorum tegēdos sunt. Ungues autem, ut Aristoteles lib. 2. de Generat. animal. ait, ex terrea substantia, quæ parum humoris & caloris habet, gignuntur. Cum enim substantia eadē egeritur initio, humore unā cum calore euaporante, frigescit, induraturqꝫ. Quæ de causa ungues, ungula, cornua, & animum rostra, quæ nature sunt eiusdem, mollia initio sunt, quia uiscosus illorum humor caloris aliquid adhuc habet: postea uerò calore omni, humoreqꝫ exhalante, durefcunt frigore, ut pili. Vfus uerò unguium, ut Galenus lib. 1. de Vsu partium tradit, hominibus datus est, ut digiti quasi cuspide quadam muni rentur. ijdē enim rotundi, ac mediocriter duri sunt, ea de causa. Ceterum ut illorum naturam à Platone explicatam demonstremus, uerba ipsius interpretemur. Ea uerò, inquit, quæ in digitis est nerui, pellis, & osis complexio aridior facta. Hoc est, cutis ita osium radices cōplectitur, ut gingiue, dentes, & ungues subiectis neruis connascuntur. Itaque non ex osse solum, neruoqꝫ & cute, sed ex carne etiam, uenis, membranis, & ligamentis ungues constantur, ut Galenus explicat in lib. de ijs quæ medicē dicta sunt in Platonis Timæo. Hæc igitur de unguium & cutis generatione dicta sint. Quod autem Plato idem refert, Quod enim ex uiris quandoꝫ mulieres, & cæteræ animantes erant futuræ. sic est intelligendum, ut ungues horum omnium animalium eiusdem nature sint, & easdem causas utilitatis habeant. De commutatione uerò animantium in diuersa genera, in superioribus cum Platone multa diximus. Quoniam uerò partes, & membra omnia mortalis animantis, in mutua quadam generatione genita erant, uitamqꝫ necessariò in igne ac spiritu possidebant. Quoniam non satis erat, constitutum esse à dijs hominis corpus, quin altricem facultatem illi tribuerent: post corporis fabricam explicatam, mortalis animæ, siue appetitorie uim in hominis corpore ostendit, quando de irascibili facultate longius in superioribus est disputatum. Itaque appetitoriam animæ uim Plato sustentandi corporis uti munere inquit, ne idem dissoluatur. Nam cum hominis uitia in humore, caloreqꝫ corporis cōsistat, ut Aristoteles in lib. de Longitudine breuitateqꝫ uitæ differit: si perpetua caloris actione naturalis humor cōsumatur, nec alimētum illi ex cibis accedat, periret

periret tandem homo, dum calor simul cum humore uitam consumeret. Qua de causa appetitoria uis animæ inter diaphragma et umbilicum data hominī est, ut cum cibos semper necessarios expetat, acceptosq; concoquat, & in corpus distribuat, uita hominis, seruato corpore, conseruetur. Quod quidem in his Plato intelligens, Cum uita (inquit) mortalis animantis in igne & spiritu cōsisteret, id est, cum pars illa mortalis humani animi quæ corpori annexa est, uitamq; illi præbet, calore natiuo, spirituq; ab humore naturali exhalato sustentetur: uim animæ altricem eidem dederunt, ne animal idem, calore in humidum semper agente, periret. calor enim tuende uitæ principium est, semperq; humore ut pabulo utitur, ad spiritus uitaes excitandos, & toto corpori distribuendos. Et quidem calor, ut Sol humorem omnem, sic uitaes spiritus quasi uapores extollit, perq; omnes arterias distribuens, uitam animantis tuetur. Quo fit, ut mors, auctore Aristotele, natiui animantium calor sit extinctio. Cum ergo quatuor ex qualitatibus hominis corpus componatur, earumq; aliæ patiendi uim habeant, ut siccitas & humiditas: aliæq; agendi, ut calor & frigiditas: in eodē corpore agente semper in humorem calore, perpetua substantiæ decessio fit. Quam ob causam, ad restaurandam uacuationis partem appetitoria anima tributa est hominī, ut id quod deest, ui sua suppleat. Eadem autem cum eo solum alendi, uegetandiq; corpus sensu sit prædita, plantæ cuidam à Platone comparatur. planta enim animal ab eo dicitur, quod anima cōstat, quamuis sensu careat, siquidem familiare & alienum à se plantæ agnoscunt, uitamq; appetitiuam, altricem, & seruatricem habent, quibus aluntur & crescunt, ut Theophrastus in lib. de Plantis, & Galenus in lib. de Naturalib. facultatib. referunt. Quo nomine aliquid ex alijs omnibus productis rebus corporeis homo habet, ut Nemesius alijsq; docent. Nam idem cum belluis sensu, motusq; ui, memoria, imaginationeq; conuenit, cum angelis intelligentiā, cum plantis facultate altrice. Et ut Galenus in eo libro inquit, quatuor sunt uires plantæ & appetitoria hominis animæ cōmunes: Attractrix, quando cibum sponte assumunt: Retentrix, cum attractū retinent, & in sui naturam conuertunt: Alteratrix, cum alimentum in uarias essentia sue partes conuertunt: Expultrix, quæ egerunt excrementa. Hæc igitur appetitoria animæ uis à Platone plantæ cuidam comparata est, quam in nobis plantauisse iuniores deos inquit, quod similes plantis facultates habeamus, quodq; uitæ uegetatricis & altricis uim habeant plantæ: & quicquid huiusmodi facultate constat, animal Platoni dicitur, ut Galenus etiam affirmat. Quod autē nunc dicimus, tertie animæ speciei est particeps, quam inter diaphragma & umbilicum locauimus.) Cum appetitoriam animā plantis comparasset, dixissetq; plantā animal meritō appellandum, quod uita esset præditum: nunc idipsum

magis confirmans, appetitoriam inquit animam inter diaphragma & umbilicum positam, similem esse huic animalis generi, nimirū plantæ, quod nullo alio sensu sit prædita, præterquam uoluptatis, aut doloris. Nam & plantæ, & appetitoria facultas, uoluptatem quandam in alimento, ac sui conseruatione sentiunt: itemq; tristitiam & dolorem, cum idem alimentum illorū naturæ nō conuenit: tunc enim quasi marcescunt, et arescunt. Opinionem autem, aut rationem nullam habent: quoniā hæ partes animalium ratione utentium propriæ sunt. Quinetiam plantæ cum mouetur motu quodam naturali à semine ad istam magnitudinem, id quidem non est tribuendum motrici eius facultati, ita ut moueri plantas, sicut reliqua animantia dicamus: sed motui transmutationis, qui in quantitate illius fit, quemq; *metabaticōs* Plato nominat, ut Galenus explicat, indicatq; in his uerbis idem Plato: Cum uerō in se ipso ad semet conuertitur, externumq; respuat motum, & proprio motu, domesticōq; utatur, idcirco huic natura non tribuit, ut quicquam pensi habens suorum aliquid consideraret.) Hoc est, cum plantæ, & eidem similis appetitoria anima, hoc solum motu sit prædita, ut alimentum in suam naturam conuertentia, excrecant, motuq; transmutationis utatur, nullo alio motu locali constant, sed firma radicibus infixis manent, planta quidem terræ, appetitoria uerō iccori. Ex quo Galenus diuersam esse animi uirium naturā colligit, idq; Platoni tribuit. Nam rationalem diuersam esse ab appetitoria nascibilisq; uult, confirmatq; id Platonis testimonio ex lib. 9. de Rep. ubi compositis animalibus animam ille comparat. Sed id tamen, pace Galeni, non uidetur Plato sensisse: imò potius unam fecit hominis animam, licet uarijs facultatibus præditam, ut ex eius generatione superius à nobis declarata perspicuum est.

Cum hæc omnia superiores illi nostri ad nutrimentū nobis inferioribus suppeditassent, in nostro corpore quasi quodam horto meatus ueluti aquæductus uarios diduxerunt, ut liquoris deriuatione irrigaretur. Principio meatus occultos sub conflatione cutis & carnis, duas scilicet uenas in tergo diuiserunt, secundum geminam corporis ipsius figuram, ad dexteram & sinistram. Has utiq; ad spinam demiserunt, mediamq; medullam genitalem comprehendere, ut & hæc quā maxime uigeat pulluletq;, & uberior hinc & alia quasi decliuis effusio, irrigationem æquabilem præbeat. Post hæc partientes circa caput uenas, easq; inuicem ex opposito implicantes, partim à dextris ad sinistra, partim à sinistris ad dexteram

corporis dispertierunt, ut capiti ad reli-
quum corpus unâ cum cute connexio
foret, postquam nervis quidem non e-
rat circulo quodam secundum verticē
comprehensum atq; distinctū: atq; e-
tiam ut sentiendi uis ab utrisque parti-
bus per totum corpus undiq; demana-
ret. Hinc uerò aqua ductum hoc ordi-
ne deduxerunt: quem planè perspicie-
mus, si hoc inter nos primū asseuera-
bimus. Quaecūq; ex minutioribus cō-
ponuntur, maiora derinent: quæ uerò
ex grandioribus, minutiora cohibere
non possunt. Ignis autem præ cæteris
generibus, minutissimis constat parti-
culis. Ideoq; aquam, aerem, terram, &
quæ ex his componūtur omnia, pene-
trat, transilit, que usque adeo, ut nihil i-
psū ualeat cohibere. Idem quoq; de
nostro utero cogitandum. Nempe ci-
bos & potus ingestos retinet: spiritum
uerò & ignem, quia eius compositio-
ne tenuiores sunt, demorari non po-
rest. His igitur usus est Deus ad irriga-
tionem ab utero in uenas perficiendā.
Rete enim quoddam ex aere atque i-
gne instar gibbosæ ingenæ contexuit.
Vbi duo sunt ad ipsū introitum gib-
bi conuexa: quorum alterum bifariam
bino pulsu iterum implicauit, & ab i-
psis gibbi cōuexis ueluti funes per to-
tum corpus usque ad texture illius ex-
trema circumtendit. Interiora igitur i-
psius tricā omnia ex igne composuit,
conuexa uerò & receptaculum ipsū
ex aere. Demum hæc assumens in ani-
malī formato hoc pacto disposuit. Con-
uexa quidem in os dimisit: cum uerò
conuexum gibbosumq; sit duplex, per
arterias alterum in pulmonem usque
traiecit, alterum circa arterias in uterū.
Alterum uerò partitus, utranque illius
partem ad fistulas nariū communiter
duxit, ita ut quando alterum ad os non
peruenit, ex hoc ipso omnes illius flu-
xus meatusq; repleantur. Alteram ue-
rò gibbi retisq; capacitatem circa om-
nes partes corporis concavas esse uo-
luit. Idq; omne aliās quidē in cōuexa
incuruaq; confluere molliter, quasi aer
illic sic, effecit: aliās autem conuexa in-
curuaq; ipsa refluere: rete uerò, quo-

niam rarum sit corpus, penetrare per i-
psū, rursusq; emergere. Radios autē
ignis interiores successione continua
subsequi, in utranque partem aere tran-
seunte. Idq; donec mortale consistit a-
nimal, fieri nunquam cessat. Huiusmo-
di agitationem, meritò expirationem
respirationemq; nominatam esse cense-
mus. Omne autem hoc opus, omnisq;
10 nostra hæc passio in corpore fit, irriga-
tione quadam et refrigerio ad uitam et
nutrimentum. Quando enim expiran-
te & respirante halitu, ignis simul inte-
rior sequitur, perq; uterum diffusus po-
culenta esculētaq; offendit, liquefacit
protinus ipsa, partitur in minima, per
exitus quā progressio patet, tanquam
ex fonte quodam educit: in meatus ui-
delicet uenarum trañcit quaecūq; ex-
10 hausit, atq; per corpus quasi uallem ue-
narum fluentia diducit.

Data nobis anima appetitoria ad alendā uitam,
neceße fuit alimenti uasa, et altricis facultatis instru-
menta concedi. Qua de causa, seruata plantæ simili-
tudine, in qua ibi appetitoriam uim Plato compara-
uit, irrigari corpus uenis inquit, ueluti plantas in
hortis. Cum enim in iecore sanguis ē ciborū natura
gignatur, per uenas omnes distributus, tum alimentū
neceßariū singulis corporis partibus prebet, tum ui-
tales spiritus suppeditat. Sed ut uenarū nos deriua-
tionem, & quasi riuiolos per corpus dimanātes cum
Platōe describamus, duas esse potissimas uenas quas
dorsales uocat Galenus, quæ totū corpus irrigēt, &
ex se plures alias uenulas emittant. Medici omnes af-
firmant. Sed hic tamē intellige, uasa illa, quæ in dor-
so sunt, uenas à Platōe uocari, quemadmodū anno-
tat Galenus: quoniam uenas pro arterijs ibi capit,
ut in superioribus capit, & antiqui capere soliti
sunt. Cum uerò geminas esse uenas illas duas, secun-
10 dum geminū hominis corpus Plato ait, earumq; u-
nam in dextris, et alteram in sinistris esse refert, Ga-
lenus in lib. De ijs quæ medicē in Timæo dicuntur,
falsum esse docet: quoniam diuersæ speciei non sine
dorsi uasa, sed alterum uas tenuem, pulsuq; priua-
tam habeat tunicam, alterum uerò pulsantem illam,
quam arteriam uocant: quodq; ex ijs alterum à de-
xtris, & à sinistris alterum non sit, sed utraq; po-
tius uasa in eadem spina connectantur. itaq; unam
esse uenam illam arteriæ coniunctam, quæ per dor-
10 sum à iecore ascendat, dicemus. Siquidem à iecore
quasi trunco nascitur, & ex illius summo gibbo de-
ducta, sursum per diaphragma ad cordis uentritu-
lum dextrū, deorsumq; ad spinam dorsi deriuatur.
Ex qua quidē magna uena quasi alueo, plurimæ a-
lie per totum corpus diducuntur. Nam ex parte il-
la,

la, quae sursum fertur ad spinam iugulū, magnus quidam ramus partim in dextrum cordis uentriculum influit, partim ad iugulum effertur, qui in alias rursus uenas diuiditur. Ideo ex uno illo trunco uenae cauae à iecore nascentis, in omnes partes corporis multi uenarū riuuli nascuntur, ut latè in lib. de Venarum dissectione docet Galenus. Cum ergo hoc ita sit, Platonis uerba sequamur. Principiò, inquit, ad corpus alendum duas quasdam magnas uenas è iecore ascendentes, spinam proximas oriri, unam dextra in parte, alteram in sinistra: hoc est, ex uno illo cauae uenae trunco unam partem per mediū diaphragma transmitti, & ad cordis dextrum uentriculum ferri: alteram, quae ad iugulū, caputq; ascendit parte sinistra, parteq; altera per humeros descendit, deriuari. Has praeterea uenas prope spinam inquit fluere, medullamq; quae seminis origo antea dicta est, alere: quoniam ex ipsa caua uena quae circa lumbos perreptat, Galeno auctore, per singula spinæ foramina singulae uenae inseruntur in ipsam medullam, quam alunt. Cum igitur magna illa uena bifariam hoc modo secta, in multos ramos deriuetur, contrario tandem motu duo eius rami caput implicant. Etenim uenarum omnium, Galeno auctore, extrema circa caput, & eius commissuram cum uertebra coniunguntur. Ideoq; Plato à caua inquit uena bipartitò diuisa, uenas exortas, dum ad caput euehuntur, in contrarias corporis partes commeare, ut dextrae uenae in partem sinistram, & sinistrae in dextram deducantur. Nam cum à iecore, quod in dextro est latere, caua uena exorta in duos ramos diuidatur, deindeq; sursum ascendens rammum unum in dextrum cordis uentriculū, alterum ad iugulum caputq; dimittat, fit, ut à dextro latere exortae uenae ad sinistram, in quo est cor, & ab eodem rursus in dextrum deriuentur. Cuius rei duplicem esse causam Plato inquit. Primam, ut capiti ad reliquum corpus una cum cute connexio foret, quando neruis circa uerticem non erat: hoc est, ut tota corporis caro, per quam uenae insiliunt, cōiuncta carni capitis esset uenis illis, non neruis. Siquidem nerui ossa alligant, uenae autem carnem. Quo fit, ut uenarum omnium extrema quasi cuspides ad capitis uerticem concurrant, & in coronae modum illud cingant. Secundam deniq; causam illius positionis esse ait, ut sentiendi facultas ab utraq; corporis parte, tam sinistra quam dextra, dimanent: hoc est, ut spiritus uitalis undiquaq; diffundatur. Qua in re nullum esse neruum in capite Plato existimauit, ut Galenus annotat, ideoq; uenas ligamentum esse carnis capitis cum reliqua dixit, non autem neruos: itemq; sensum per uenas fieri iudicauit, non tamē per neruos. Quae quidem sententia medicorum antiquorum fuisse Galeno dicitur, à qua ipsemet disēuit in libris de Usu partium. Hinc uerò aquaeductum hoc ordine deduxerūt, quem planè perspicimus, si hoc inter nos primum asseuerabimus. Quaecumq; ex minuitiori-

bus componitur.) Explicata iam uenarum descriptione, atq; usu, sanguinis defluētis causam, arteriarumq; rationem reddit. Ait enim, aquaeductum illud, siue sanguinis uenas per corpus defluere, spiritum unum cum caliditate per uentrē exeunte, ac secum deinde comminutas nutrimenti particulas deferente. Hic tamen considera, Platonem semper alimentum naturam ad primas qualitates referre: quandoquidem humores corporis quatuor sunt, sanguis, bilis, pituita, bilis atra. Et quidem cum in his, quoties elementorum memio incidit, ad eorum figuras prius traditas qualitates reducit, generalem quandam mixtionis causam prius reddit, antequam sanguinis & arteriarum descriptionē tradat. Itaq; omnia, inquit, quae minutioribus cōponuntur, maiora cōtinere: cōtraq; maiora omnia minutiora non posse cohibere. Quasi diceret, qualitatum omnium tenuissimas et efficacissimas in crassiores qualitates agere, non uice uersa crassiores in subtilissimas: uelut ignem, qui tenuissimis patribus cōstat, maiorem uim agēdi habere inquit, quam aerem, aut aquā. Quod Theophrastus in lib. de Igne, & Galenus in lib. de Elementis docet. Hoc principiò ita cōstituto, causam cur sanguis per totū effudatur corpus, sursumq; ac deorsum feratur unum cum arteriarum spiritu, declaremus, quando id Plato nobis proponit. Sic enim ait: Idem quoque de nostro utero cogitandum, nempe cibos & potus ingestos retinet: spiritum uerò, & ignem, quia eius cōpositione tenuiores sunt, demorari non possunt.) Hoc est, quemadmodum ignis propter subtilitatem reliqua elementa penetrat, nec ab illis penetrari potest: ita quoq; in uentriculo hominis, conuerso iam cibo in sanguinem, cum nouam is naturam induat, nimirum calidam & aeream, non potest iam in suo loco, uidelicet iecore, ubi confectus est, remorari amplius, sed natura sua per uenas dilabitur, calore ipsū euehēte. Atq; cum singulis uenis, ut auctor est Galenus, singulae annectantur arteriae, uenaeq; pabulum, & arteriae spiritum uitalem corporibus praebant, ipsarum nunc arteriarum uenis coniunctarum descriptionem simul ostendamus. Ergo arteriae omnes, Galeno auctore, uenis annexae, spiritus animalis uehicula duntaxat sunt: uenae autem uitalis pabuli, hoc est sanguinis receptacula. ideo uenae omnes ab una uena caua ex iecore defluenti dimanant, arteriae uerò ex sinistro cordis uentriculo. Quinetiam eadem arteriae spiritum à corde ad totū corpus diffundunt, simulq; adiumento sunt, ut sanguis undiquaq; euehatur. His igitur usus est Deus ad irrigationem ab utero in uenas perficiendam.) In his considera, Platonem caliditatem, ut semper, ignem uocare. ait enim, easdem ob illas causas sanguinis effluxionē per totum corpus fieri, quoniam ignis siue calor simul cum spiritu arteriarum illum euehit. cuius etiā rei causam prolixius exponit in his, quae sequuntur: Rete enim quoddam ex aere atq; igne instar gibbosae aegaeae contexuit.) In his similitudine

dine quadam eleganti utitur Plato, ad ostendendam sanguinis effluxionem, simulq; ciborum immiſſionē ad ſtomachum. Itaque cum ait, rete quoddam contexit, naſſas quaſdam piſcatorias animo cogita, quæ in baſi perforatæ non ſunt, ſed ſupernum os apertum habent, ut piſces admittant intrantes. Quod autem ſimilitudine hac utatur Plato, nomen ipſum indicat. nam *κίγτρος* naſſam ſignificat. Cum autem ipſe inquit, Vbi duo ſunt ad ipſum introitum gibbi conuexa.) Eandem ſimilitudinē intellige, cuius ſingulas partes prius interpretabimur, poſtea rem totā explicabimus. Ergo intra ſuperiorem, inquit, magnā naſſam, aliam eiufdē figuræ minorem cogita, quæ intra ipſam maiorem cōtineatur. Ab utraq; item naſſa rete quoddam oblongū ad oſculum uſq; maioris naſſæ porrigi cōſidera, ita ut piſcib. duplex ſit aditus, aliq; per unū os, aliq; per alterū ingrediantur. Ita fiet, ut eſi piſces per utrunq; os ingreſſi à ſe inuicem ſegregati ſint, in eadem tamen naſſa contineantur. Quorum alterum biſariam bino pulſu iterum implicauit.) Singulas ſimilitudinis partes, ut res magis explanetur, uideamus. Cum duæ, ait, naſſæ ſint, uti diximus, altera intra alteram, earum quidem una bicornis eſt cogitanda. Nunc hiſ propoſitis, ſimilitudinem humano corpori accommodemus. Quemadmodum, inquit, magna naſſa minorem intra ſe continet, ac minor illa biſurcata eſt, & commune eſt utriuſque oſculum, ut per illud piſces intrantes, ac per bina minoris naſſæ oſcula digredientes, intra naſſam totam recipiātur: ſic in noſtro corpore integumentum externum totius, ſiue cuiſ externa magnæ naſſæ ſimilitudinē habebit, naſſæ uerò paruulæ uafa intra corporis ambitum contenta, ut in ſtomacho, reſpondebunt. Itaq; totus corporis habitus à colli radicibus uſq; ad genitalia extrinſecus magnam naſſam referet, interna uerò uafa minorem: os autem hominis naſſarum oſculum referet etiam, per quod ueluti piſces, cibus intrat. Duo præterea illi aditus bicornes in naſſæ paruulæ ore poſiti, gulam ex uentre aſcendentem, et aſperam arteriā imitabuntur, per quos ſpiritus uitalis ac cibus immittitur. Nec tamen illa intra eandem capacitatem ſtomachi recipiuntur, ſed in diuerſas partes digrediantur, ut docebimus. Et ab ipſis gibbi conuexis ueluti funes per totū corpus uſq; ad texture illius extrema circumtendit.) Hic iam ſimilitudo naſſæ ceſſat, et ad corporis illum ſitum, quem diximus, docendum accedit. In noſtro, inquit, corpore ex uentre ac pulmone uenæ, arteriæq; ueluti funes in totum corpus ad extremas uſq; partes pertingūt, nō ut in naſſa, quæ ab oſculo ad baſim uacua eſt: ſed ut in nobis id intelligatur, in quib. tota illa uentris capacitas diuerſos uenarū riuulos quaſi funes undiquaq; dimittit. Interiora igitur ipſius trica omnia ex igne cōpoſuit, cōuexa uerò et receptaculū ex aere.) Totū id quod naſſæ Plato antea cōparauit, *κόνεα* uocat, hoc eſt trica nunc uocat, quandoquidē intra illud

uelut naſſæ quædā ſunt. In hoc ergo loco capacitatem illā internā naſſæ ſimilē plenā aeris Plato facit, ipſumq; illud receptaculū *κόνεα* eſſe inquit, quoniam interna peſtoris receptacula, quæ interiori naſſæ comparantur, plena aeris ſunt, ideoq; ait:

Conuexa uerò & receptaculū ipſum ex aere.)

Hoc eſt, internam illam capacitatem corporis naſſule ſimilem, ſiue uēros, aere Deus impleuit, reſpirationis cauſa. At cum igne interiora ipſius trica repleta eſſe dicit, intimam aliam capacitatem intra illam priorem intelligit, in qua ſit calor naturalis, ſiue ignis. Itaq; intra corporis humani cauitatem tricam quandam, ſiue uiſcerum receptaculū quaſi naſſam cogitare debemus: quam aer, id eſt uitalis ſpiritus complectatur. Intra eandem uerò calorem naturalem tuenda uitæ neceſſarium ponit. Quod eſi obſcuris uerbis, nihil aliud tamen ſignificare uult, quā totam illam humani corporis capacitatem, in qua uiſcera ſint, tum ſpiritu, tum calore repleti, ut in ſequentibus magis explicabitur. Denuum hæc

10 aſſumēs in animali compoſito hoc pacto diſpoſuit.)

Quando hætenus interiora corporis inuolucra, receptaculaq; ueluti naſſulas ac tricas quaſdā deſcripſit: nunc rurfus eaſdē in corpore collocat, poſitionemq; illarum explicat. Cum duplex, inquit, ſit receptaculū, & quaſi naſſa in toto corpore, unum concauum, & alterum conuexum: conuexum quidem ait in os eſſe diſmiſſum, idemq; biſariam diuiſum, ac parte una per arterias ad pulmonem, parte uerò

30 altera in uentrē circa arterias demitti. Quæ ut nos apertius doceamus, omnia illa inuolucra aſpera arteriæ, gulæ, pulmonis, uentriculi, atq; adeo inteſtinarum ueluti naſſam quandam eſſe intra corporis ambitum, quaſi magnam naſſam comprehenſam intellige: ad quam duo patent aditus, nimirum aſpera arteriæ oſculum, & gulæ alterum oſculum. Hæc autem tota complexio uiſcerū conuexa, naſſa dicitur, quia intra ſe cauitates alias cōmet: concava uerò, eſt interna cauitas illius. Porro conuexa eadem, ut concavam omittamus, duplex eſt, ſiue bicornem

40 habet aditum: atq; uno quidem ad aſperam fertur arteriam, quæ à gutture ad pulmones demittitur: altero autem ad gulam pertinet, quæ eidem arteriæ cōnexa, ad uentriculū porrigitur. Atq; tota hæc utriuſq; fiſtulæ, uidelicet aſperæ arteriæ et gulæ complexio, ab ipſis faucibus deorſum deſcendit, duobuſq; patet foraminibus: per quorum alterū cibos, per alterum uerò ſpiritus adducimus. Hanc itaq; gibboſum cōuexum, duplexq; uocat hiſ uerbis Plato:

50 Cum uerò conuexum, gibboſumq; ſit duplex, per arterias alterum in pulmonem uſq; traiecit, alterum circa arterias in uenterum.) Hoc eſt, duplex quaſdam fiſtula connexa à faucibus demittitur: una in pulmonem, hoc eſt aſpera arteria: altera in uentriculū, id eſt gula. Iam uerò cum interior illa trica ſiue naſſula in duas partes diuiſa ſit, ita tamen diuidetur, ut partem unam bicornem habeat, uti diximus:

(ſiquidem

(siquidem ab eadem una parte et gula, et aspera arteria nascuntur) alteram rursus partem bicornem quoque contineat, eamque ad utrumque narium meatum dimittat, ne odorandi facultas, ac spirandi confunderetur, si meatus illi non paterent. quod etiam sic refert: Alterum uero paritum, utramque illius partem ad fistulas narium communiter duxit, ita ut quando alterum ad os non pervenit, hoc ipso omnes illius fluxus, meatusque repleatur.) Hoc est, cum intra magnam illam corporis nasam, parvam item aliam bicornem contineri dixerimus, eademque duo illa cornua siue aditus in binos alios dividat, duo quidem altera cornua in fauces ad gulam et asperam arteriam mittit, altera uero duo ad narium foramina, tum ut per nares spiritus adduceretur, et odoratus: tum ut concluso ore, per easdem nares respirare possemus. In eo enim natura maxime providit, quod ait Galenus, ut respirationi quasi necessaria rei duplex instrumentum accommodaretur, arteria aspera, et nares. Hoc igitur modo totam fistularum earum descriptionem Plato obscuris verbis docuit, quando gulam, asperam arteriam, ac narium complicationem in ventrem descendentem, similitudine quadam nasam internam, conuexam, bicornemque appellavit: at uero magnam nasam, quae minor illam internam complectitur, conuexam et exteriori vocat, cum ait: Altera uero gibbi, retisque, capacitate circa omnes partes corporis concavas esse uoluit.) Hoc est, externum corporis ambitum a colli radicibus usque ad genitalia, quoniam capacitate illam, quam diximus, et uiscerum inuolucra continet, magnae cuiusdam nasae comparabitur, quae minore complectitur. Haec ergo ad Platonis intelligentiam ita proposuisse ex Galeni interpretatione, satis sit. nam prolixius omnia idem in lib. de Vsa partium describit. Idque omne aliis quidem in conuexa, incuruaque confluere molliter, quasi aer illic sit, efficit: aliis autem conuexa incuruaque ipsa refluere.) Cum totum corporis ambitum quasi magnam esse nasam dixerit, quam aer externus circumfundat: nunc demum eundem inquit ueluti duas nasulas, sic duas aeris regiones continere, unam in uentriculo, alteram in thorace. inter has uero spacium illud interiectum, quod corpus est, extensos ignis radios continere dicit: qui, si Galeno credimus, per arterias uenasque extenduntur. Quinetiam duas esse motiones totius trice illius, de qua diximus, ait, easque contrarias: unam a nasulis ad aerem ambientem, alteram ab aere ad nasulas. Huius autem duplicis motionis usus est, ut respiratio fiat, et alimentum distribuatur. Nam cum duae ille nasae sint, gula, et aspera arteria, ambaeque tenui quadam membrana colligentur: ita quidem mouentur, ut gula cibo repleta contrahatur uersus uentriculum, in ipsumque cibos demittat: contrahente se autem gula eo pacto, arteria minime contrahitur, imo contrario motu ascendit, ut aerem adducat, nulla intermissione facta. Atque hoc modo utraque fistula, quam conuexa, incuruaque Plato uocat, consuit, ac

refluit. Tota enim illarum implicatio raro quodam corpore constat: et dum altera cibo repleta dilatatur, altera nullo incommodo contrahitur. Atque inde fit, ut contrahente se illarum alterutra, spiritus autem cibibus attrahatur, spiritus nimirum per arteriam, cibus per gulam: ascendente uero, exspiratio fiat. Communis autem utriusque motus respiratio dicitur. Itaque duplicem istum motum totius trice, quae gula et arteria aspera colligantur, ac per quam alterutra tum ad fauces ascendens, tum descendens ad uentrem contrahitur ac dilatatur, in illis uerbis Plato intelligit. Ipsam autem illam molliter confluere inquit, quasi aer illic sit: quoniam eadem fistula deorsum ad interiora confluentes, nulla corporis soliditate constringantur: sed quasi aer ibi circumfusus esset in ipsis reconditis locis, sic ipsas molliter dilatari, moueri que ait. quod tamen propter mollem membranam illas inuoluentem, facileque cedentem duriciei corporis contacti sit. Quod etiam Plato idem his uerbis innuit: Rete uero quoniam rarum sit, corpus penetrare per ipsum, rursusque emergere efficit.) Id est, cum tota illa aspera arteria, gulaque complicatio, quae rete hic uocat, rarum ac molle corpus sit, nullo dolore penetrare, emergere uel alterutra duarum fistularum potest, et dum contrahitur, et dum dilatatur. Nam gulam quidem, et asperam arteriam, communis quaedam tunica intus extraque inuoluit, ut denotando altera detrahatur deorsum, altera sursum ascendat. Cum ergo haec sit totius implicationis iam diste descriptio, illius usum cum Platone doceamus.

Radios autem ignis interiores successione continua subsequi, in utramque partem aere transiente: idque donec mortale consistat animal, fieri nunquam cessat.) Cum duplicem motum toti illi reti Plato tribuerit, unum quidem ascendendi, alterum uero descendendi: duplicem quoque usum eiusdem fieri inquit, alterum diuidendi cibos ac potiones, alterum asportandi eos spiritu et calore iam confectos: quae asportatio *αἰσθησις*, id est distributio nutrimenti per uenas et arterias in totum corpus appellatur. Cum itaque per gulam cibus, per arteriam spiritus simul attrahatur, ignis radij interiores, hoc est calor naturalis internarum partium, quasi foliis accenditur, ut iniectos cibos concoquat, concoctosque in corpore diuidat. Quod ut animalis uita conseruetur, fieri nunquam cessat: siquidem alimento, aut spiritu deficiente, animal quoque perit. Hunc denique calorem naturalem internum successione continua subsequi ait, quoniam is paratus sit semper ad assumptos cibos concoquendum. sequitur enim calor alimentum sponte sua. Iam uero, cum Plato in ijs uerbis ait, in utramque partem aere transiente.) sic intellige, non modo per asperam arteriam, quae trice illius pars una est, spiritum adduci: sed per gulam etiam, quae est altera pars, simul cum cibo. Nam aer itidem per hanc intrans, quasi cibos deorsum impellens, attractricem adiuvat facultatem: itemque recepto iam in stomachum eodem

eodem cibo, non cessat aer per utranq; fistulam intrare: quoniam calor stomachi ad cibū coquendū moderato quodam aere, frigidoq; eget, ut mediocriter uentilatus materiā sibi melius applicet, ut Galenus in lib. de Respiratione inquit. Hic aer cibis coquendis utilis, per gulā in stomachū subit. nec enim per arteriam asperam potest, quando illa spiritū adductū ad pulmonē, ceterasq; arterias dimittit. Huiusmodi agitationē meritō expirationē, respirationemq; nominatā esse censemus.) Tres sunt res, Galeno auctore, quæ in spiritus attractione fiunt. *ἐκπνοή*, id est exspiratio, cū spiritū emittimus, et exhalamus: *ἐμπνοή*, id est inspiratio, cum eundem adductimus: *ἀναπνοή*, id est respiratio, cum motus ex utroq; componitur. Plato autem hoc loco inspirationem ipsam respirationem uocat, eamq; in asperā arteriam, uentremq; fieri dicit, cum totam illam gulæ et asperæ arteriæ motionem, expirationem et respirationem uocari ait: à quo tamen Galenus dissentit, qui inspirationē ipsi addidit, ut deinceps dicitur. Omne autem hoc opus, omnisq; nostra hæc passio in corpore fit, irrigatione quadam et refrigerio ad uitam et nutrimentum.) Respirationis usus non modò ad spiritum trahendum confert, sed ad cibos etiam adducendos, et per corpus distribuendos. Siquidem dum cibos capimus, spiritus comminuendū, concoquendūq; à calore cibis prodest, idemq; eis distribuendis per uenas ad corporis alimentum multum confert. nam: cibum sine calore ac spiritu concoqui non posset. Idemq; in sanguinem iam conuersus, eodem calore et spiritu in totum corpus diffunditur, ut in descriptione uenarum antea diximus, ac Plato in his magis declarat: Quando enim expirante et respirante halitu, ignis simul interior sequitur, perq; uentrem diffusus poculenta esculemaq; offendit, liquefacit protinus ipsa, partitur in minima, per exitus quā progressio patet tanquam ex fove quodam educit: in meatus uidelicet uenarum traiecit quæcumq; exhaust, atq; per corpus quasi uallem uenarum fluentia ducit.) Hoc est, perpetua illa spirandi uicissitudo, ignem siue naturalem calorem adiuvat: hic uerò in stomacho inclusus, cibos, potionesq; iniectas concoquens, ac in liquorem comminuens, ad iecur demittit: ibiq; liquor ille in sanguinem mutatus, per uenas omnes distribuitur. Nam hoc modo corpus animalis calore adiuvante nutritur, ut Galenus est auctor: primò assumptos cibos dentibus comminuit, tū in globum coactos per gulam deuorat, deinde in uentriculo calore in humorem liquefactos per uenas meseraicas distribuit: deinceps in cāuo iecoris uentriculo receptos, et in sanguinem conuersos, in cauiam uenam, et ex hac in totum corpus diuidit, quo alimento animal alitur ac uiuit.

Sed uideamus iterum, quibus causis respiratio hunc in modum, quem nunc cernimus, fuerit instituta. Cuius quidē

rei talis erit consideratio. Quoniam uacuum nusquam est, quò quicquam eorum quæ perferuntur, ingredi queat: spiritus autē ē nobis euolat: cuius constat, nō in uacuum quidem hunc spiritum euolare, sed proximum sibi ē sua sede depellere, depulsum rursus illum proximum sibi semper extrudere, ac secundum necessitatem huiusmodi quicquid in sedem illam percutitur atque impellitur, unde exclusus est halitus, ingressum illuc, replensq; halitū ipsum subsequi. Idq; totum simul reuolutione quadam, qua nusquam sit uacuum, fieri. Quamobrē cum pectus pulmonesq; spiritum efflauerint, mox aere corpori circumfuso meatus corporis penetrare replent. Ac rursus euolans à corpore aer, & emissus anhelitus, inspirationem intrò retrahi cogit per oris nariumq; meatus. Causas uerò quæ his principū dant, huiusmodi ponimus. Omne uniuersi huius animal in uenis & sanguine calorem quasi fontē ignis aliquem possidet. Idq; reti sagenę comparauimus, per medium extensum, totumq; ex igne contextum, cum exteriora omnia ex aere sint. Calorem sanē putandum est natura sua in regionem suā extrā ad id quod sibi cognatū est emanare. Cum uerò discursiones duæ sint, una per corpus extrā, altera rursus per os ac nares, cum anhelitus ad aliā impetum facit detruditq;, aliā contrā retrahit atq; repercutit: quod autem retrahitum est, in ignem incurrens calefcit: quod exhalauit, friget: dum ergo caliditas permutatur, & quæ alio transitu utuntur, calefcunt, ac rursus quod feruet, ad naturam suam emigrat, & hanc emigratione alia in aliud iter repercutit, rursusq; hæc idem perpetuantur aguntq; semper: certē anhelitus hic circulo quodam hinc & illinc iugiter fluctuās, expirationem & inspirationem continet. Quinetiam causæ passionum quæ ex attractu ampullarum ex corpore à medicis fiunt, atque etiam potionis, & eorum insuper quæ iaciuntur, siue emittantur sublimia, seu deferantur humi, hac utique ratione tractandæ uidentur. Voces præterea, quæcumque ueloces

ueloces & tardæ, acutæ & graues audiri solent, aliàs diffonē propter motus eius qui in nobis ab ipsis fit, dissimilitudinē, aliàs propter similitudinē consonæ. Priorum enim uelociorūq; cessantes motus, iamq; ad simile quiddam progressos, tardiores ipsæ uoces succedentes illis, eosq; mouētes, occupant: comprehendentes uerò non alium quidem motū inijciendo perturbant, sed tardioris lationis initium secundum principium uelocioris inducūt. Dum uerò desinentis motionis similitudinē sibi quandam accommodant, unum ex acuta & graui concentum contemperant. Vnde insipiētibus uoluptatē, sapientibus gaudium propter diuinæ harmoniæ imitationem in lationibus mortalibus repertam, tribuunt. Eadem ratio est de aquarum fluxibus, de fulminum impetu, de electri mirabili illo attractu, lapidis uē illius qui Heraclius nominatur. Reuera nullius horum attractio fit: sed cum nusquā sit uacuum, & hæc se inuicem pulsent, atque repulsent, cōcretaq; & discreta suum locum singula poscant, diligēti harum rerum inuestigatori ex his mutuis passionibus euentus illi mirabiles contingere uidebuntur.

Ostendimus in superioribus, animalium respirationis instrumenta: nunc quomodo, aut quibus causis respiratio ipsa fiat, uideamus. Prius tamen breuem quandam illius rationem ex Galeno, Aristoteleq; tradamus, ex his postea Platonis sententiam exponemus. Respiratio, ut Galenus definit, uoluntarius motus est, atq; animæ actio ad uitam animalis aere fouendam. In respiratione autem duo hæc sunt: inspiratio, cum aerem externum per nares atq; os adducimus: & exspiratio, cum internum spiritum exhalamus. hæc enim in animali omni uiuente, si sanguinis sit particeps, habeatq; pulmones, aut aliquid eorum loco, fieri necesse est. Respiratio siquidem, ad refrigerandum cordis, internarumq; corporis partium calorem, ne humorem omnem exedat, sed paulatim moderateq; moueatur, animalibus tributa est: qua interclusa, mors sequitur. Ergo usus respirationis, ut Galenus in lib. de Vsu respirationis, triplex est: ad refrigerandū ardorem cordis per inspirationem externi aeris intramus per os & nares, ad nutrimentum uitalis spiritus ex eodem externo aere, & ad exhalationem crafforū spirituum sanguinis per expirationem. Itaq; cum sit hic respirationis usus, eius quidem materia est aer externus: organa uerò,

aspera arteria, quæ per nares atq; os aerem adducit, ac pulmones qui eundem ad cor arteriasq; omnes transmittunt. Modus deniq; respirationis hoc modo fit, ut primò aerem externum per nares hauriamus: & ad cerebrum pulmonesq; transmissus, ibi purus ac tenuis reddatur: indeq; ab eodem pulmone ad sinistrum cordis sinum, & ex corde ad arterias dimittatur. Prima igitur & efficiens causa est animi uoluntas, quæ uelut præfectus necessariam spirandi uim disponit. His breuiter explicatis, ad Platonem ueniamus. Is ergo respirationem hoc modo, & ob hanc causam fieri dixit, ut cum duplex sit actio respirationis, inspiratio & exspiratio, utraq; tamen sic edatur, ut aer externus, qui cuncta ambit, per os navesq; in corporis arterias influat, refrigerandi caloris, alendiq; uitalis spiritus causa. Qui cum intus nimio calore sanguinis calefiat, iterum effluere ad extremum aerem sibi cognatum conatur: qua uerò parte prodierit, & in aerem externum inciderit, eundem repercutit. qui demum, ne quid inane relinquatur ab exeunte aere, quasi circulari motu subsequitur, & in sedem exeuntis illabitur. Atq; huiusmodi uicissitudine effluentis & subintrantis aeris non cessante, animal semper spirare inquit. Nam dum idem effluit calidus in aerem externum, exspiratio fit: dum uerò aer externus ab illo repercussus in prodeuntis succedit locū, est inspiratio. Quamobrem hæc est Platonis de respiratione sententia, breuiter explicata: quam cum Aristoteles in lib. de Respiratione refellat, rationes utriusq; conferamus, ut quid alter differat ab altero intelligatur. Aristoteles in eo libro sententiam hanc Platonis refellens, primò ipsum reprehendit, quòd cum de respiratione differuisset, generatim de illa dixerit, quasi animantia omnia respirent: nec eorum fecerit mentionem, quæ minime respirant. siquidem animalia solum ea quæ sanguinem habent, respirare inquit Aristoteles. Cui sanè obiectioni facile respondebimus, si Platonem hominis respirationem solum docere hic dicamus, de cuius natura & effectione in hoc libro differere statuit: ideoq; mirum non esse, si reliquorū animantium non respirantium mentionem nō fecerit. Iam illud quoq; obijcit, quòd inspirationem priorem expiratione posuerit, quasi inspiratio causa sit expirationis: ut si aer externus non repercutiatur, nullus spiritus in corpus subeat, ex quo fiat respiratio. Cui etiam occurremus, si Platonem id nō ita intellexisse dixerimus. Nec enim is, quòd externus aer repercussus subintret, internos exeunte, idcirco inspiratum ipsum causam esse respirationis dixit: imò potius ediuerso. Nam cum internum spiritum per expirationem effluat, & externum aerem refluat, causa est, ut idem externus subsequatur. itaque principi ū inspirationis est exspiratio: quia exeunte spiritu interno, aer externus succedit in eius locum. Quinetiam illud reprehendit, quòd finem respirationis non retulerit, nec cur eadem fiat explicauerit.

E

cuerit.

cuerit. Quod item dissolui facile est, cum apertè ipsemet Plato respirationis finem esse refrigerationem dicat, his uerbis: τὴν δὲ τῷ γένει τὸν τὰς ἐπιθυμίας θέμενον, ἀναπνοὴν καὶ ἐκπνοὴν λέγουμεν θέναι τὰν νοῦν. καὶ δὲ τὸ τὴν ὄψιν, καὶ τὸ πάθος τῶν ἡμῶν τῷ σώματι γέγονον ἀνδρανομήν, καὶ ἀναψυχομένην τρέφειν, καὶ ζῆν. Item cum pulmonis effectiōnem commemoraret, eandem refrigerationis causam reddidit hoc modo: τὴν τῷ πνεύματος ἰδέαν ἐνέφύτουν, πρῶτον μὲν μάλα κρύον, καὶ αἵματι, ἅτε σύριγγας οὗτοι ἔχουσιν οἷον σπόνγης κατὰ τὴν ἰδέαν, ἵνα τί, τε πνεῦμα καὶ τὸ πῶμα διχομήνη, ψυχρὰ ἀναπνοὴν καὶ ῥεῖσθαι καὶ οὐ τῷ σώματι παρέχουσι. Vltimò id obijcit Aristoteles, absurdum esse, respirationis, quæ per os, nares, pectusq; fiat, causas solum asserre: reliquarum uerò respirationum, quæ per occultos alios meatus fiant, ut intra pectus, rationem nō reddere: quippe cum maior ratio non sit, inspirationis causam non reddere, quàm expirationis. Cui demum ita satis fiet, ut Platonem hic communem duntaxat respirationis causam, quæ uel sensu percipitur, attulisse dicamus: quo pacto efflante, illabenteq; per arteriam spiritum, inspiratio, expirationeq; fiat: cum respirationis, quæ per occultos fiat meatus, causam docere facile non sit, nec ad hanc locum pertineat. His sic traditis contra rationes Aristotelis, eodem quoq; modo Galeni obiectionibus in lib. 8. de Placitis Hippocratis et Platonis resposum erit. is enim Platoni hoc obijcit, quòd motum uoluntariū respirationis causam esse non dixerit: sed inspirationem superuenientem, cum in nostra sit potestate, uel spirare, uel non spirare; quodq; statim post contractionem arteriarum inspirationem fieri oporteret, cum arterijs cōpressis, prius expiramus, quàm inspiremus. Huic ergo resposum ex priori illa sententiæ Aristotelicæ solutione erit, in qua Platonem inspirationem esse priorem expiratione minime asserere dicebamus, sed expirationem: siquidem expirationem ipsam ut causam efficientē ponit, quæ aerem externum reflectat. Non igitur inspirationē causam esse respirationis dixit. Quemadmodum enim, si lapis ab aliquo proiectus alium feriat, minime quidem asseremus, lapidem esse primā causam, sed eum qui proiecit: sic etiam, non quòd aer externus ab interno spiritu effluente percussus subsequatur, priorem esse inspirationem expiratione dicemus, sed ediuerso. nisi enim externus aer ab interno effluente moueretur, minime influeret, intraretq; in exeuntis locum. Hoc igitur modo Platonis sententia respiratio fit. nunc causas ab eo traditas singillatim consideremus. Quoniam uacuum nusquam est, quo quicquam eorum quæ perferuntur, ingredi queat, spiritus autē ē nobis euolat, cuius consistat, nō in uacuum quidem hunc spiritum euolare.) Quo pacto respiratio fieret in uniuersum diximus: nunc causas singulas à Platone traditas explicemus.

Eadem uerò sunt hæc. Primò, animalium uniuerso generi calorū uitæq; alimentum in sanguine tributum est: siquidē animal omne calore humorēq; alitur, ac uiuit, exhaustoq; illorum aliter uero moritur. Igitur calorū materia, Galeno auctore, sanguis est per corpus diffusus. sed huius quidem sanguinis et calorū duo sunt instrumenta: iecur, in quo sanguis gignitur: et cor, ubi calor omnis uitalis, spiritusq; animalis continetur. Sanguis præterea cum in corde calidissimus, ardentissimusq; sit, eaq; pars propter ardorē refrigerio indigeat, ab oris faucibus ad pulmonem demittitur aspera arteria, ut per eam aer externus in pulmonem adducatur, indeq; ad cor, ceterasq; partes purus ac tenuis transmittatur. Atq; hanc arteriæ cum gula connexionem, de qua antè diximus, Plato hic intelligit, cum ait: Idq; reti sagenæ comparauimus, per medium extensum, totumq; in igne contextum, cum interiora omnia ex aere sint.) Quasi diceret, per illam ipsam cōnexionem respirationem fieri, tum attractione aeris per asperam arteriam, tum immiſsione ciborum per gulam, ex quibus fit sanguis. Cum ergo internæ animantis partes, nimirum cor, ac reliquæ omnes, nimio calore sanguinis ex cibo confecti exardescant, calorem eum refrigerari necesse est, ut animal possit uiuere. totum enim animal calor inflammaret. Quo nomine cum ignis natura sursum semper feratur, calor etiam internus, qui eius natura est, sponte sursum petit, extrahq; prodire nititur, nimirum ad externum aerem. Hoc demum cōmune sit respirationis initium, quòd internus uidelicet calor siue spiritus calidus, per os ac nares natura sua exhalatur, et in aerem externum prodit. itemq; quòd hic ipse aer externus ab interno cōpulsus in exeuntis locum reflectiōe quadam immittatur, inspiratioq; sic fiat. His propositis, difficilia Platonis uerba interpretemur. Quoniam due sunt, inquit, aeris discursiones, siue διεξοδοι, una externi aeris ob oculos offusi, ex qua fit inspiratio: altera interni spiritus calidi per asperam arteriam ad nares, osq; expirati, ex quo fit expirationis: cum internus ille spiritus calidus in aerem externum incidit, hic rursus reflectitur, intratq; per eosdem illos meatus, quibus internus spiritus exhalatus est. Quo fit, ut non per os solum, uerum etiam per nares respiratio fiat, ut spiritui uitæ necessario duplex sit instrumentum, ne altero intereluso, animal pereat. Igitur per easdem partes inspiratio fit, per quas expirationis. cum enim halitus internus calidissimus efflatur, friget extrinsecus, siquidem externo acri commiscetur: cum uerò externus inspiratur, calefit statim, quoniam in ipso calorū fonte, nimirum corde incenditur. Atque id ipsum hic Plato intelligens ait: Quod autem retractedum est, in ignem incurrens coalescit: quod exhalauit, friget.) Id est, aer externus per arteriam asperam ad pulmones immiſsus, calefit interno calore, atque ita in ignē incurrens coalescere dicitur. At uerò halitus pectoris

pectoris foras emissus, in aerem externum incidens frigescit. Ergo continua haec expirati calidi spiritus, & inspirati frigidi aeris uicissitudo, respirationis causa est, qua uita animantium cōseruatur. Quint etiam causae passionum, quae ex attractu ampullarū ex corpore à medicis fiunt, atq; etiam potionis, & eorum insuper quae iaciuntur, siue emittantur sublimia, seu deferantur humi, hac utiq; ratione tractandae uidentur.) Ad explicandam magis respirationis causam ac modum, exempla quaedam nobis proponit Plato, quibus id positius apertius intelligere: quae quoniam difficilia sunt, latius à nobis declarentur. Quam re, ne multa in hanc sententiae Platonicae interpretationem addamus, Plutarchū in *Quest. Platonicae* sequemur, qui totum hunc locum eleganter explicat, cuius etiam uerba latine hoc modo interpretabimur: Cur Plato inquit, motus reciprocationem, ne qui uacuum sit, causam esse effectio-nū earum, quae fiant ex ampullis medicorum, ex potione, ex ponderum eiaculatione, ex aquarum fluxu, ex fulminibus, & ex electri ac lapidis Herculei attractione, atq; adeo ex uocum concennu? Hae itaq; à Platone in hoc loco sparsim dicta Plutarchus colligit, ordinēq; declarat. Quare uerba ipsius sequamur: Absurdum profecto, inquit, uidebitur, multorum ac dissimilium causam originem earum effectio-nū esse dicere. Sed quānam ratione respirationis modus aeris reciprocatione fiat, abunde ipsemet demonstrauit. At cum reliqua omnia admiratio-nem parere dixit, nihil tamen illa esse, sed pulsare se, subireq; uicissim in aliorum sedes, singularem etiam eorum effectio-nem nobis tradidit. Primum itaque quod ad ampullam attinet, sic se habet: Aer quidem ab illa comprehensus, unā cum calore circa carnem inflammatur, extenuatioq; factus ipsis ferri meatibus, minimē quidē incurrit in uacuum locum (nec enim ullus est) sed in externum potius aerem illum, qui ampullam circumstat, elabitur. Qui uerò ante ipsam est, idem quoq; semper patiens, & adducens primò declinat, euacuato gaudens loco, quem primus reliquit. Sic ergo ille in carnem, cui ampulla est affixa, incurrens, atq; feruens, humorem simul in ampullam reflectit. Iam uerò potio eodem modo fit: siquidem cavitates, quae in ore, stomachoq; sunt, aere semper implentur. Cum ergo cibus à lingua simul demittitur, & cum tonsillis intentis, aer ad alium sibi cognatū aerem excutitur, ab hoc ipso declinante comprehenditur, ac cibum impellit. Quint etiam eiaculata pondera cum plaga excussa aerem diuidunt, ac discernunt: qui ponē circumfusus, quia natura sua in desertum locum semper subit, atque cum implet, dimissum cōsequitur, motum ipsum impellens. Ipsi quoq; fulminum casus eiaculationibus similes sunt. nam ignea quidem uis à plaga in nube facta eliditur in aerem, qui etiam discissus cedit: ac eodem rursus cōfluens, desuperq; uim afferens, fulmen prae naturam deorsum impellit. Electrum

nihil attrahit eorum quae illi admoventur, quemadmodum nec magnes lapis, nihilq; ab eo in proxima exilit. sed lapis idem effluxiones quasdam exilientes, & aereas emittit, quibus aer coniunctus repellitur, simulq; anteriorem aerem repellit. ille tamē in orbem ductus, ac in locum uacuum rursus subiens, uiolentus redditur, ac ferrum attrahit. Electrum autem, cum flammeum quiddam & spirabile habeat, id ipsum superficiei fricatione meatibus apertis profert, atq; idem efficit quod magnes lapis: attrahit enim leuissimā, & aridissimā, quaecunq; illi admoventur, propter imbecillitatem, ac tenuitatem. Nec enim adeo uehemens est, nec eam habet grauitatem, aut acrimoniam, ut aeris magnitudinem possit impellere: quā, ut magnes, euincat maiora. Quo igitur pacto nec lapidem, nec lignum, sed ferrum duntaxat aer impellat, lapidēq; admoueat, communis est apud eos dubitatio, qui attractione lapidis, & illos qui motu ferri corporum concretionem fieri existimant. Ferrum enim nec adeo rarū est, atq; lignum: nec adeo densum, ac aurum, aut lapis: sed meatus habet, ac uias, & asperitatem propter aeris inaequales partes: ita ut non delabatur, sed sedibus quibusdam, & reuerberationibus aptam implicationē habentibus resistit, ut cum in lapidem incidat, ui allata ferrū impellat. Atqui horum ratio sic habet. Aquarum praeterea in terra fluxus haud ita manifestum reciprocationis modum habet: sed stagnantes aquas cōsiderare oportet, immotas & stabiles, nullum locum inanem relinquere, quatenus immotus aer ipsas circumfundit, et contrahitur. Aqua igitur palustris, ac pelagi, plerunq; agitur & inundat, aere commotionem efficiente. nam statim illa commouentem sequitur, simulq; fluit ob inaequalitatē. Plaga enim deorsum facta, curuitatem unde efficit, facta quidem desuper mole, quousque consistat, & componatur ab extante loco, qui humorem cominet. Fluxus igitur eorum quae semper feruntur, quaecunq; aeri cedunt consequentes, & ab ijs quae contra pulsant, agitati, continuatum perpetuumq; motum habent. ideoq; latiora flumina minus feruntur: in ijs uerò quae parua, sinuosaq; sunt, fertur quidem humor ob imbecillitatem, aere non accedente, nec multam reciprocationem efficiente. Sic ergo aquarum fontes defluere necesse est, externo uidelicet aere in loca ima iam commota illabente, aquaq; rursus foras emissā. Cum uerò propinqua est profunditas, atq; aerem aut uentum aqua humectum cominet, uentum eundem inflamem prostermit, commotum nimirum aere ex sua sede ob incurrentem humorem, & plagam accipiente. sic ergo natura sua à se inuicem expelluntur, & inter se contra impelluntur: cum nulla sit inanitas, in qua consistat alterum, aut quò alterius commigratione traducatur. Atq; de cōcennu etiam, quomodo uoces similiter coherēat, ipsemet dixit. Acuta enim celeriter editur, grauis grauius, ideoq; sensum prius mouente acuta. cum

uero emarcescentibus his, & iam desinensibus, incipientes graues committuntur, id quod ex ijs temporatione quadam componitur, cœcenum appellant. Quod autem instrumentū eorum sit aer, ex ijs quæ diximus, cernere facilius est. Vox enim semiētis plaga est, ab aere per aures edita. Aer siquidem ab eo, qui mouet ipsam, collisus ferit: ac si uehemens sit, acutē: si obtusus, mollis sonat. Qui ergo primus uehementer & concinnē plagam auditui commiscuerit, deindeq; rursus progressus grauiorē ediderit, 10 consequitur & commouet sensum. Hæc sunt, quæ Plutarchus ad huius loci explanationē retulit: quæ quoniam abundē omnia declarant, pluribus nos in eam rem uti non oportet. Illud solum considera, Platonem in his exemplis aeris uicissitudinē ac reflexionem indicare uoluisse, quæ in respiratione fit ab expirato aere, et ab inspirato. Ille enim hunc impellit, foras prodians: hic rursus cōmotus, ne quid exiens aer ponē uacuum relinquat, in exeuntis locum succedit: id quod in potionis modo, et ampulla 20 siue cucurbitula, ut Cornelius Celsus, ac Latini medici uocāt, & in reliquis iam propositis uidere est.

Atqui respiratio, unde huc digressi sumus, ab his causis, & hunc in modū, ut suprà diximus, prouenit. Dum uide licet ignis cibos diuidit, eleuaturq; intrinsecus affecutus spiritum, uenas à uentre communi eleuatione huiusmodi replet, ex eo quod attrita inde haurit, & ob hanc rationem per totum animalium omnium corpus alimentorum liquores penitus diffunduntur. Statim uero attrita, & à cognatis suis ablata, partim fructibus, partim graminibus, quæ Deus ad alimoniam corporis nostri produxit, colores propter mixtionem omnino uarios habent: sed plurimus in his rubeus preualet color, cuius 40 natura ex ignis portione et absterfione in humido facta prouenit. Propterea eius quod in totum corpus permanat, color, talis aspectu est, qualē diximus. Id sanguinem nominauimus, carniū & uniuersi corporis pabulum: unde irrigatio distributa passim exhausta cuncta replet. Modus autem impletionis euacuationis uē talis est, qualis in uniuerso cuiuslibet latio, per quam cognatum quodlibet ad seipsum se confert. Quæ enim nobis extrinsecus circumfusa sunt, resoluunt nos assidue, & singulas nostri portiones ad species suas foras emittunt. Sanguinea uero in no-

bis attrita, inclusaq; uisceribus, ut par est in quolibet animali fieri sub cœlo constituto, totius lationem imitari coguntur. Cum igitur attrita quælibet in nobis cognatū poscant, exhausta quælibet implent. Porro quando abscedit plus quàm accesserit, decrescit animal: quando contrā fit, augetur. Recens igitur animalis cuiuslibet compositio, cum nouos uelut ex ligneo quodam contextu triangulos habeat, ualidam quidem eorum structurā possidet: moles autem eius tenerior tota coaluit: quippe quæ ex recentiori medulla con creuit nuper, & lacte nutrita est. Sus ceptos ergo triangulos illos extrinsecus incidētes, ex quibus cibi potusq; conflantur, triangulis proprijs antiquiores imbecillioresq; iuniorū ui peruincit & conterit, & grande animal ipsum reddit, dum ex multis similibus alit. At cum triangulorum suorum radicem cō pagemq; relaxat, ex eo quod magnis laboribus longo tēpore aduersus multa certando fatigata & domita sit, tunc sanē alimenta suscepta in similitudinē suam non potest comminuendo redigere: sua uero membra ab ingredientibus facile dissipantur. Hinc iam minui ac deficere omne incipit animal, cum superatur, detrimentumq; istud senectus appellatur. Finis uero tunc obuenit, quando triangulorum illorum ex quibus medulla cōficitur, olim coapta uincula, nihil amplius nectunt, sed defatigatione iam relaxata nexus animæ deserunt. Anima uero clām secundum naturam cum uoluptate protinus euolat. Quicquid enim contra naturā fit, molestū: quod autem pro rei natura, iucundum. Similiter & mors quam morbi & uulnera intulerunt, uiolenta est atque molesta: quæ uero senio paulatim ad finem deducente naturaliter surrepit, inter omnia mortis genera leuissīma est, & cum uoluptate potius quàm dolore contingit.

Expositis respirationis causis, sanguinis effectio nem ac naturam, cuius nimium calorem respiratione dixit indigere, adiungit. Itaq; respiratio non solum ad refrigerandum calorem conducit, sed ad cōmodē etiam concoquendum cibum. Siquidem ignis ille

ille internus, siue calor naturalis inspiratione aeris moderatus, cibos decoctos, & in sanguinem conuersos per totum corpus diuidit: affectusq; ut hic ait Plato, spiritum, hoc est, simul cum eodem inspirato aere facilius per corpus diffundit, uenasq; replet.

Quamuis enim sanguis per uenas effusus, propter admixtam pituitam facile perfluat: necesse tamen est, aeris respiratione adiuuari, ut ascendere, descendereq; in diuersas partes corporis possit. Atq; id sane in ijs uerbis Plato intelligit: Dum uidelicet i-

gnis cibos diuidit, eleuaturq; intrinsecus, affectus spiritum, uenas à uentre communi eleuatione huiusmodi replet.) Sed nos sanguinis effectiorem breuiter doceamus, quamquam ea de re multa in superioribus dixerimus. Primo cibum maceratum, potioniq; admixtum in uentriculo concoqui, ac liquefcere constat, indeq; succum illum ad ieiunum intestinum deriuari: ex quo ad iecoris gibbum multae uenulae, quasi ad radicem conflunt, per quas succus ille omnis tenuior factus, demittitur ad iecur, ubi naturali

calore concoctus in sanguinem uertitur: qui à colore ipsius iecoris, ubi coquitur, rubeus fit. Generato

igitur sanguine, quatuor humorum sit distinctio. Omnis enim cibus quatuor qualitatis consistat, quae, concocto illo, in quatuor humores conuertuntur. Itaq; leuis sanguinis pars, atq; ignea, quae flaua bilis dicitur, in se seceratur: crassa & terrea, quam atrā bilem uocant, in licnem demittitur: frigida & humida pars, hoc est pituita, simul cum ipso sanguine, in uenas distribuitur. Hoc modo igitur ex cibo potuq;

sanguis gignitur, ac diuiditur in totum corpus. Statim uero attrita, et à cognatis suis ablata, partim fru-

ctibus, partim graminibus, quae Deus ad alimoniam corporis nostri produxit, colores propter mixtiones uarios habet.) Id est, succus ille cibi decocti in uentriculo, cum ex diuersis eborum generibus consistetur, ante quam in iecore mutetur in sanguinem, colore habet diuersum, ut Plato inquit. cum uero calore iecoris magis inflamatur, eiusq; sumit colore, rubeus fit. iecur enim quasi sanguis quidam coactus est, Galeno

auctore: ideoq; succus in eo liquidus colore eiusmodi sumit, & inde ad reliquas partes digressus, carnem ac totum corpus alit. Modus autem imple-

tionis & euacuationis talis est.) Cum animal omne, quamdiu uiuit, alit, augeriq; ad certum uitae tempus, diminuiq; debeat: necesse est, ex alimento ipso, quo semper utitur, partes quasdam similes ac dissimiles, quatuor primis qualitatis respondentes gigni: siquidem corpus compositum rebus compositis, non simplicibus alitur. Ergo ex hoc cibo, quem

capimus, ab infanzia usq; ad uirilitatis consistentiam perpetuo alimento augemur, ita ut plus addat sumpti cibi accessio, quam calor semper exedens detrahit. Nam sanguis quasi prima corporis materia est, ex qua gignitur caro, adeps, medulla, sebum, eiusmodiq; partes aliae, ut Aristoteles lib. 2. de Partib. animalium docet: quamuis diuersa ratione illa omnia

fiant. Itaq; hoc satis est, in singulis corporis partibus accessionem perpetuam similium rerum fieri, ut carni materia carnea ex alimento semper accedat, ossibus ex ossea, cartilagini ex cartilaginea, eodemq; modo in reliquis. Semper enim cognati sibi alimentum singulae partes adducunt, ut Galenus testatur, ac Plato in his declarat: Per quam cognatum quodlibet ad seipsum se confert.) Quoniam uero distributio haec tam ordinata alimenti ab anima in corpore

fit, has esse naturales facultates alendo animali seruientes, Galenus in lib. de Naturalib. facultat. docet:

Nutriendi uidelicet facultas, qua sumptos cibos in naturam suam animal conuertit, cuius instrumentum est uenter, iecur, ac uenae omnes sanguinis. Huic attractiua uis subijcitur, quae cibos appetit, quaeq; in uentriculo est: deinde retentrix, quae cibum acceptum in stomacho tamdiu retinet, quamdiu concoquitur: itemq; auctrix his additur, quae sumptorum ciborum partem in animalis corpus conuertit, illiq; adnectit,

ita ut ex sanguinea natura alimenti partem sanguini applicet, ex carnea carni, ex ossea ossi. Huic praeterea auctrici alitrix et alteratrix facultas inferuiunt,

ut augmenti causa nutritio, assimilatioq; alimenti ad singulas partes fiat. Cum ergo facultates haec naturales animae appetitoriae propriae sint, quoad eadem uigent, ab infamia homo ad uirilem aetatem au-

getur: quoniam calor tunc maxime uiget, alimentumq; omne in naturam suam conuertit. Quandiu uero ille

debilitatur, calore deficiente, ut in senectute, homo imminuitur: quia plus consumit calor naturalis

ex corporea substantia, quam ex alimento possit addere. Atqui hoc Plato apertis, prolixisq; uerbis indicat: In quo tamen considera, alitricem hanc facultatem, seu modum nutritionis animalibus omnibus concessum à Platone dici, ad similitudinem uniuersis:

non quod ipsum uniuersum augeatur, alatur uel: sed quia, ut in mundo inferiori perpetua est elementorum

commutatio & uicissitudo, ita quoq; singula corpora ex ijs qualitatis composita, continua illarum

mutatione conuertantur. Itaq; ab infamia homines ad maturam aetatem augeantur, indeq; iterum decre-

scant, propter caloris incrementum, uel decrementum. Vnde senectus, ut Aristoteles in lib. de Longitudine

ac breuitate uitae ait, nihil est aliud, quam caloris naturalis defectus: cuius causa animal augeri, aliq; desinit: iuuenus autem est, eiusdem caloris uigor, cuius

ui pabulum facile in substantiam animalis conuertitur. Quapropter hoc ipsum intelligens Plato, qualitatum in corpore animalis accessionem & abcessio-

nem triangulorum connexionibus tribuit, ut idem in hoc Dialogo frequenter facit. Per triangulos enim,

qualitates primas intelligit: per eorum structuram, connexionem earundem. Quo nomine in ipso, inquit,

animali ex nouis triangulis composito, quoniam magis tunc uigeat naturalis calor, susceptos extrinsecus

triangulos imbecilliores reddi, ac comeri: hoc est, ipsum in iuuentute ex primis qualitatis re-

ferantur. Itaq; hoc satis est, in singulis corporis partibus accessionem perpetuam similium rerum fieri, ut carni materia carnea ex alimento semper accedat, ossibus ex ossea, cartilagini ex cartilaginea, eodemq; modo in reliquis. Semper enim cognati sibi alimentum singulae partes adducunt, ut Galenus testatur, ac Plato in his declarat: Per quam cognatum quodlibet ad seipsum se confert.) Quoniam uero distributio haec tam ordinata alimenti ab anima in corpore

fit, has esse naturales facultates alendo animali seruientes, Galenus in lib. de Naturalib. facultat. docet:

Nutriendi uidelicet facultas, qua sumptos cibos in naturam suam animal conuertit, cuius instrumentum est uenter, iecur, ac uenae omnes sanguinis. Huic attractiua uis subijcitur, quae cibos appetit, quaeq; in uentriculo est: deinde retentrix, quae cibum acceptum in stomacho tamdiu retinet, quamdiu concoquitur: itemq; auctrix his additur, quae sumptorum ciborum partem in animalis corpus conuertit, illiq; adnectit,

ita ut ex sanguinea natura alimenti partem sanguini applicet, ex carnea carni, ex ossea ossi. Huic praeterea auctrici alitrix et alteratrix facultas inferuiunt,

ut augmenti causa nutritio, assimilatioq; alimenti ad singulas partes fiat. Cum ergo facultates haec naturales animae appetitoriae propriae sint, quoad eadem uigent, ab infamia homo ad uirilem aetatem au-

getur: quoniam calor tunc maxime uiget, alimentumq; omne in naturam suam conuertit. Quandiu uero ille debilitatur, calore deficiente, ut in senectute, homo imminuitur: quia plus consumit calor naturalis

ex corporea substantia, quam ex alimento possit addere. Atqui hoc Plato apertis, prolixisq; uerbis indicat: In quo tamen considera, alitricem hanc facultatem, seu modum nutritionis animalibus omnibus concessum à Platone dici, ad similitudinem uniuersis:

non quod ipsum uniuersum augeatur, alatur uel: sed quia, ut in mundo inferiori perpetua est elementorum commutatio & uicissitudo, ita quoq; singula corpora ex ijs qualitatis composita, continua illarum mutatione conuertantur. Itaq; ab infamia homines ad maturam aetatem augeantur, indeq; iterum decre-

scant, propter caloris incrementum, uel decrementum. Vnde senectus, ut Aristoteles in lib. de Longitudine ac breuitate uitae ait, nihil est aliud, quam caloris naturalis defectus: cuius causa animal augeri, aliq; desinit: iuuenus autem est, eiusdem caloris uigor, cuius ui pabulum facile in substantiam animalis conuertitur. Quapropter hoc ipsum intelligens Plato, qualitatum in corpore animalis accessionem & abcessionem triangulorum connexionibus tribuit, ut idem in hoc Dialogo frequenter facit. Per triangulos enim,

qualitates primas intelligit: per eorum structuram, connexionem earundem. Quo nomine in ipso, inquit, animali ex nouis triangulis composito, quoniam magis tunc uigeat naturalis calor, susceptos extrinsecus triangulos imbecilliores reddi, ac comeri: hoc est, ipsum in iuuentute ex primis qualitatis re-

center compositum, qualitates sumptorum ciborum facile concoctorum in sui corporis substantiam moliturq; conuertere. Igitur in iuuenta propter maiorem nutritis auctritiq; facultatis vim, animal in dies augetur, ad certum usq; uite spacium à natura illi constitutum: in senectute contra, propter earum facultatum debilitatem, cum non omnem cibum possit decoquere, minuitur, conficiturq; paulatim, quo usq; exinanito prorsus calore naturali, siue triangulorum illorum mole dissoluta, hoc est dissipatis primis quatuor qualitatibus, animal perit. Nec enim aliud est mors, ut Aristot. docet, quam naturalis caloris in animali interitus. Mors tamen est duplex, ut Plato hic docet: una naturalis, cum animal perit, quia dissolubilibus qualitatibus est constitutum: altera violenta, ut ex morbo, aut cæde, cum ante præscriptum à natura uite tempus, ui aliqua illata, animalis corpus ex constitutio dissoluitur. Quod cum nature animantis repugnet, idcirco molestum esse inquit: siquidem nature nostre consentanea uoluptatem pariunt, contraria uero molestiam. Quo nomine animal ipsum, id est compositum ex anima et corpore, ægre dissolutione suam patitur. At uero anima, que corpori immersa quasi contra naturam suam detinebatur, nec primi sui uehiculi puritatem habebat, libenter, et secundum naturam suam à corpore migrare inquit Plato: quemadmodum in Phædone latius, et in superioribus nos sæpe retulimus. Hec igitur de uita, morte, iuuentute, senectuteq; dicta à Platone sunt: quibus etià Aristoteles cõsemit, quamuis uerbis ac tractandi modo differat.

Morbi autem unde nascantur, quis dubitet? Nā cum quatuor illa sint ex quibus compactum est corpus, Terra, ignis, aqua, aer: horum non naturalis excessus, defectusq; et ex loco proprio in alienum translatio, per quam quod sibi conueniens est, non tenent, intestinum quandam seditionem & morbos inferunt. Quando enim præter naturam unumquodq; fit, aut transfertur, calefcunt utiq; quæ antè frigebant: arida madent, grauescunt leuia, & cætera omnia similiter permutantur. Solummodo uero idem aliquid sibi met secundum idem, atq; similiter et debita proportionē seruata accedens uel decedens, permittet se idem sibi ipsi sospes integrumq; manere. Quod autem aberrat, siue accedendo seu decedendo, mutationes uarias, morbos, corruptiones infinitas inducit. Ex secundis quoq; compositionibus secundum naturam constitutis, secunda bonæ uel malæ ualitudinis

coniectura id querenti cuiq; dabitur. Cū enim medulla ex illis & os & caro & nerui constiterint, sanguis præterea ex ipsidem quamuis alio modo concreuerit, cæteri quidem euentus plurimi quemadmodum superiora contingunt, maximi uero morbi atque grauissimi hoc pacto nascuntur. Quando uidelicet ordine conuerso ista ex se inuicem fiunt, proculdubio corrumpuntur. Nempe secundum naturam carnes & nerui ex sanguine generantur: nerui quidem à uillis & ligamentis propter cognationem, carnes autem à coagulatione quadam eius quod secretum à uillis & ligamentis concreuit. Quod rursus à neruis & carnibus emanat glutinosum & pingue, simul quidem carnem ut plurimum ad ossium naturam, ac etiam os ipsum medullam circundans nutriendo exauget. Quod rursus per ossium crafitudinē stillat, purissimum genus triangulorum, lenissimumq; et pingue dine abundatissimum, dum defluit ex ossibus, atq; delabitur, medullam irrigat. Quatenus igitur singula hunc in modum fiunt, bona ualetudo seruatur: mala uero sequitur ualetudo, quando fit contra. Nam quoties eliquata caro tabem rursus transmittit in uenas, sanguis unā cum spiritu multus ac uarius in uenis, coloribus diuersis, amaritudinemq; & acidis salisq; infectus saporibus, bilem, cruorem, pituitam gignit quam plurimam. Quæ quidem omnia rursus sic genita & corrupta sanguinem ipsum in primis inficiunt, & ipsa nullum nutrimentum adhibentia corpori, feruntur passim per uenas, nullo prorsus naturalis circuitus ordine obseruato. Inimica sanè inter sese ista sunt, propterea quod nullum sui sibi inuicem præbent usum. Naturali præterea corporis habitudini, suoq; in statu perseveranti dissol uendo & liquefaciendo plurimum ad uersant. Portio namq; carnis uetustissima cum liquefcit, ad digestionem concoctionemq; ineptissima, propter ueterem exustionem nigrescit: quia uero contabuit, penitusq; exesa est, amaritudinem contrahit, cæteris omnibus corporis partibus nondum contaminatis

tis aduersam. & tum quidem pro amaritudine niger ipse color acerbiter & acrimoniam habet, eo iam quod amarum fuerat magis attenuato: tum uero amaritudo rursus sanguine tincta colorē habet rubeū, sed nigro huic admixto felleum. Præterea flauus color cum amaritudine coit, quando ob ignis flammam noua caro liquefcit. Et nomen quidem omnibus his communē imposuit uel medicus aliquis, uel certē eo ingenio præditus quispiā, quo multa & dissimilia dispicere posset, ac rursus genus in multis unum uino cognomento dignum inspicere. Quæ uerò bilis species appellatur, pro colorum uarietate rationem singulis propriam acceperūt. Cruor præterea, qui sanguinis residuū & defluxus est, lenis est ac mitis: qui uerò bilis atræ acrisq̃, agrestis. quādo propter caliditatem falso saporī miscetur huiusmodi quiddā, acida pituita nuncupatur. Sæpe uerò tenerioris recentisq̃ carnis portio quædā unā cum aere colliquefcit, deinde uento inflatur incluso, humiditate protinus circumfusa: fiuntq̃ ex hoc ampullæ, quæ sigillatim propter paruitatē uideri non possunt: iunctæ uerò simul & in grandiolem tumefactā molem, cōspiciuntur, coloremq̃ propter spumæ generationem habent album. Omnem hanc tenerioris carnis eliquationem unā cum spiritu factam, quæ ex humiditate uento circumfusa tumescit, albam pituitam appellamus: recentis item pituitæ residuum defluxumq̃ lachrymas atq̃ sudorē, et quotcūq̃ alia in quæ quotidie corpus resoluitur. Atq̃ hæc omnia instrumenta morborum, quando scilicet sanguis non cibis & potibus secundum naturam, sed ex contrarijs præter naturæ leges excrefcit. Quando igitur caro quæ libet circūciditur, eiusq̃ radix permanet, dimidia quædam est calamitatis potētia Facile enim restauratur. Quādo uerò quod carnes ossibus alligat, ægrotat, & sanguis ex illis ac neruis de fluens haud amplius nutrit ossa, carnē uere uincit, sed ex pingui & glutinoso asper, salsus, siccus, & squalidus iniqui-

tate uictus est factus, tunc certē quod omnia ista perpetitur, abscissum ab ossibus sub carne neruisq̃ riget. Caro etiam à radicibus decidens nudos relinquit neruos, & falso obductos humore, & in fluenta sanguinis permanentis, morbos, quos supra diximus, numero etiam plures reddit. Graues quidem hæ corporibus passionēs: quæ uerò has præcedunt, admodum grauiōres. Quādo uidelicet os ob carnis crassitudinē respirationem nō habet sufficientem: ideoq̃ putredinis calore uexatum atq̃ restrictum, alimenta non suscipit, rursusq̃ ipsum in illam contrā decidit frigefactum. illa uerò in carnem, caro in sanguinem rursus delabitur. Vnde acriores superioribus morbi nascuntur. Extremum uerò omnium est, quando medullæ natura propter defectum aliquē aut excessum ægrotat. hinc enim omnium uehementissimī & ad mortem periculosissimī morbi proueniūt. tunc enim omnis compago corporis necessariō dissipatur.

Cum in his semper Plato de omnibus philosophiæ partibus cōmunem quandam tractationē tradat, hactenusq̃ de humani corporis natura, compositione, partibusq̃ differuerit: nunc causas morborū breuiter adiicit, ne huic sermoni de homine quicquam desit: præsertim cum in superioribus mortis generum mentionem faciens, illud, quod ex morbis eueniat, retulerit. Itaq̃ de causis morborum dicendum in sequentibus est. Sed antequam ipsam Platonis ea de re sententiam exponamus, æquum est, ut ex Galeno, alijsq̃ medicis, breuem morborū rationem proponamus, ad maiore huius libri intelligentiam. Morbus, ut Galeno placet, oblatio quædam est uel operationis, uel structure. Morborum autem genera uel simplicia sunt, uel composita. utraq̃ enim tot sunt, quot naturales corporis qualitates simplices, aut compositæ. Nam cum hominis corpus quatuor primis qualitatibus, calore frigore, siccitate, humore constetur, ex earumq̃ temperatione constet, quamdiu æquabilis earū temperatio seruetur, sanitas est: quamdiu alteratur, morbus. Quo nomine morborum simplicium quatuor sunt genera: aut ex nimio calore, aut magno frigore, aut siccitate multa, aut abundanti humore. E' nimio quidem calore quatuor rursus morborum cause oriuntur. Prima, cum immoderata exercitatioe quis fuerit usus, in totumq̃ corpus calor diffundatur: tunc enim febris nascitur. Secunda, cum ille cordis seruator per totum extenditur corpus, ex quo etiam gignitur febris.

bris. Tertia, cū ex humorū putredine in tumore aliquo calor accēditur, id quod febrim efficit. Quarta, ex astrictione partium, cum compressa cute, diffilari ea quæ prius solcbam, non possunt: unde uehemens quoque calo rexcitur. Iam uerò frigiditas immoderata plurimorum morborum causa est. aut enim sit ex corporis refrigeratione, aut ex alimentorum frigidorum copia, ex qua prauigignuntur humores: aut ex astrictione, cum corporis habitus magno frigore torpens comprimitur, ut in apoplexia: aut ex laxatiōe, cum partibus rarefactis, natiuus calor dissipatur. Præterea siccitas multos quoque morbos affert: ut cū aliquis multo magis diffilatur, quàm pro alimenti sumpti modo, aut cum cibis siccioribus utitur: aut si magna anxietate, uigilijsq; angatur: aut si rebus, quæ corpus multum exsiccent, utatur. Quinetiam ex humore alia morborum cause proficiscuntur, uel ex magna ciborum humectorum copia, uel ex molli, desidiosaq; uitæ ratione, magna uel animi tranquillitate, aut balnearū post cibum usu. Hæc sunt igitur simplicium morborū genera, quæ primis quatuor qualitatibus corporū respondēt. Sunt et morbi alij compositi, qualitatū earundem connexionibus respondentes: ut ē siccitate ac calore, flaua bilis, et phrenesis: ex siccitate ac frigiditate, ut bilis atra: ex humore, ac frigiditate, ut morbi pituitosi. Atq; eodem modo illæ quatuor qualitates in corpore uariæ, diuersos gignunt morbos. Sed ne omnia prolixius persequamur, ad Platonis sententiā explicandam ueniamus, quæ non multum ab Hippocratis, Galenicisq; differt: imò potius Galenus Platonem maximè uidetur secutus. Igitur morborum causas explicaturus Plato, communem omnium corporum constitutionem prius exponit, quo pacto animalium corpora quatuor primarum qualitatū connexionē cōstētē, nimirum calore, humore, frigore, siccitate: aut quo modo ex harum temperatione, aut intemperie sanitas, morbusq; nascatur. Itaque causas inquit morborū obscuras non esse, si quis corporum constitutionem ex primis qualitatibus consideret. Quod etiam Galenus lib. 8. de Placit. Hippocratis et Platonis referens, hanc inquit sententiā ab Hippocrate Platonem mutuatum esse. Quatuor enim illarum qualitatū rectam constitutionem sanitatis esse causam, et ab Hippocrate in lib. de Natura humana, et à Platone hic dici, manifestum est. Cum enim qualitates eadem contrariæ inter se sint, temperatioq; illarum saluti sit necessaria, si intemperies aliqua suboritur, contrariarum ipsarum alterationem effici necesse est. ideoq; due potissimum morborum cause à Platone hic traduntur, confirmanturq; à Galeno in eo libro, et ab Hippocrate in lib. de Natura humana: nimirum excessus, et defectus. Hæc enim duo rectam qualitatū temperiem labefactant: ut si uel calor, uel frigiditas, uel alia quedam qualitas superior sit, aut imbecillis admodum. Tunc enim uel alias superat, uel perturbat e-

tiam, aut ab illis rursus superatur. His quoque alias morborum causas adiungit Plato, ut Alcinoüs explicat, uidelicet humorum mutationes in loca naturæ suæ minimè congrua. mutatio siquidem nocere solet plerunq; ut ex frigido in calidum, aut ediuersio. Quod etiam Plato in his uerbis declarans ait:

Horum non naturalis excessus, defectusq; et ex loco proprio in alienum translatio, per quam quod si conueniens est, non tenent, intestinam quandam seditionem et morbos inferunt.) In quo Alcinoüs minimè quidem ait Platonem per μεταστροφην illam seu translationem, ab uno loco in alium commigrationem aliquam intelligere: sed qualitatū ipsarum uicissitudinem, et alterationem morborum. cum id quod erat in sua naturali temperatiōe, ob alterationem qualitatū transmutatur, siquidem qualitatū intemperies disidium, et ex proprijs locis ac naturis mutationem parit. Quod Galenus in eodem libro 8. de Placit. confirmat, cum translationem inquit qualitatū perturbare corporis sanitatem: ut si thoracis, aut asperæ arteriæ instrumentis sanguis cōcidat, aut humor alius rectam ipsorum sanitatem aboleat. Itaq; non modò excessus, defectusq; ipsarum qualitatū inter se morborum cause sunt, sed translatio etiam unius humoris in aliū: hoc est, intemperies aut corporis totius aut partis alicuius. hæc enim, morbos sepe afferunt, ut Galen. lib. 7. de methodo medendi ait, confirmatq; in his uerbis Plato: Quando enim præter naturam unumquodq; sit, aut transferatur, calefcunt utiq; quæ antea frigebant, arida madent, et cetera omnia similiter permutantur.) id est, Si temperata corporis constitutio perturbetur, muteturq; in aliam, morbi uarij gignuntur: ut si calida frigidaue corporis cōstitutio natura sua sit, muteturq; in contrarias qualitates, mutatio illa morbum parit. In quo tamen minimè putes, calidum, frigidum uel corpus hic dici, quòd aliarum qualitatū expers sit: sed quòd in eius naturali temperatione eiusmodi aliqua qualitas excellat, ut Galenus libro 2. de Temperament. refert. Cum itaq; intemperies ista morbos efficiat, si adeò grauis eadem non sit, ut actio nem omnem corporis impediatur, aliquid necessariò remanet in ipso corpore, quòd totum conseruet. nulum enim animal ex uitata temperatione interire potest, quamuis agrotet, nisi temperatio prorsus dissoluitur. Qua de causa Plato ipse ait: Solummodo uerò idem aliquid sibi met secundum idem atq; similiter et debita proportionē seruata accedens, uel recedens, permittet sibi ipsi sospes integrūq; manere.) id est, Accessus, recessus uel intemperiei morbum gignit, sed omnino tamen non perimit, siquidem accessio illa parit solum morbos, non ipsum temperamentum omnino tollit. Quod Plato sic ait: Quod autem oberrat succedendo seu decedendo, mutationes uarias, morbos, corruptiōes infinitas inducit.) id est, Cum animal idcirco sanum dicatur, quòd debito suo temperamento partiumq; conformatione constet, si intem-

intemperies aliqua naturali cōstitutiōi accedat, uel de-
cedat ex tēperatiōe naturali quicquā, morbi gignun-
tur. Cum hæc ita sint de præcipuis morborū causis à
Platone hic tradita, antequā ad reliquas causas pro-
grediamur, illud interim explicādū uidetur, cur hic
corpus ex igne, terra, aere, aqua cōponi dicat, cū ex
eorū potius qualitatib. cōstet. Quia in re magna est
inter philosophos doctissimos disceptatio, nū elemē-
ta actu insint corporibus, an potestate solum. cui sa-
nè questioni paucis nos satisfaciamus oportet. Plato
atq; Aristoteles lib. 3. de Cœlo, elementa dicunt mix-
tis corporibus facultate esse, non actu: hoc est, uires
ipsorum elementorum corporibus inesse, non tamen
ipsamet corpora. sic enim quatuor essent corpora in
uno quodam mixto. cui etiam sententiæ Galenus li-
bro 8. de Placitis Hippocratis & Platonis, atq; A-
uicenna consentiunt. Alij tamen sese his obijciunt,
negantq; mixta corpora ex qualitatibus solum ele-
mentorum composita esse, quin formas itidem illorū
in se habeant. Quia quidem in sententia ualidæ ratio-
nes sunt pro utraq; parte, quas hoc loco cōsultò præ-
termittimus: satis enim sit, Platonis sententiam expo-
suisse. is etenim cum Hippocrate, Galeno, & Aristo-
tele, uires elementorum mixtis tribuit corporibus,
non eorum formas: quod ex eius uerbis patet, cū cor-
pus, inquit, nostrum triangulis, hoc est qualitatibus
elementorum constitui. Ex secundis quoq; com-
positionibus secundum naturam constitutis, secunda
bonæ uel malæ uoletudinis coniectura id quærenti
cuiq; dabitur. Primam morborum causam in superi-
oribus Plato docuit, eamq; ex defectu, excessu uel
aut ex humorum mutatione intemperieq; oriri di-
xit, nunc rursus secundam addit, cum partiū cognata-
rum seu similium mutua regeneratio sit: ut si ex
carne sanguis, aut bilis, pituita uel fiat. hæc enim om-
nia, teste Alcino, putrefactionis & liquationis
indicia sunt: ideoq; in his Plato post simplicium mor-
borum causas generatim explicatas, composita quo-
que genera subiungit. Nam quæ suprā de primo mor-
bi genere retulit, ad simplices morbos, qui simplici-
bus corporum qualitatibus adueniunt, pertinent:
quæ uerò deinceps dicuntur, ad morbos partium si-
miliarium, compositarumq; quatuor ex humoribus
spectant. Quod ex ipsis Platonis uerbis subiectis ap-
paret, cum dicat: Ex secundis quoq; compositio-
nibus. Id est, Secunda morborum causa est, si par-
tium similium corporis uitium aliquod sit. Nam
cum partes similes numero, figura, situ, quantita-
te naturali constant, nec aberrant, sanitatis indicium
est: cum uerò aliquid ex ijs deest, egrotatio animan-
tis oritur. tunc enim naturalis actio afficitur, et suo
munere uti nequit. Vnde propriū morbi genus par-
tium similium est intemperies, ut auctor est Gale-
nus lib. 2. de Methodo medendi: siquidem uitium,
aut integritas partium similium, eodem teste in li-
bris de Constitutione artis medicæ, est in elemento-
rum moderatione. Quo fit, ut octo sint partium ca-

rundem intemperies, secundum nudas qualitates,
ex quibus illæ componuntur: de quibus idem Gale-
nus lib. 2. de methodo Medendi. Igitur cum in his e-
tiam partibus multæ morborum causæ insint, ut in
ipsa corporis temperie, ac humorum constitutione,
morbi genera à Platone hic tradita doceamus. Cum
enim medulla ex illis, & os, & caro, & nerui consti-
terint, sanguis præterea ex iisdem quamuis alio mo-
do concreuerit. Quoniam in superioribus de par-
tium similium morbis agere cœpit, eorundem ge-
nera subiungit, quemadmodum & de humorum in-
temperie primò retulit. Quam ob causam ait, quæ-
admodum superiora cōtingunt, id est, ut uarij mor-
bi ex corporis intemperie nascuntur, ita etiam ex
partium similium uitio: siquidem partes quoq; si-
miliares ex humoribus illis primò constant, ut Gale-
nus, mediciq; alij docent. Nam pars similis dici-
tur, quæ in partes sui generis multas diuidi potest: ut
sanguinis partes omnes sanguis sunt, itemq; ossis, &
reli quarum. Quo nomine partes similes primū
ex humoribus quatuor componuntur, ex ipsis uerò
instrumentariæ particule, ex his demum totum cor-
pus. Cum ergo Plato inquit, medulla ex illis, &
os, & caro, & nerui constant: partium similium
compositionem ex humoribus intelligit. Nam caro,
sanguis, neruus, medulla, eiusmodiq; aliæ particule
similiares sunt: harum autem morborum causæ simi-
les causis intemperiei humorum dicuntur, quemad-
modum cum Galeno antea retulimus. tot enim par-
tium similium morbi sunt, quot intemperies humo-
rum, ex quibus constant: idq; si humorum affluxus
fiat. tunc enim continui solutio fit, quæ magna mor-
bi causa est, præsertim in partibus similibus, ut
Galenus de Methodo medendi refert. Atqui hi sunt
morbi maximi & grauiissimi, de quibus Plato hic lo-
quitur. Quando uidelicet ordine cōuerso ista ex
se inuicem fiunt, proculdubio corrumpuntur. Hæc
omnia ad partium similium morbos pertinet. quā-
do enim earum ordo in animalibus perturbatur, ui-
tiaturq; temperatio, morbi uarij nascuntur. Quod
Plato latius in his uerbis declarat: Nempe secun-
dum naturā carnes & nerui ex sanguine generantur:
nerui quidem à uillis & ligamentis propter cognationem,
carnes autem à coagulatione quadam eius
quod secretum à uillis & ligamentis concreuit. id
est, Naturalis quidem generatio partium corporis
est, ut singula ex similibus suis fiant, ut sanguis ex
cibo, ex sanguine uerò partes omnes: quanquam a-
liæ plus habeat sanguinis, quàm aliæ, ut caro: aliæq;
minus, ut neruus, q̄ ex sanguine pituitoso gignitur.
Cum itaq; huiusmodi generationis ordo seruatur, se-
cundum naturam id fit, animalq; sanum est: cum ue-
ro perturbatur, morbi uarij gignuntur. Sed quo-
niam harum partium corporis, nimirum carnis, ner-
ui, aliarumq; generationis mentio incidit, idq; antea
breuiter docuimus, eadem quoq; hic rursus explicē-
tur, singulorumq; generationes tradantur. Galenus

lib. 1. de Semine, foetū inquit ex semine masculi cum foemineo semine permixto gigni, itemq; partes similes omnes, ut sanguinem, carnem, ossa, ac reliqua. Et caro quidem carnosaq; omnia ex sanguine fiunt, membranosa omnia ex semine, ossa ex uiscosa terreaque parte: uilli demū, ac ligamenta ex glutinosa portione. Eadem enim in modum araneae telae coacta, musculos efficiunt. itaq; partes hae omnes ex semine fiunt, Galeno auctore. Quod si uerò Aristoteli credimus, ex sanguine gignuntur, ex quo ille partes omnes oriri censet: quanquam eidem Galenus lib. 1. de Semine repugnet. cuius tamen rei disquisitionem medicis relinquamus. Hic igitur Plato et Aristoteles, partes similes ex sanguine fieri putant, sed ita, ut nerui ex uillis et ligamentis gignantur, caro uerò ex uiscosa illa sanguinis parte, quae in uillorum, ligamentorumq; generatione relicta est. Quae quidem sententia Medicis non probatur, quaeq; à Galeno in eo libro refellitur. Quod rursus à neruis et carnibus emanat glutinosum et pingue, simul quidem carnem et plurimum ad ossium naturam, ac etiam os ipsum, medullam circumdans, nutriendo exauget. Hec etiam ad naturalem partium similiarum ac dissimilarium generationem spectant. docet enim in ijs, quo pacto medulla nutriatur, aut cuiusmodi alimentum idem sit. Quod quamuis obscuris uerbis significet, hoc solum indicare uult, medullam alimentum sumere ex superfluo alimento, quod ad ossa defertur, postquam partes omnes corporis ex debito suo alimento nutritae sunt: perq; ossium meatus intrare, ut medulla ipsa simili suo augeatur, et conferuetur. id quod Plato clarius significans, Quod rursus, inquit, per ossium crassitudinem stillat, purissimum genus triangulorum, lenissimumq; pinguedineq; abundantissimū, dum defluit ex ossibus, atq; delabitur, medullam irrigat. Id est, idem illud medullae alimentum, quod pinguius est sanguine, per ossium poros intrat, illamq; alit. Vocatur autem hic à Platone alimentum illud genus triangulorum, ob nimiam simplicitatem, quemadmodum primae qualitates elementorum trianguli ab eodem dicuntur siquidem alimentum ipsum corporis, antequam in aliti substantiam mutetur, quasi prima quaedam qualitas est. Quatenus igitur singula hunc in modum fiunt, bona ualitudine seruantur. Quemadmodum contraria omnia naturae nostrae morbos afferre solent, sic etiam similia sanitatem inducunt. itaq; cum alimenti corporei recta concoctio, ac distributio fit, singulaq; partes ex debito sibi alimento sustentantur, partesq; similes et dissimiles temperiem naturae suae accommodata seruant, sanitas, ut Plato hic docet, medicisq; affirmant, conseruatur: contra uerò, cum aliqua suboritur intemperies, quae corporeae temperationis statum labefactet, morbi uarij nascuntur. qui prout ipsa temperies fuerit, ita solent uariari. Atqui hoc est sanitatis commune principium à Platone in his traditū. Iam causas morborum generales deinceps explicabit. Nam quo

ties eliquata caro tabe rursus transmittit in uenas, sanguis una cum spiritu multus ac uariis. Pleraq; morborum causa ex humorum intemperie nascitur, ut Galenus in lib. de Causis morborum prolixè docet. Nam cum singula corpora temperationem suam à natura constitutam habeant, cuiuscumq; modi illa sit, eadem perturbata, uel ex alimenti putredine, uel alia quauis causa, fit, ut aliquis prauus humor in corpore redundet, qui morbum afferat: ut sanguis, uel atra bilis, uel flaua, uel pituita. Itaq; humor ille redundans naturalem corporis temperiem uitare solet, cum magna ex parte putret, siue in corporis habitu, siue in ipsis uasis. Corruptis demum humoribus, sanguis etiam, qui corporis est alimentum, corrumpatur necesse est, dum illis admisceatur. Vnde cum idem sanguis per uniuersi corporis uenas ad alimentum suppeditandum debeat diffuere, ipseq; prauis humoribus sit admixtus, corruptionem toti corpori transfundat, morbosq; grauissimos afferat oportet. Hanc ergo prauorum humorum mixtionem cum sanguine faciliā intelligens Plato, ait: Sanguis una cum spiritu multus ac uariis in uenis, coloribus diuersis amaritudineq; et acidis salsisq; infectus saporibus, bilem, cruorem, pituitam gignit quamplurimam. Id est, cum aliquid putret aut in habitu corporis, aut in ipsis uasis, sanguis etiam qui in uenis cominetur, et ab spiritu arteriarum calido defertur per corpus, reliquis humoribus admisceatur. In quo considera, per sapores istos amaros, salsos et acidos, itemq; per colores diuersos, Platonē hic significare reliquos humores, qui sanguini commisceantur. Nam biliosus succus amarus est, itemq; flauus coloris: melancholia nigra est, et acidus: eodemq; modo salsa est pituita, colorisq; albuginei, cum uitatur. natura enim sua insipida est, et aquae similis, ut Galenus testatur. Quinetiam per carnem hanc eliquatam, quam Plato commemorat, ipsam humorum massam corruptam intellige: per sapores autem, succos illos quatuor, seu humores, quos diximus: per cruorem demum, id quod medici proprio nomine *ixwos* uocant. Aliud est enim *ixwos*, aliud uerò cruor. *ixwos* enim serum sanguinis significat apud medicos, quanquam in Aristotele Gaza uertat sanie, et hic Marsilius cruorem. Ex quo fit, ut multo aliter locus hic Platonis uertendus sit, quam est translatus. sic enim ille habet: *ὅταν γὰρ τὸ νομὸν σὰρξ, ἀνὰ πάλιν εἰς τὰς φλέβας τὸν τρυφερόν ἐστιν, τότε μετὰ τὸν σπύγματος αἷμα πολὺ τε, καὶ παντοδαπὸν, ἐν ταῖς φλέβαις ἡρόμασι καὶ πυκνότησι ποικιλλόμενον, ἐπὶ δὲ ὀφθαλμοῖς καὶ ἀλμυρῶς διασάμεσι, χολὰς τε καὶ* *ixwos* καὶ φλέγματα *ixwos* παντοία. id est. Cum putrefacta caro in uenas rursus putredinem transmittit, tunc sanguis una cum spiritu multus ac uariis in uenis coloribus ac densitatibus uariatur. idemq; una cum acidis et salsis facultatibus nimirum bilem, seroq; sanguinis quamplurimam gignit pituitam. itaq; τρυφερόν καὶ τὸν τρυφερόν, sed corruptionem: nec τρυφερόν liquatam, sed corruptam uertere debemus: item quae colores

ores illos, & densitates seu *condensitates*, humorum
varietatem, intemperiemq; significare oportet.

Quod Plato idem magis declarat, cum sanguinem
eundem inquit acidis salisque facultatibus seu *duobus*
partibus, hoc est succis eiusmodi permisceri, perq; to-
tum corpus in uenas diffluere, uehente illum spi-
ritu arteriarum, qui sanguinem diffluere facit.

Hoc igitur modo Platonis uerba explicanda esse ni-
demur, quando ea est ipsorum difficultas, ut ne me-
dicis quidem quantumuis peritissimis recte intelli-
gantur, sed in ijs sepe diuinandum sit, ut uerum sen-
sum assequi ualeamus. Quae quidem omnia rur-
sus sic genita & corrupta, sanguinem ipsum in pri-
mis inspicunt, & ipsa nullum nutrimentum adhiben-
tia corpori, feruntur passim per uenas, nullo prorsus
naturalis circuitus ordine obseruato.) Quae su-
perius de humorum corruptione Plato dixit, hic
uidetur magis declarare. ait enim, corruptos humo-
res sanguinem, cui sunt admixti, uitare: qui quidem

initiatu & impurus factus, non modo partes corpo-
ris alere nequit, imò potius per corpus errans, salu-
tem labefaciat. tunc enim consentaneum cuiq; parti
alimenti tribuere non potest, cum ijdem humores
corrupti sint, ipseq; debeat purus esse, ut alimentu sit
corpori. Vnde quemadmodum bilis utraq; Galeno
auctore in commene. in lib. de Viſtus ratione, neque
decoqui, neq; in benignum alimentu reduci potest:

sic etiam in hoc loco idem cum Platone uidetur di-
cendum, de sanguine ac pituita. Quae duo cum per-
mixta esse debeant ad corporis alimentu uenis di-
stribuendum, si proprium ac natium temperamen-
tum amiserint, in nullum alimentu corpori aptum
ueri posse uidentur: sed per corpus errare, mor-
bumq; asserre, nisi exinuantur. tunc enim illa na-
turalis sui circuitus ordinem non seruant, hoc est,
non distribuunt debitum alimentu suis partibus na-
turali ordine: sed propter corruptionem contra ua-
gantur, nec parti alicui adherent alimentu causa.

Quod Plato in his uerbis declarat: Inimica sane
ista inter se sunt, propterea quòd nullum sui sibi in-
uicem praebent usum.) Id est, Cum in illa humorum
corruptione naturalis temperatio corporis serua-
ri prorsus nequeat, neq; adsit maior sanguinis pars
in sua natura, quam aliorum humorum, ut intemperie
ex parte benignitate sua corrigat: tunc corruptio il-
la naturae nostrae inimica est, nec temperies seruari
potest. Siquidem nullum est tam pestilens morbi ge-
nus, in quo humor ullus temperiem aliquam non ser-
uet. nam si omnes ex aequo uitiatu sint, corpus quo-
que dissoluatur necesse est. Quo fit, ut in morbis nec

humores planè corruptantur, quin aliquis integer
maneat: aut si omnes uitiatu sint, nec eorum aliquis
malitiam aliorum quodammodo benignitate sua cor-
rigat, animal dissoluatur. malitia enim omnium hu-
morum temperiem planè perturbat, atq; ita homo
perit, ut in his Plato testatur: Naturali praeterea
corporis habitudini, suoq; in statu perseveranti dif-

soluendo, & liquefacièdo plurimum aduersatur.)

Id est, humorum magna corruptio, magnam uim dis-
soluendi corporis habitum habet, nisi aliquis incor-
ruptus humor dissolutioni resistat. Portio namq;
carnis uetustissima cum liqueſcit, ad digestionem, co-
ctionemq; ineptissima est.) In his omnib. Plato de
humorum corruptione loquitur, dum causas morbo-
rum communes explicare uult. Vnde cum ait, por-
tionem carnis uetustissimam calore exustam conco-
qui non posse: melancholicum succum intellige, Gale-
ni sententia, ineptissimum ad coctionem esse: nec in
alimentu uerti, si putrescat. tunc enim nulli cor-
poris partu adherere potest: ideoq; uagans morbum
aſſert. Melancholiam autem hoc loco portionem
carnis appellat uetustissimam, quoniam ex illa qua-
tuor humorum miscella, qua corpus alitur, quamq;
similitudine seu proportionem carnem uocat, melanco-
liae pessimus succus est, et quasi fex: quae si putrescat,
in alimentu uerti nequit, nec decoqui potest, ac pro-
pter ueterem exustionem nigrescit: id est, tunc maxi-
mè putret, cum adurit: proindeq; atrii coloris fit,
atq; atra bilis nominatur. Cum ergo, inter alias
morborum causas Plato hanc, quae gignitur ex atra
bilis inuſtione, recenscat, eaq; potissima sit, ad mor-
bos multos pariendos, certa ratio morborum ex ea
natorum tradi non potest. Quo nomine Platonis
uerba exponamus, quae in his omnibus uidentur ex-
plicanda, propter magnam difficultatem: Por-
tio namq; carnis uetustissima cum liqueſcit.) Id est,

cum ex illa quatuor humorum ad alimentu in cor-
pore confectorum mixtione, & quasi carne in pote-
state, terreſtris, crassaq; pars, uidelicet bilis atra pu-
tret: id enim significat uerbum *tanu*, non autem li-
queſcit. Ad digestionem, concoctionemq; ine-
ptissima propter ueterem exustionem nigrescit.) Hoc
est, eadem atra bilis decoqui, uel in alimentu con-
ueri nequit: quemadmodum aut sanguis, aut pituita.

Itaq; bilis atra natura sua sanguini crasso & nigro
similis est, eademq; acidum & acerbum habet sapo-
rem, ut refert Galenus. at cum illa ex flaua bili gi-
gnitur, nigerrima fit, longeq; perniciosissima. Quia
uero contabuit, penitusq; exesa est, amaritudinem con-
trahit ceteris omnib. corporis partibus nondum con-
taminatis aduersam.) Id est, quia ipsa bilis atra om-
nino putruit, ac praeter naturam gignitur, amara fit:
ideoq; ceteris partibus, id est humoribus nondum affe-
ctis aut uitatis nocet. In quo tamen minime intelli-
gas, colore istum amarum tribui melancholiae iam fa-
cte: nec enim hic proprius est illius, sed flauae bilis.

eade enim acida potius est, & salsa. Sed quia ex fla-
ua bili iam adusta, melancholia gigni dicitur à Pla-
tone, amari saporis initio esse fertur, cum tamè sapo-
rem eundem amittat, ut in his magis declarat. Et tunc
quidem pro amaritudine niger ipse color acerbita-
tem & acrimoniam habet, eo iam quòd amarum fue-
rat, magis attenuato.) Id est, cum iam flaua bilis ca-
lore exusta in melancholiam mutatur, amaritudinem

priorem amittit, acidâq; fit, ut auctor est Galenus: cuius rei causa est, quod calor exustionis amaritudinem flauæ bilis extenuauit, quo imminuto, saporem alium contraxit. Atqui hæc omnia Platonis uerba ad melancholiæ naturâ explicandâ pertinent, de qua Galenus in lib. de Atra bili. & Hippocrates in libello de Natura humana prolixius. Tum uerò amaritudo rursus sanguine tincta, colorem habet rubrum, sed nigro huic admixto felleum.) Hic de nullo priuato humore loqui Plato uidetur, sed de sanguinis mixtione, cum alijs humoribus. ait enim; sanguinē, qui rubri coloris est, amaritudini, hoc est flauæ bili misceri: eidemq; nigrū colorem, id est melancholicum succum adiungi, ita ut cum ij omnes humores illi cōmixti sint, idem sanguis purus non maneat, sed χολώδες, id est biliosus, ut idem ait. Ex quo diuersa morborum genera nascuntur: calor enim flauæ bilis sanguinem accendit. Nec tamen ita intelligas, sanguinem esse debere purum ad corporis alimentum, ut alijs quoq; humores admixti ei non sint. necesse est enim, quatuor omnes humores in sanguine commisceri: sed quia humor aliquis nimius & redundans eidem coniungitur, qui illius uitiet temperiem, ut bilis, aut melancholia: quæ tamen si magna copia sanguini commisceantur, morbum afferunt.

Præterea flauus color cū amaritudine coit, quando ob ignis flammam noua caro liquefit.) Hæc omnia Platoni dicta esse uidentur ad quatuor humorū explicationem. ideoq; post atræ bilis naturâ expositam, quoniam illam ex flaua gigni propter exustionem dixit, originem eiusdem flauæ subiungit, cum ait: Portionem carnis nouam calore putrefactam, amarū saporem cum flauo colore mixtum contrahere.) Quæ quidem uerba ad flauæ bilis generationē explicandam tendere uidentur. Flaua autem bilis, ut Galenus docet, gignitur ex leuissima, calidissimaq; alimentī parte, ideoq; sanguini innata: estq; ob calorem flaua, amariq; saporis. Vnde cum Plato hic ait, flauum colorem cum amaritudine coire, quando caro noua liquefit ob ignis flammam: nihil aliud sibi uult, quàm bilem flauam, quæ saporis amari est, gigni ex leuissima illa parte decocti alimentī, cum in ipsa humorum miscella aliquid propter nimium calorem & siccitatem putrefit. Itaq; caro noua obscure dicitur hic, portio chyli: quæ cum in alimentum uerti deberet, putrefit in hepate, nimia siccitate & calore. Hic autem illud liquefit, putrefit, uerti debet: uti antea monuimus. Et nomen quidem omnibus his commune bilem imposuit uel medicus aliquis, uel certè eo ingenio præditus quispiam.) Cum de bilis putrefactione dicere cœpisset Plato, formas illius subiungit: quas antequam explicet, communi ait nomine succum illum calidum & siccum χολύς, id est bilem uocari: illudq; nomen à medico quodam, cuius nomen subicit, impositum esse. Per medicū autem istum possumus Hippocratem intelligere. hic enim in lib. de Natura humana, cum de quatuor hu-

moribus loquitur, multa de bile refert. Ex ipso uerò Hippocrate Platone multa sumpsisse, inquit Galenus in lib. de utriusq; placitis. Sed cum nomen hoc bilis commune sit multis illius formis, singulas nos hic explicemus, quas & Plato uidetur in his attingere. Galenus in lib. de Atra bile, quatuor flauæ bilis genera recenset: uitellinā, porraceam, eruginosam, ac bilem isatidis. Hæc formæ pro caloris & siccitatis ratione mutantur. nam cum bilis natura sua calida & siccata sit, pallidiq; coloris, si magis incalascet, flauior coloris fit. quod si etiā tenuis eius humor præ nimio calore in aerem dissipetur, uitellina propter eius coloris similitudinem fit: ut præsina etiam, quæ medicis uenenosa dicitur. His adiungitur porracea, ob porri coloris similitudinē sic nominata, quæ in uentriculo potissimum gignitur. Atqui hæc bilis genera præter naturam sunt. uera enim bilis, quæ in iecore gignitur, flaua est, atq; in fellis uescā post concoctionem deriuatur, relictā subtiliori sui parte unā cum sanguine, ut ceteris humoribus aditum aperiat, & in partes corporis reconditisimas eos insinuet. Hanc ergo bilis diuersitatē Plato significās ait, Quæ uerò bilis species appellatur, pro colorum uarietate rationem singulis propriam acceperunt.) id est, formæ diuersæ bilis gignuntur, pro inflammationis uarietate: ideoq; mutant colores, et ex eorū differentia sortiuntur diuersa nomina. Cruor præterea, qui sanguinis residuum et defluxus est, lenis est, ac mitis.) Quoniam humorum omnium mentionem Plato facit, ac non solum atram bilem, sed flauam etiam, & earum putrefactiones docuit: nunc reliquos humores subiungit, primoq; serū sanguinis, seu pituitam. Sed antequam de his dicamus, admonendi lectores sunt, χυμός nomen non significare cruorem, ut uult Marcellus: sed serum sanguinis, uel pituitosum quendam humorem sanguini admixtum in ipsis uenis, qui hanc uebit, quiq; priuato nomine ichor medicis dicitur. Hæc tamen ad nominis significationem dicta sint: nunc ad rem explicandā ueniamus. Serum quoddam urine simile curauit natura cum humoribus gigni, ut humorum eorundem crassities non obstarat, quo minus animantis corpus aleretur, quemadmodum in libris de Usu partium refert Galenus. Quamuis et ipse in eo loco dicat, panisissimum, aut nullum ferè in animali reperiri, nisi cum affectione laborat. Itaq; serum idem nihil est aliud, quàm aquosa quedā sanguinis pars lenis, quæ sanguini admixta, per uenas ipsum deducit, fluereq; facilius facit. Quod etiam Plato in his uerbis indicat, cum sanguinis residuum, defluxumq; lenem ac mitem illud uocat. natura enim sua serum mite est, & aquosum. At cum idem calore bilis nimio inflammatur, eidemq; ac melancholiæ adiungitur, agreste tunc fit, teste Platone: id est, naturæ suæ lenitudinem amittit, morbosq; gignit. nec enim debito suo munere uehendi sanguinem utitur. Vnde cum sepori salso propter calorem miscetur, acida pituita uocatur

uocatur à Platone, quando ipsum natura sua pituita simile est, dum sanguinem diuehit. Hinc fit, ut cum pituita naturalis est, gignatur frigida et humida, praesertim è cibus pituitosis; idq; in uentriculo, ut auctor est Galenus: ac tunc naturalē suam uim retinet, alterationeq; potius indiget, quā uacuatione. Pituita enim facile in sanguinem uerti potest, ut medici tradunt, nisi sit putrefacta, ut cum habet saporē sal-sagineum. humores enim falsi morbum afferunt, si Galeno credimus in lib. de Atra bile. Ergo pituita cum uim suam naturalē retinet, insipida est: alterata tamen, uel dulcis est, uel salsa, uel gypsea. Sed cum hic de salsa pituita loquimur, uitiatam intelligere oportet. Saepè uerò tenerioris, recentisq; carnis portio quaedam unā cum aere obliquecit. Cum generales morborū causas explicare uelit Plato, atq; haecenus de humorum alterationibus dixerit, singulorum iam morborum cuiq; humori respondentium tractationē exponit, in primisq; à cutaneis affectionibus exorditur: quae cum multas habeant apud medicos originis suae causas, difficile est inuenire, quid in his Plato sibi uelit. Sed hoc in loco morbum aliquem similem exanthematum, quae uulgaribus medicis uariolae dicuntur, significare uidetur. nam et in illis quae magis pituitosa sunt, ampullas excitant succo eiusmodi repletas. Verum eorum sanè exanthematum uera generatio ex sanguinis effervescencia fit potius, quā, ut ait Plato, propter mixtionem portionis sanguinis cū seroso humore. Ergo portionem carnis tenuioris, ac recentis miscellam quatuor humorum in his quoq; appellat. Cum igitur ampulle illae, quae diximus, exanthematum similes gignantur, inter cutem, initio propter minorem defluentis in eas humoris copiam paruae sunt: ideoq; Plato propter paruitatem uideri eas posse negat. postea uerò cum intumescant maiori humoris defluxu, maiores fiunt, et ob humorem pituitosum albi coloris redduntur. Omnem hanc tenuioris carnis eliquationem cum spiritu factam, quae ex humiditate uento circumfusa sit. Oedematum generationem uidetur hic Plato docere. nam oedemata tumores quidam sunt ex pituita generati. Quicumque autem tumores ex pituita defluxu generantur, oedemata communi nomine uocantur, ut Galenus lib. 2. de Crisibus putat. Vnde ipse quoq; in lib. de Tumorib. praeter naturam gigni ait oedema ex tenuis pituitae defluxu: ideoq; definitur ab illo, laxeus quidam tumor ex pituita defluente natus, minimeq; dolens. Huiusmodi ergo tumores per hanc albam pituitam significare Plato uidetur: nisi fortè dicamus, leucoplegmatiam (ut medici uocant) hic indicari. Haec enim gignitur, auctore Galeno in lib. de Plenitudine, ex pituita redundante, perq; totum corpus exuberante. Est autem Leucoplegmatia, ut Cornel. Celsus lib. 3. testatur, species quaedam aquae inter cutē, siue hydropisis, cum inaequale est corpus tumoribus aliter atq; aliter per totum ipsum orientibus. Haec

alio nomine Anasarca medicis dicitur, cum totius corporis cutem alba quadam pituita infectam, et in tumorem plenam excitat. Cum igitur haec ita sim, nihil aliud intelligere Plato uult per hanc carnis tenerioris liquationem unā cum spiritu factam, quae tumescat, atq; alba pituita uocetur, quā humorē illū pituitosum, qui per corpus effunditur, et in cutis tumores excrescit. Hoc iā proposito, quae sit sudoris ac lachrymarū materia, in sequentibus exponit, cū ait: Recentis itē pituitae. cuius iam rei causam nos breuiter reddamus. Galenus lib. 10. de simplic. medicam. facult. sudores inquit, et urinam, ex humore bibito gigni: eo nimirum excelsa facta simul in corpore, et biliose substantiae nonnihil adeptos: sudores autem notam esse succorum, qui abundant in uniuerso corpore, lib. 4. de Sanitate tuenda idem refert. Ex quibus constat, et sudores, et lachrymas aquose substantiae esse, in seq; sal-sagineum quendam saporē ob cōcoctionē habere. sed hac de re latius Theophrastus in libro de Sudoribus disserit, qui eiusdem materiae facere sudores urinam et lachrymas uidetur, nisi quod in sudore maiorem caloris aggerentis et spiritus uim ponit, quod Galenus etiam testatur. Ergo eandem esse sudoris, lachrymarumq; materiā, Plato significans, sudorem ac lachrymas defluxum recentis pituitae uocat. Atq; haec omnia instrumēta morborum, quando scilicet sanguis non cibus et potionib. secundum naturam. Haecenus simplicium humorum affectiones, et morbos qui ex ijs nascuntur, edocuit: nunc demum concludens, seruandam inquit esse in humoribus proportionem, quantitātē, qualitatem, ac debitum modū, ut sanitas cōseruetur. Nam si plus sanguinis non sit quā pituitae, atq; huius maior pars quā flauae bilis, huius deniq; quā melancholiae, animal laborat. debent enim hi quatuor humores cum modum seruare, ut sanguinis, qui alimento est corpori, maior sit copia, quā aliorum: secundum locum teneat pituita, quae uerti facile in sanguinem potest: tertium flauae bilis, ultimum uerò atra. Igitur cum ex cibi sumpti alimento in humores ex iccoris cōcoctione conuerso, proportio huiusmodi nō seruatur, sed ex contrarijs praeter naturae leges, ut Plato ait, fiant, id est contrariū generationis suae modum habeant, morbi uarij nascuntur, pro uitiatum humoris natura, locoq; affecto. Quando igitur caro qualibet circūciditur, eiusq; radix permanet, dimidia est calamitatis potentia. Cum ex humorum putrefactione partes quoq; corporis aliquae putrescant, officium boni medici erit, ut non tam adhibeat expurgando corpori apta medicamenta, quā partes iam putridas abscindat, aut inurāt: ut in cancro mamillari, uel parte aliqua emortua, quam οφθαλμοειδὲς Graeci nominant, uidere est. Sed tamen cum in eiusmodi affectionibus, aut inuisione, aut abscissione mederi non possimus, quin radices carnis putrescentis, id est prauis humoribus putredinem efficientes parum remaneant, debeantq; purgatione aut alio

matum est, significat: à uerbo *σφαιλίζω*, hoc est inflammor, ut apud Galenum in libro de Tumoribus præter naturam. Iam uerò cum ait, os ipsum ita inflammatum putredine, non capere alimentum, sed in carnem ipsam resolui, & carnem iterum in sanguinem: ita uidetur intelligendum, ut post maximas inflammationes, partes aliquas corporis emori censeat: ut in gangrena euenit, de qua Galenus in superiori libro. Cui rei argumento illud est, quòd corruptio partium solidarum, ut osium, communi nomine *σφαιλίζω*, id est siccatio, Galeno dicitur. Ergo putrefacti humoris affluxu tumores excitati, ossa illa seu respirationis organa inflammant, & corrumpunt. Eadem uerò corrupta, debitum sibi alimentum capere non possunt, atq; ita frigescent, quoniã pars alimentum priuata emoritur: sicq; uitali calore destituta frigit, ut Plato inquit, quemadmodum in atrophia partis alicuius euenit. Qua de causa os contrà frigidum in carnem mutari dicitur à Platone: id est, cum prius inflammatione fuerit putrefactum, emoritur, ac frigescit calore alimenti deficiente, uertiturq; in carnem, id est in humores. nam capitur hoc loco caro pro humorum miscella, uti sepe monuimus. Quòd autem putrefacta ossa in humores desinant, & emolliantur, fieri non potest: nisi hic intelligamus, ex illis prauos humores effluere, præsertim ex ea parte que in alimentum uerti debebat. Extremum uerò omnium est, quando medulle natura propter defectum aliquem, aut excessum ægrotat. Singularum partium simularum morbos exponit, ut haec *σφαιλίζω* cepit facere, ideoq; medullæ affectiones exponit. Eadem autem diuersas suorum morborum causas habet, qui eo periculosiores sunt, quòd per canales cerebro communes fiunt, in eoq; maius uicæ periculum est. Nam cum ex medulla nervi omnes nascantur, ossaq; alimentum ex illa capiant, ipsa quidē affecta, morbum toti corporis cōpagini communē esse oportet. Vnde medulla, ut Celsus lib. 9. docet, discussa, nervi resolvuntur, distendunturq; ac sensus intercidit. Est enim ea quasi arboris truncus, Galeno auctore: quæ si uitiatur, corpus uniuersum periclitabitur.

Tertiam post hæc morborum speciem tripartitò diuidimus. Alius enim spiritu, alius pituita, alius bile creatur. Nam cum spiritus ipsius custos, & quasi penuarius, pulmo distillatione occlusus, libera & expedita spiracula nobis non exhibet, & hinc quidē nullus mittitur spiritus, illinc uerò plusquā oportet accipitur, tunc quæ respiratione & refrigerio carēt, marcescunt. Quod uerò accipitur nimium, per uenas ductū, eas contorquet, liquefacit corpus, eius in medio diaphragma, medium

scilicet interpositum occupans. hinc morbi admodum molesti, multo cum sudore innumerabiles oriuntur. Sæpe etiam intra corpus discreta et rarefacta carne innascitur spiritus: qui cum foras egredi nequeat, ipsedē quibus et ingreditur aliunde spiritus, doloribus afficit. Sed ingētib; tunc affligit doloribus, quādo neruis proximisq; uenulis circūsus hæc inflat, et ligamēta continuosq; nervos à tergo intēdit atq; detorquet. Qui sanè morbi ab ipsa intendente & instante passione tensiones, & à tergo contortiones cognominantur, quorum difficile remedium est. Subortæ enim febres, hos maximè soluūt. Alba uerò pituita propter ampullarum spiritum intus inclusa difficilis, ad exteriorē cutem delapsa, mitior: sed corpus uariis sordibus aspergit, albisq; inficit maculis, atq; morbos alios eiusmodi generat. Atra uerò bili permixta, cum diuissimos capitis meatus illabitur, dissipare eos solet, atq; turbare. Si dormientibus id contingat, mitior: sin uigilantibus, expulsu difficilior. Cum uerò sacra naturæ languor hic sit, haud absere sacer morbus est appellatus. Proinde pituita acida, atque item salsa, languorum omnium qui distillatione fiunt, origo est. quoniã uerò plurima loca illabitur, malas gignit ualeitudines plurimas. Quæcunque autem partes corporis tumescere dicuntur, à bilis incendio, et combustionē uexantur. quæ cum expirat extrinsecus, uarios æstus suo tumores producit: intrinsecus uerò cohibita, urentes edacesque morbos plurimos procreat. Tunc autem pessima est, quando pus sanguini mixtum, & uillorum ligaminumq; fila suo ex ordine dimouet. quæ ideo in sanguinem diducta & sparsa sunt, ut mediocrem tenuitatis & crassitudinis habitum consequatur: neque propter caliditatem, cum ipse sit lubricus, rarò ex corpore defluat: neque si crassior sit, ad motum fiat ineptior, atque ægre per uenas fluat & refluat. Ad hanc utique naturæ commoditatem, huiusmodi peropportuna sunt ligamenta: quæ si quis etiam mortuo, & ob frigū

gus rigente sanguine inuicem conducit & contrahat, reliquus sanguis omnis diffundit. Cum uero missa fuerint, illico cum præcedente frigore restringuntur. Quoniam uero hanc uim uilli huiusmodi in sanguinem habent, cum bilis natura sanguis uetus euaserit, ac rursus ex carnib. in hunc fuerit resoluta, calida & humida paulatim primam incidēs, uillorum illorum uī compressa restringitur. Compressa uero extincta; uiolenter, procellam intus tremoremq; ciet. Cæterum quando uberior affluit, calore proprio ligamenta exuperans, præterq; modum exæstians, feruat quidem: ac si continuē ad finem usq; idonea uictoriē sit, penetrat in medullas: adustisq; radicibus, inde animę uincula, quasi nauis funes resoluūt & amputat, liberamq; dimittit. Sed cum inferior adest, corpusq; liquecēs ei resistit, ipsa deuincta, aut per totum corpus excidit, aut per uenas in uentrem inferiorem superiorē uē cōpulsa, tanquam transfuga ex seditiosa ciuitate, sic effugit ē corpore, morbosq; eos inducit, quos Diarrhoeas uocant, & Dysenterias, id est fluxus uentris lubricos, fluxusq; mordaces, nec non multas generis eiusdem alias molestias infert. Quādo igitur corpus ignis potissimum excessu languet, continua febre laborat: quando uero aeris, quotidiana discretā. aquæ tertiana, propterea quod aqua seignior est quā ignis & aer: terræ demum excessu, quartana. Terra siquidem omnium tardissima, quarto gradu cum sit, temporis circuitu quarto feruet, deferuetq;: hinc quartanas inuehit febres, quæ uix seroq; sanantur. Atq; hoc quidem pacto corporis morbi contingunt.

Quoniam plerasq; morborum causas exponere Plato uult, nec tamen omnes exactē docuit, alia deinceps superioribus genera adijcit, ut rem exactius exponat. Quo nomine tertiam, inquit, morborum speciē tripartitō diuidimus: id est, ad ea quæ de morborum differentiis, aut causis dicturi sumus, tria superesse uidetur, partim uidelicet illa quæ in spiritu, partim quæ in pituita, partim deniq; quæ in bile sunt. nec enim in præcedentibus omnia morborum genera complexus est, quin alia quoq; restent, ut tria hæc à Platone relata. Quod autem nullam aliam pri-

uatam causam morborum docere hic seorsum à superioribus uelit, ex Timæi Locri uerbis, quæ Plato expressit, intelligemus. Sic enim ait ille: τὰς συντάξεις τῶν νόσων οὐτὶ πνεῦμα, χολὰ, φλέγμα, αἰσχρομακρὸν καὶ ῥέοντα εἰς χόρας ἀλλοτριὰς, ἢ τέρας ἐπιναίει. τέ κα γὰρ αὐτὶ παταλαμβάνοντα τὰν τῶν κατ' ἄνω χόραν, καὶ ἀπελάσαντα τὰ συγγενέα, ἰδίοντα καὶ νοῦντα τὰ σώματα, καὶ ἐς αὐτὰ τὰ αὐτὰ ἀναλαμβάνοντα. Hæc igitur sunt reliqua morborum genera à Platone explicanda, quæ nos ordine trademus, auctorem ipsum sequenti. Nam cum spiritus ipsius custos, et quasi penarius pulmo distillatione oclusus, libera & expedita spiracula nobis non exhibet. Primum morbi genus eorum quæ proposuit, in his traditur. hic enim de respirationis difficultate differit, de qua tamen si supra loquutus fuerit, obiter quidem illud expositum est. nunc uero ex instituto id tractatur. Respirationis ergo difficilis uariæ sunt causæ, morbiq; diuersi, ut Galen. in lib. de Difficili respiratione refert. nec enim una ratio omnes explicari possunt, cum sepe ex ardore, nonnunquam ex frigidityte internarum partium pectoris, interdū ob alias causas difficilis spiratio edatur. Quo nomine uerba ipsa Platonis sequamur: Cum spiritus, ait, custos, & quasi penarius pulmo distillatione oclusus, liberum spiraculū non exhibet: id est, cum propter humoris instillationem ad pulmones, difficilē respiramus, aut spiritus idem est admodum uehemens, uel exiguus, etiam partes quæ respiratione carent necessaria, marcescunt. Itaq; pulmo, ut antea diximus, respirationis est instrumentum: qui si distillatione prauī alī cuius humoris obstruatur, difficilē respirationem habet. Sed ad huius rei maiorem intelligentiam, primò, quid hæc distillatio, uel quod genus morbi sit, exponamus: secundò, quid per hunc spiritū nullum, maximum uel intelligat Plato, dicemus. Pulmones obstrui solent trifariam, uel ob multū humorem, uel ob illum nimis crassum, uel quod idem glutinosus sit, ut in libris de Methodo medendi docet Galenus. si autem humores obstruentes ex capitis distillatione oriri solēt. Vnde cum humor distillatus exulcerat pulmonē, & egrotus tussī pus excreat, phlegma dicitur, ut auctor est Celsus lib. 3. Hic tamen Plato cum de pulmonis distillatione loquitur, minimē uidetur singulare aliquod morbi genus attingere, sed communes quasdam difficilis respirationis causas asserre. Quæ, Galeno auctore lib. 2. de Difficili respiratione, oriri solent plerumq;, quod partes circa thoracem & pulmonem phlegmone aliquo solent obsideri, ideoq; paruus densusq; spiritus adducitur. Cum ergo distillatione prauī humoris pulmo sepe obstrui soleat, ac difficilē habeat respirationem, cur nam Plato ait: Hinc quidem nullus mittitur spiritus, illinc plusquam oportet accipitur? Certē, quia tam frequens nimiaq; respiratio, quā exigua & rara, affectionem instrumentorum respirationis significat. cum enim frequens & magna est, maior est

est calor, & inflammatio humoris affluens in pulmonem, & putrescentis: cum uero rara, & exigua, signū est, adeo esse obstructa organa respirationis, ut exiguus adducatur spiritus. Vtrumq; autem magni est morbi genus. Hinc fit etiam, ut partes corporis, quæ spiritu respirationis foueri debebant, ut cor ac ceteræ interiores, marcescant deficiente spiritu conuenienti, uel eodem nimio existente. Atqui huius rei causam manifestius Plato confirmans ait: Quādo uero accipitur nimium.) id est, cum nimium aeris adducitur, instrumenta spiritum attrahentia, ut pulmo & diaphragma, distenduntur multitudine. Nam si diaphragma, quod respirationis est instrumentum, nimio impulsu uehementis anhelitus intendatur, grauissimi gignuntur morbi. Eodem enim affecto, deliria phrenesisq; gignitur, ut lib. 5. de Locis affectis Galenus docet. Harum tamen affectionū origo ex pulmonis affectione procedit, eodemq; inflammato, angustia, difficultasq; respirandi una cum acuta febris fit. Vnde multum spiritum ex longis interuallis adductum deliria indicare, Hippocrates auctor est. Quo nomine uehementem hanc respirationem ex pulmonis inflammatione prouenientem Plato significās, ait: Quod uero accipitur nimium, per uenas tractum, eas contorquet.) Id est, si uehemens sit respiratio, spiritusq; multus, arteriæ distenduntur, hic enim uenas pro arterijs, uelut antea, capere uidetur. Liquefacitq; corpus, eius in medio diaphragma, medium scilicet interpositum occupans.) id est, affectis omnibus instrumentis respirationis, diaphragma etiam afficietur, difficilisq; fit et respiratio. quoniam diaphragma, sanum cum est, mollem efficit respirationem. At uero horum instrumentorum affectio tribus de causis fit, Galeno teste lib. 4. de Locis affectis, uel ob imbecillitatē uirium, uel propter meatuum spiritus angustiam, uel propter calorem cordis pulmonisq; uehementem. Ex quo fit, ut & totum pectus, & diaphragma in eius medio constitutū distendatur, & liquefiat: hoc est, afficiatur, quemadmodum Plato loquitur, atque ita respirationis difficultas nascatur. Hæc cum sit communis respirationis affectio, cur nam Plato inquit, magno cū sudore morbos innumerabiles & ex diaphragmatis affectione nasci? Nempe quia calor uehementissimus interna respirationis organa inflammans, respirationemq; magnam efficiens, sudorem excitat, propter conatum, & calorem: cui accedit etiam pectoris compressio, aut naturæ imbecillitas.

Sæpe etiam discreta, et rarefacta carne intra corpus, innascitur spiritus.) Propositas difficilis respirationis causas persequitur. ait enim, quod si caro interna corporis liquefiat, spiritus quidam intro nascitur: qui cum egredi foras nequeat, eundem dolorem asserat, quem adductus spiritus in pulmonem uitiatum soleat asferre. In quo intellige, aliam difficultis respirationis causam assignari, cum humor aliquis in partibus respirationis putrescat: qui si infla-

tum ueritatur, dum foras nititur prodire, magnam efficiat dolorem. Sed hic tamen obscuris uerbis Plato indicare uidetur, non minorem esse crassorum spirituum expirandorum, qui ex pulmone, partibusq; internis efflantur, difficultatē, quā illam quæ prouenit ex inspiratione spiritus eiusdem in organa respiratoria morbo affecta. Nam cum duplex sit pars respirationis potissima, una inspirandi aeris in pulmonem per arterias ad cordis refrigeriū, altera spirandorum spirituum crassorum ex interioribus partibus: si partes interiores uitiatæ sint, & humore aliquo corrupto inflammata, magnam difficultatē expirandi habebūt nec minor difficultas erit, cum externus aer ad intima organa laborantia inspiratur. Igitur per carnem istam discretam et rarefactam, ex qua nascitur spiritus, humorū affluxum, qui pulmonem obstruat, uel pus gignat, possumus intelligere, uelut antea carnē pro humoribus capimus: per spiritum autem hunc, crassos fuliginososq; halitus expiratos, quos expiratione efflatos magnus dolor sequatur. Sed ingenibus tunc affligit doloribus, quādo neruis, proximisq; uenulis circumfusus hæc inflat.) Causas doloris ob spiritum à pectore expiratum adducit. Suprà enim difficultatem respirationis ex partium internarum affectione proposuit: nunc eius rei causam adducit. itaq; causam, cur illa expirationis difficultas eueniat, esse inquit, quod nerui ac ligamēta instrumentorū respirationis intorqueantur: quæ cum sensum magnum habeant præter uim motionis, dolore quoq; asserunt. Ergo ad hoc explicandū, cur neruos à tergo inuendi dicantur, aut quo modo idem inuendantur, dicamus. Principiū esse multa respirationis organa, Galenus auctor est, ex quibus potissimū diaphragma medium pectoris locum habet. idem aut in medio sui neruosum est, circumcirca uero carnosum, idemq; costis annexū diuersis musculis, qui respirationi inseruiunt. Quinetiam nerui uarij, & ex collo, & ex spinæ medulla in pectus septumq; transversum porriguntur, quibus ut habentis uoluntas usa, musculos, musculisq; pectus, pulmonem, diaphragma, reliquaq; organa impellit ad efficiendā respirationem, ut idem Galenus in lib. de Usu respirationis docet. Cum igitur hæc sit instrumentorum respirationis ratio, si partes illæ affectæ sint, magnum dolorem sentient, quoniam illæ ipsæ neruosa sunt, nerui uero sensus ac motus sunt participes. Has ob causas neruorum ac musculorū siue ligamentorum affectiones Plato intelligens, excitari magnum dolorem ait, cum spiritus ille uehemens respirationis neruos, proximisq; uenas inflat, & ligamēta à tergo intorquet. Quasi diceret, neruos illos omnes, & musculos ex spinæ medulla nascentes intendi, torqueriq; ardore inflammationis, proindeq; magnum dolorem excitari: quia nimirū spiritus uehementis respirationis instrumenta illa inflat, proximisq; uenas, id est arterias. Qui sanè morbi ab ipsa intendente & inflante passione ten-

giones,

siones, &c.) Hæc sunt nomina præcedentium affectionum. nam tensiones communi nomine conuulsiones, seu spasmi dicuntur: comorisiones uero, spasmi formæ sunt. Quæ affectiones ab humore internas partes intendente, affectioneq; efficiente nascuntur. Eadem autem duobus nominibus à Platone generatim uocantur, *τέτανοι*, & *ἐπιειδόντοι*. quorum itidem nominum Galenus in lib. de Tremore & conuulsione meminit: qui, cum partes anteriores corporis intenduntur, affectionem illam *ἐπιειδόντοι* appellari ait: quando uero partes posteriores, *ἐπιειδόντοι*: cum deniq; latus utrunq; *τέτανοι*. Has autem conuulsiones nervorum uel ex nimio humore, uel ex causis exsiccantibus oriri, idem affirmat. Præterea morbum hunc difficile curari, & in his Plato, et in eo libro Galen. testatur. hic enim conuulsiones à siccitate ortas curari posse negat, quando eo morbo affecti citissime pereant: conuulsiones uero è plenitudine humoris, uel ex inflammatione natas, non aliter quam uacuatione curari posse dicit. Subortæ enim febres hos maximè solunt.) Causam, cur conuulsiones difficile curentur, reddidit: nunc quæ ratione illæ dissoluantur, exponit. ait enim, febres superuenientes morbum leuare: quia uidelicet calor febris copiam humoris absorbit. Vnde si febris spasmo superueniat, teste Hippocrate, melius est, quam si febris spasmi: siquidem calor consumit spasmi plenitudinem. Atqui hoc in una spasmi specie solet euenire. nam & illa quæ provenit è siccitate, deterri-
ma est: quoniam partium omnium humiditate consumpta gignitur. Alba uero pituita propter ampullarum spiritum intus inclusa difficilis.) Secunda species morborum diuisionis illius tripartita, quæ Plato retulit, hæc est. Hastenus enim de morbis, qui spiritu gignantur, dixit: deinceps de pituita dicendum erit. Itaq; cum hic morbos ex pituita nascentes commemorat, deq; ijs in præcedentibus loquutus fuerit, inde occasione sumpta, pituitam inquit propter ampullarum spiritum intus inclusam difficile esse, extra uero emissam leniorem, sed eam tamen corpus albis maculis inspicere. Ex quo intellige, pituitosum excrementum copiosius collectum, ut Galenus lib. 5. de Usu partium refert, uarios morbos gignere: ut ileon, lienterias, ac tenesmon. hi enim morbi uentrem affligere maximè solent. præter quos alia sunt formæ affectionum ex sola pituita euenientium: ut humor crudus & flatulentus, qui elixæ fabæ similis Galeno dicitur in lib. de Plenitudine. id eoq; Plato, intra corpus inquit collectam pituitam difficile esse propter ampullarum spiritum, hoc est inflationem, de qua supra diximus. At hic tamen uidendum est, quæ nam sint istæ albæ infectiones, quas gigni ex pituita foras emissa Plato inquit. Cornelius Celsus lib. 5. uiligines ait infectiones quasdam albas corporeæ cutis esse, quæ gignantur ex pituita. Huius tres ponit formas, *ἄλφρον*, *μελάνην*, & *λευκὴν*. Albus ab eo dicitur, cum albus color cuti

infusus, subasper, ac minimè continuus est. Melas ab illo differt colore, quoniam subniger est, & umbræ similis. Leuce demum, cum color albugineus altius descēdit, albosq; pilos similes lanugini habet. Huiusmodi ergo uiligines in his uerbis Plato uidetur intelligere. Atræ uero bili permixta cum diuissimos capitis meatus illabatur.) Aliud morbi genus ex pituita nascens hic ponitur, cum uidelicet illa melancholiæ cōmiscetur: quam grauissimos tunc morbos gignere inquit, ut epilepsiam, quam hoc loco uidetur indicare. Huius autem triplicem locum statuit Galenus, de quibus nos dicamus sigillatim. Primò quidem atra bilis per se sola, uel succo pituitoso mixta, si cerebri meatus seu uentriculos illabatur, epilepsiam, id est comitalem morbum efficit. Secundò, si in uentriculo colligatur, eundem gignit affectum, communicata stomachi affectione per insignes nervos sextæ coniugationis. Tertiò, si materia ulla ita putrescat in parte aliqua corporis, ut eum possit affectum communem cerebro facere, idem quoque efficit. Denique potissima huius morbi causa est, si Galeno credimus, quòd crassus aliquis humor meatuum cerebri spiritus obstruat: humor autem ille tum crassa pituita, tum crassa melancholia esse poterit. Vnde melancholici magna ex parte morbo comitali uexantur. Huiusmodi morbum alij caducum, alij epilepsiam uocant, quòd illo affecti prosternantur: dum humor idem crassus cerebri uentriculos obstruens, animales spiritus cohibet. Quare hunc morbum Plato intelligens, diuissimos capitis meatus atra bili cum pituita permixta turbari ait: quasi diceret, cerebri, in quo hominis diuissimæ pars, id est ratio inest, uentriculos humore illo crasso obstrui, atq; ita spiritus cohiberi. Si dormientibus.) Differentiam propositi morbi exponit, primòq; dormientibus mitiorē esse illum dicens, ephialtem seu incubum intelligit: quoniam hic lenior est, quam cum uigilantibus aduenit. Sed aduertendum est, idem esse apud medicos epilepsiam & ephialtem: præterquam quòd illa maiorem sequitur humoris copiam, hic uero minorem. Nam ephialtes, euaporatio quædam est in cerebrum excitata: quæ dormientem excitat, & quasi premit pondere: sed minus tamē sentitur, quam in uigilia. tunc enim sensus somno cōsopiti, affectionem adeo non sentiunt. Cum uero sacræ naturæ.) Etymologiam epilepsie adducit: redditq; causam, cur sacer morbus uocetur. ait enim sacrum morbum appellari, quoniam cerebrum, in quo sacra natura, id est rationalis anima, quæ diuinæ naturæ dicitur à Platone, eo morbo uexatur. Veruntamen cum hic sacrum morbum nominat epilepsiam Plato, minimè intelligas ignem illum sacrum, de quo Celsus lib. 5. est enim longè aliud: sed aliam quandam etymologiam à Platone traditam, quam medici non agnoscunt. Proinde pituita acida, atq; item salsa, languorū omnium, qui distillatione sunt, origo est.) Hæc est conclusio tractationis

stationis de pituita affectionibus, in qua testatur sal-
sam pituitam multorum esse morborum causam, præ-
ter illos quos retulit: siquidem pituita salsugo pu-
tredinē crassitiemq; Galeno auctore, significat. Sed
communiorem hic morborū ex pituita natorū cau-
sam ad distillationes, seu fluxiones inquit pertinere;
quoniam ex fluxione multi morbi gignantur: flu-
xiones autem ex pituitoso humore fieri uidentur,
quamuis alijs ex humoribus nascentur. Que-
cunq; autem partes corporis tumescere dicuntur, à
bilis incendio & combustione uexantur.) Tertiam
morbi causam superius relatam, hoc est bilem, ulti-
mò constituit in his Plato, de cuius etiam affectioni-
bus dicendum est. In primis autem à tumoribus præ-
ter naturam, qui à bilis incendio gigni uidentur, ini-
tium capit. Quanquam enim, Galeno auctore, tumo-
res ex aliorum humorum affluxu gignantur, raroq;
admodum in eorum aliquo purus sit humor: hic ta-
men Platoni ex bilis incendio tumores fieri dicun-
tur, quia maior sit bilis pars, quæ tumoris inflamma-
tionem efficiat, quam humorum aliorum: & quod
dolores ac symptomata in tumoribus flauam bilem
plerumq; comitentur. Huiusmodi ergo tumores bi-
lioso succo inflammati uidentur hic intelligere. ideoq;
ipsorum descriptionem adducens, inflammationem
inquit tumores gignere, si bilis ardor foras expire-
tur: id quod latius Galenus lib. de Tumoribus præ-
ter naturam explicat. Vnde cum Plato idem ait:

Quæ cum expirat extrinsecus uarios estu suo tu-
mores producit.) ita est intelligendum, ut cum fla-
ua bilis calidissima sit, & admodum sicca, tenuitate
sua partes corporis reconditas penetret, doloremq;
magnum adferat, ac morbos gignat grauissimos: ut
uentriculi inflammationes, hepatis, intestinorum.
Quod si uerò eadem bilis ad partes exteriores de-
fluat, erysipela gignit, aut herpetem, affectiones ue-
alias. Tunc autem pessima est, quando pus sangui-
ni mixta.) Propositas bilis affectiones persequitur,
aitq; tunc morbos fieri grauissimos ex bili, cum pus
sanguini miscetur, filaq; seu fibras ligamentorum è
suo ordine dimouet. Nam cum bilis ipsa per corpus
uniuersum uagatur, eiusdem ordinem peruertit, ac
non solum acumine suo partes solidas diuellit: sed e-
tiam si quid est in humoribus crassum ac terreum,
quod Plato hic cum antiquis fibras seu fila uocat,
ut ex Aristotele lib. 2. de Partibus animalium, & Ga-
leno lib. 2. de Element. constat. Nam & ille quidem
in sanguine terrestris concretionis pleno plures esse
fibras inquit, ideoq; solidas ac terrenas illas facit,
quæ quasi fomenta in sanguine fiant, feruoremq; ac
iram excitent, ut in leonibus & tauris, cæterisq; ani-
mantibus calidæ naturæ. Itaq; fibras cogere sangui-
nem ait, quemadmodum aquam terrenæ portionis
cogit admixtio. At uerò Galenus in allegato libro,
sanguinem ait purum in animalibus nunquam esse:
sed unam eius partem tenuiorem sero lactis persimi-
lem, alteram quasi limū: atq; etiam fibras, quæ quasi

ligamēta illius sint. Nam si sanguis sit tenuissimus,
ut in ceruis, nunquam congelascit: quia fibræ caret,
quæ illum cogunt. Quod cum ita sit, fibras hic a-
pud Platonem intelligere oportet, per fila illa, & li-
gamina, quæ bilis acumine dimouentur. bilis enim ca-
lor tenuitate sua crassiciem illam fibrarū extenuat,
sanguinemq; uitiat. atq; hoc est, quod inquit, si pus
sanguini sit mixtum: quia scilicet aquosa pars sangui-
nis, nimirum ichor, siue serum nimio bilis ardore in-
flammat, quod tamen lenitate sua naturali sangui-
nem temperet. Vnde hoc ichor serum sanguinis hic
significat, non pus, ut Marfilio uidetur. Ad hanc
utiq; naturæ commoditatem, huiusmodi per oppor-
tuna sunt.) Propositam fibrarum descriptionem
persequitur, in quo tamen intellige, per ligamenta
hæc non musculos, aut osium ligamenta, sed fibras,
uti diximus, significari. hic enim sanguinem ligari,
& conineri à fibræ inquit Plato, ut earum usum o-
stendat. Ideoq; si mortuo, ait, fibræ sanguinis detra-
hantur, is minime continetur: quod idem tum Aristo-
teles, tum etiam Galenus testantur. Vnde in ceruo,
frigidisq; alijs animantibus, sanguis nō gelatur: quo-
niam is est adeo tenuis, ut nullas habeat fibræ, qui-
bus cohereat. Conterà uerò si mortui hominis san-
guini fibræ relinquuntur, congelascit facile. Atqui
hoc Plato significat, cum ait: Cum uerò missæ fue-
rint, illico cum præcedente frigore restinguuntur.)
Id est, si fibræ non scindantur, sanguis congelascit.

Quoniam uerò hanc uim uilli huiusmodi in san-
guine habent.) Totum hunc locum ingenuè fateor
me non intelligere. nam & uerborum obscuritas, et
affectata rei difficultas, nihil esse temere proferen-
dum permittit. Nisi forte dicamus, loqui hic Plato-
nem de genere illo bilis, quod in melancholiam ex u-
sione mutetur, quodq; in uariis corporis sedes illa-
psum grauissimos excitet morbos, quales ipsemet au-
ctor obscuris ambagibus describit. Sed nos ad reli-
qua pergamus, ne quid à re alienum adducatur.

Sed cum inferior adest, corpusq; liquescens ei re-
sistit.) Ex eadem humoris biliost, & in melanco-
liam conuersi natura, diarrhœas, dysenteriasq; na-
sci putat, cum idem scilicet humor ad intestina
delabatur. Est autem dysenteria, ut Galenus lib.
6. de Locis affectis auctor est, intestinorū ulcus, ex
quo sanguis corruptus simul cum excrementis ex-
cernitur. Nam primò quidem mordax bilis ab hu-
more ulcus faciente secernitur, deinde intestinorum
fit abrasio quædam, postea saniei aliquid admixtum
excernitur, tuncq; uerè dysenteria dicitur: quæ si à
flaua bili incipiat, sanitati potest restitui: si uerò ab
atra, lethalis est, Galeno et Hippocrate auctoribus.
Eiusdem ferè generis est diarrhœa, ut idem docet
Galenus lib. 3. de Facultatib. naturalib. Nam cum
uentriculus circa imas partes multitudine acrimo-
niæq; humoris afficitur, firmæq; sunt partes stoma-
cho adiacentes, diarrhœa oritur, quæ gigni ex cibo-
rum concoctione non sufficiente solet. Quando

igitur corpus ignis potissimum excessu languet.) Februm causas, formasque ultimo loco ponit. ait enim, corpus caloris excessu languens, febris continua laborare. idem uero aeris excessu, in quotidianam discretam incidere: itemque in tertianam et quartanam, si aquae terraeque abundantia afficiatur. Atque haec sunt quatuor febris genera, à Platone tradita, et cum quatuor elementis comparata. Sed ante quam quid sit febris, atque unde nascatur, quot uel sine eius formae dicamus, Galeni iudicium de hac Platonis sententia de febribus ex lib. 8. de Placit. proferamus. Idem igitur Platonem duabus de causis reprehendit. primo, quod propriam febrium causam ignorarit: secundo, quod causam febrium circuitu redeuntium, ad communia corporum elementa retulerit, non autem ad propria corporis humani. Nam in quotidianis pituitosus succus inest, in tertianis flaua bilis. contra uero Plato quotidianas igni seu calori, tertianas aquae seu pituitae tribuit. In quo quidem ordinem elementorum situs et positionis secutus, unicuique febris formae suum elementum, seu qualitatem accom-
modauit. Ex quo intelligimus, primos corporis humores ex elementis compositos non tam accuratè Platonem nouisse, aut tradidisse, quam Hippocratem: qui in libro de Natura humana rem illam diligentissime docuit. Sed haec nos medicis discutienda omittentes, breuiter quid sit febris, et quot sine eius formae, doceamus. Febris, Galeno auctore, calor est praeter naturam in corde accessus. Erasistratus autem apud Plutarchum lib. 5. de Placit. philosoph. eam definit, motionem sanguinis incidentis in pulmonis uasa sponte factam. Huius tria genera simplicia sunt, auctore Celso et Galeno: quotidiana, tertiana, quartana: quibus quarta aliam addunt, quae circuitu longiore solet redire. Ac quotidiana febris, ex succo pituitoso in stomacho collecto, et praeter naturam inflammato fit: tertiana, ex flaua bili excitata nascitur, breuiorque est, ac diebus ternis redit: quartana fit ex atrabile, diuturna est, et grauis admodum. Quartum genus his addit Plato amphemerinarum, quod Galene teste, ad quotidianam proximè accedit. Nam cum febris singulis diebus accenditur, atque intermittitur, amphemerina dicitur: quae hoc à continua differt, quod haec nullam intermissionem habet, illa intermittitur. Sed hoc genus amphimerinarum simplex non est, si Galeno credimus. Obiter tamen hic aduerte, non rectè à Marsilio transferri ἀμφιμερὴς quotidianam discretam. nam simpliciter quotidiana dici potius deberet, ut Galenus censet lib. de Differentiis febrium: quo nomine commodius est, Graeca uoce amphemerinarum uti. Haec ergo de febribus breuiter dixisse satis sit. plura enim tradere, alienum esset à nostro instituto. Itaque haecenus, ut potuimus, Platonis sententiam de causis morborum explicuimus: quae si uel medicis minus uera uideatur, danda quidem erit uenia, cum affectata obscuritas, et illius decreta medicis non adeo probata, ferenda sint. Tanta

enim est huius rei obscuritas, non in sententiis solis, sed in uerbis etiam, ut nec nostra diligentia, nec doctorum medicorum, quos consulimus, industria plus efficere potuerit, sed in plerisque fuerit sepe diuinandum. Atque utinam Galeni librum illum, qui de iis quae medicè à Platone dicta sunt, inscribitur, aut libros de Placitis, integros haberemus: certe ueriores, certioresque huius tractationis notitiam teneremus. Sed his nunc omisis, ad institutam interpretationem reuertamur. Expositis morborum causis, ac differentiis, quae ad medicinam pertinere uidebantur. quinque esse medicinae genera à Platone relata considerandum est, ut in eius uita Diogenes Laertius testatur. Primi generis est illa, quae φαρμακωτική dicitur, quod medicamentis morbos curet: secundi uero χηρσενική, quae cadendo et urendo sanitatem inducit: tertij διαιτητική, quae dieta et moderatione curat: quarti νοτογυμναστική, quae morbos dignoscit: ultimi est βοηθητική, quae remedia praesentanea accommodat. Easdem ferè partes Galenus in lib. An tuenda sanitatis ratio quod medicos spectet, recitat. quamquam tres partes ex illis, Pharmaceuticam, Chirurgicam, et Dieteticam potissimas esse censet: quibus addit Gymnasticam, quasi partem Dieteticæ, quoniam moderatione sua sanitatem tueatur et conseruet. Sed haecenus de morbis corporis, et eorum curatione dictum sit. nunc ad reliqua pergamus, quibus commodior haec partium medicinae ratio ad Platonis intelligentiam erit.

Animae uero morbi propter corporis habitum ita nascuntur. Morbum animae dementiae esse censemus. Eius genera duo ponimus, insaniam et imperitiam. Quaecunque igitur passio alterutrum istorum infert, animi agritudo est nuncupanda. Idcirco uoluptates doloresque admodum uehementes, morborum animae omnium grauissimi iudicandi. Quisquis enim uel nimia gestit laetitia, uel nimio dolore deprimitur, dum illam auidius importuniusque ascescere, hunc uitare obnixè conatur, neque cernere neque audire rectè quicquam potest, sed rabie furit: et in eo habitu constitutus, minimè rationis est compos. Qui uero fluido stupidoque circa medullam abundat semine, utque arbor pluribus quam conueniat fructibus grauida, nimia ubertate luxuriat, is profecto multis passim doloribus, multis ite uoluptatibus in libidinibus ipsis, earumque foetibus, fructibusque affectus, per omnem ferme uitam ob ingentes uoluptates doloresque insanit, ac furit. cumque huius animus propter corpus aeger sit,

atque

atq; insipiens: vulgò tamen non æger, sed pro uoluntate sua ut libet affectus falso putatur. Veritas autem sic habet. Nempe uenereorū intemperantia maxima ex parte propter generis unius habitum, per ossium raritatē in corpore lubricum madidumq; animi infirmitas est. Ac ferme omnis uoluptatū incontinentia, quæ perinde ac si sponte improbi simus, uituperari solet, non recte ita uituperatur. Nemo enim sponte malus, sed propter prauum quendā corporis habitū, rudemq; educationē, malus omnis fit malus. Omnibus autē aduersa inimicaq; hæc sunt, & mala noxiaq; contingunt. Rursus dolore afflictus animus similiter propter corpus in prauitatem plurimam incidit. Acris enim & infesta pituita, amari item feliciq; humores, quando oberrantes per corpus nō exhalant, sed per uiscera reuoluti, uaporē suum penetralibus animæ ipsius infundunt, languores animæ varios & magis & minus, tum plures, tum pauciores efficiunt. Perferuntur sane ad tres animæ sedes, humores uaporesq; huiusmodi, ac pro loci diuersitate unusquisq; varias species generat: difficultatis atq; molestiæ, audaciæ rursus, timiditatisq; obliuionis præterea, atq; heberudinis. Sæpe etiā ad prauū hunc corporaturę & affectiōis habitū accedūt mores ciuitatis iniqui, sermonesq; & priuari & publici nō parū omnino noxi, nec ullę doctrinę ad tantorū malorū remedia à tenera ætate discuntur. Atq; ita quicunq; nostrū prauū sunt, duabus ex causis, præter uoluntatē maximē cōtingētibus, prauū fiunt: huiusmodi quidē malorū causæ ferentib. potius q̃ satis, educantib. quā educatis attribuendę. Conandum tamen pro uiribus, educationis, studiōrū, doctrinarum diligentia improbitatem reiicere, assequi probitatem: sed horum quidē tractatio alio constat differendi modo.

Diximus generatim de morborum causis. Nunc quoniam homo ex anima corporeq; constat, ipsius etiam animæ morbos siue affectiones, earumq; causas & remedia exponamus. æquum enim est, ut cum de homine disputatio suscipitur, non deteriore solum eius partem, unde licet corpus, sed animam quoque, quæ prestantior est, describamus. Quo nomine

cum de animi morbis differimus, initio alius repetito, ipsius connexionem cum corpore prius declaramus. Anima quidem rationis particeps, ut supra retulimus, quamuis per se corporis experta sit, tamen cū eidem annectitur, corporeas quasdam uires acquirit. Nam ut ijs qui per uitreā fenestram inspicunt, quæcunq; cernunt, eiusdem coloris esse, cuius est uitrum, uidentur: ita anima corpori inclusa, sensus uiresq; omnes corporis qualitatibus similes habet. Atq; ideo facultates quædam animi communes sunt cum corpore, ut uidere, gustare, audire: quædā eiusdem rationalis animi peculiare, ut intelligere, ratiocinari: alie demū corporis ipsius, quatenus animatū est, ut ali, augeri, gignere. Igitur anima quidem corpori annexa, qualitates, naturamq; corporis sequitur, ut Galenus auctor est. Quæ de causa triplicem animi uim esse, ex Platonis sententia considerandum est: unam rationis participem in capite positam, alteram irascibilem in corde illi subiectā, tertiam appetitoriam in iecore. Hæ tres, quemadmodum antea diximus, magna inter se proportionē cōnexe sunt, ita ut irascibilis & appetitoria rationi subiiciatur, ratio aut ipsa his uelut ministris ad actiones externas utatur. Hoc demū breuiter ita statuto, ad affectuum rationem explicandam ueniamus. Bx connexionē animi & corporis, commotiones quasdam, & impetus toti animali communes nasci, intelligendum est, quos nos affectus appellamus. Affectum autem definit Plato, motum animi sine ratione, boni aut mali alicuius gratia. Nam cum ratio ab irascibili, appetitoria uel animi parte trahitur, & commouetur propter alicuius boni mali uel conceptam opinionem, uariæ affectuum formæ nascuntur. Itaq; affectuum potissima radix, irrationalis animæ pars est, ut Aristoteles ac Plato testantur: quia ratio natura sua quæta est, & ab affectu aliena: reliquæ uerò duæ facultates frequenter affectuum commotione turbide sunt. Sed his breuiter propositis, ad affectuum originem explicandā, et ad singula eorum genera tradenda, cum Platone pergamus. Morbū animæ demenciam esse censemus. Quando ex naturali corporis habitu, siue compositione totius animalis affectus nasci constitutum est, unū est quasi supremum affectionum omnium genus, quod αἰσία Plato, id est demenciam uocat. Nam cum anima rationis experta rationali non paret, sed soluta & libera corpoream concretionem sequitur, in uarios incidat affectus necesse est. Ratio enim quasi iudex aduersus perturbationes omnes obiecta, irrationalis animæ impetus cohibere deberet: sed si hæc neglecta, rationis experta præceptis in affectus feratur, quoniam id sine ratione fit, affectus omnis generatim αἰσία, id est mentis caremia secundum Platonem dici poterit. Vnde Stoici motum animi sine ratione, affectum definiunt: & Plutarch. in lib. de Virtute morali, intemperantem rationem, uel hemememq; motum ex prauo iudicio natum, illum uocat.

uocat. Ab hoc ipso summo genere innumerabiles alie affectionum formae nascuntur, quas exponere ad morum philosophiam potius spectat: sed summa tamen capita nos sequemur. Eius genera duo ponimus, insaniam et imperitiam. Ad dementia, quae summum genus est, duo quaedam alia genera intermedia referuntur, *mania* et *amabilia*. Nam dementia omnis uel insania esse, uel inscitia debet. Atque ad insaniam referuntur turbulenti omnes et concitati affectus, ad inscitiam uero moderatiores, cuiusmodi distinctionem Galenus lib. de Cognoscendis, curandisque animi morbis fecit, cum irrationalis anima duplicem esse uim inquit: unam, cuius propriam sit, celeriter commoueri, et irasci: alteram, quae nullo iudicio aut distinctione boni, mali uel habita, praecipit in id quod appetit fertur. Quo nomine inscitia, siue *amabilia*, ad uim animae appetitoriae: *mania* uero, id est, insaniam ad irascibilem referre possumus. siquidem ira furor quidam animi est, et ueluti insania: appetitus uero ratione carens, ignoratio, et inscitia belluae per similes. Nam quemadmodum belluae ad id quod coram est feruntur, nec quicquam discernunt: sic etiam impetus appetitoriae animae ex inscitia quadam nascuntur. Hec ergo sunt affectionum ab irrationali animae parte nascentium capita, à Platone tradita. Quaecunque igitur passio alterutrum istorum. Quod Graecis *πάθος*, Latinis perturbatio et affectus dicitur, idem autem ex animi immoderantia oritur: proindeque ratione, uti diximus, uacat. nam pars animi rationalis ab affectu omni aliena est, nec per se ipsam perturbatur, sed per alteram rationis expertem uim. Quo fit, ut ex irascibili et appetitoria solum affectus omnes nascantur. Dicuntur autem affectus *πάθος*, id est passiones, ut Nemesius explicat, non solum propensiones illae naturales corporis cuiusque, ad affectus, sed earundem etiam commotiones, ideoque affectus tum agunt, quatenus animum perturbant: tum aguntur, quatenus ab irrationali parte animi excitantur. Idcirco uoluptates, doloresque admodum uehementes. Explicata affectionum origine, et summis generibus, duas hic potissimas formas, et primas affectionum aliorum statuit Plato, uoluptatem et dolorem. Quae quaecumque ex duobus superioribus generibus nascantur, sunt tamen radices reliquorum, ad quas affectus omnes redigi possunt. Nam ad uoluptatem affectus omnes, qui aliquam habent boni speciem, referuntur: ad dolorem uero, quicumque speciem mali. Vnde Aristoteles lib. 2. Ethic. ad Nicomachum, uoluptatem ac dolorem affectionum esse genera statuit cum Platone, ut Eustratius etiam annotat. Cui tamen sententiae sese opponit Stoici, qui quatuor affectionum genera ponunt, dolorem et timorem, qui ex duobus opinatis malis nascantur: uoluptatem ac libidinem, quae duobus ex bonis opinatis. Sed commodior affectionum distinctio est, ut ex duplici irrationalis animi facultate, irascibili et appetitoria, formae omnes oriantur. Nam

ad irascibilem pertinent, spes, desperatio, timor, audacia, ira: ad appetitoriam, amor, desiderium, gaudium, odium, detestatio, tristitia. Quibus etiam affectus alij adiungi possent, quorum longior est ratio, et de quibus alio loco à nobis dicitur. hic enim satis est, primas formas affectionum tradere. Quisquis enim uel nimia gestit letitia. Affectionum uim, et commotionem quae in hominibus fiat, nobis hic declarat. Nam cum homines natura sua obnoxij affectibus sint, uoluptatemque sponte quasi bonum sequantur, dolorem ut malum fugiant, fit, ut plane rationis expertes tunc reddantur, dum illam amplecti, hunc fugere nituntur. Ex quo intellige, Platoni hic idem in his duobus generibus uoluptate ac dolore significare, quod in omnibus affectibus. Etenim affectu omni perturbati homines, rationis sunt expertes: quando hoc proprium rationis est, affectu uacare: contra uero perturbari, alienum est ab illa. At cum hic Plato inquit, hominem in eo habitu constitutum neque cernere, neque audire, sed rabie furere: tu intellige uehementem affectus motum, qui nec ratione, nec sensibus recte uti hominem permittit, sed quasi demum illum efficit: ut in ira, ceterisque turbulentis affectibus euenit. sic enim uidemus quosdam usque adeo ira corripit, ut furore quodam et furis agentur: alios non minus incitat libido, aut odium. omnes demum affectu concitati, cum rationem non sequantur, mirum non est, si nec sensibus uti possint. Hinc fit, ut Plato, Alcino teste, affectionum ipsorum quosdam agrestes esse dicat, alios moderatos. atque illos quidem praeter hominis naturam gigni putat: quia nimium perturbari, efferati hominis est. hos uero à natura esse illi tributos inquit, quod idem homo uacare affectibus natura, sua non possit, quamuis moderate illis uti debeat. Quam ob causam et Platonici et Aristotelici naturales esse affectus affirmant. Contra tamen Stoici, non natura, sed opinione constare illos dicunt. Qui uero fluido, stupidoque circa medullam abundat semine. Inter affectionum genera libidinem ueneream recenset Plato, quae tamen si ad uoluptatem referri possit, hic tamen potissimum proponitur, quoniam eius tractatio ad hominis generationem pertinet, de qua in hoc loco differitur. Cuius rei causam ut cum Platone nos declarem, considerandum est, hanc libidinem ueneream ab animae appetitoriae facultate oriri. Nam cum iecur sanguinis fons sit, sanguisque idem non modo corpus alit, sed in semen etiam generationi aptum abeat, à magnis quidem canalibus spinæ adherentibus supra renes uena coniuncta arteriae cuidam ex magna arteria nascenti, porrigitur ad testes, per quam sanguis defluens in semen mutatur. Et eum idem testes alba fungosaque natura consistens, defluentem in ipsos sanguinem calore nativo iterum decoquunt, ipsumque ueluti spumam quandam multo spiritu plenam efficiunt. Atque ita fit semen, quod calidius, magisque spirituosum et spumantem redditur ipso sanguine: quoniam generationis est su-

est futurum principium. Ergo cum ex proprio sanguinis alimento pars quædã, uti diximus, hoc modo in semen mutetur, in coitu animalis magna cum uoluptate idem emittitur, tum propter humorem leniter defluentem, tum propter calorem spirituosum ipsius. Quod si autem in semine uulua inclusum sit illud, quasi planta pullulat, ex eoq; animal gignitur. Nam uterus, ut Galenus ait, quasi terra est: semen autem, ut planta in ea crescens. Hanc ergo uenereæ uoluptatis affectionem, quæ à ratione aliena est, et appetitorie animæ propria, inter animi perturbationes Plato connumerat. Sic enim ait: τὸ δὲ σπέρμα ὅτε πο-
 λὺ καὶ ῥυῖδις περὶ τὸν μυχὸν γίγνεται, καὶ καθάπερ δασύων πολυκαρπὸς ὅτε τῷ ξυμμίτῳ πεφυ-
 κὸς ἔστι. hoc est, Semen quidem fluidum natura sua propter humorem, et ob magnam copiam, cum circa medullam spinæ fiat, siue ex sanguine medullæ persimili ob candorem, et maiorem cōcoctionem, quasi spuma quædam gignatur, idem inquam quasi arbor in uero fructum ferens est, quæ ad animantis generationem pullulat, tum in ipso semine utero, cum foetus formatur: tum in hominis uasis seminalibus, quæ semine perpetuo implentur, cum ad illa sanguinis ex alimento pars defluat. Idem etiam semen magnam affert animantibus uoluptatem in emissionem, propter spirituosum humoris et calidi per genitalia defluentis titillationem. idemq; affert tristitiam: quoniam id omnibus animantibus est naturale, ut auctor est Aristoteles, ut post coitum tristitia reddantur: et quod ex frequenti seminis emissionem, plurimi, grauesq; morbi oriri soleant. Hoc ipsum deniq; semen, quod tantum affert uoluptatis natura sua, ut Plato inquit, rarum est, et spumæ simile, propter humoris calorem, spirituumq; copiosum. Nempe uenerorum intemperantia maxima ex parte propter generis unius habitum per osium raritatem in corpore lubricum, madidumq; animi infirmitas est. Id est, semen quod natura sua humectum et lubricum spirituum est, magnarum perturbationum est causa: idemq; nascitur ex osium raritate, id est medulla. Nam Platonis sententia est, ut supra diximus, medullam semen esse: cum tamen Galenus contrā semiat, ac non solum ex medulla, sed ex sanguine fieri semen asserat. Quinetiam semen ipsum propter unius generis habitum esse ait Plato, quoniam illius usus est ad generis propagationem animantibus concessus: ideoq; uoluptas illis quædam simul est data, ut suo simili ad generationem coniungi uellent, non tamen ut illa abutantur ad libidinem. Vt cumq; tamen uoluptas illa uenereæ sit, cum abhorreat à ratione, hominem maxime perturbat, magnusq; animi morbus est. Atque hætenus quidem communem affectionem tractationem breuiter explicuisse satis sit. Ac ferme omnis uoluptatum incōmentia. Explicata perturbationum animi origine, causas earundem naturales ex corporis natura prouenientes iam reddit. primoq; animæ cum corpore copulæ in causa esse dicit, quod

eiusmodi perturbationes oriantur, cum earum princeps causa sit corpus: animaq; per se, utpote incorporea et intelligibilis, corporeis rebus nec affici, nec perturbari natura sua possit. Quo nomine affectionum harum uitium in corpus Plato reijciens, inuitos inquit homines malos esse: ideoq; illos minime culpandos, si multis affectionibus commouentur, aut si habitum uitiorum sint adepti. Qua in re ut Platonis nos sententiam explicemus, duplicem esse hominem ex Platoniorum opinione iam constat: unum sensitium, et corporeum, ut animi et corporis compositum animal: alterum intellectiuium, et incorporeum, ut ipsum animum separatum. Atqui hunc incorporeum uerum esse hominem Plato inquit: reliquum uerò belluū comparat. Quare illum ipsum animam corpore utentem appellat, præstantiora utiq; (ut Nemesius ait) de illo iudicans, ut hac proposita hominis dignitate, ad rerum intelligibilium curam illum conuertat. Atque hoc ipsum tum lib. 5. de Legib. et in Menone, lociq; alijs, tum hoc in loco ostendens Plato, hominem inquit intelligibilem et rationi obtemperantem, nimirum animum separatum, inuitum à corporis affectionibus commoueri: uirtutemq; ipsius uoluntariam esse, contrā uerò uitium inuitum. Qua de causa inquit neminem sponte malum esse: sed propter prauum quendam corporis habitum, rudemq; educationem, malum omnem esse malum. Quam quidem sententiam ita interpretantur Platonici, ut non intelligat coactos homines necessitatis uel aliqua uitij sese dedere: sed quod ea sit hominis natura, ut nihil agere uelit, quod uel bonum non sit, uel boni aliquam speciem non habeat. Omnes enim, auctore Aristotele, boni causa cuncta agunt. Itaque ut uirtus bonum est, naturaq; duce ad bonum omnes feruntur, uoluntarius etiam sit ad eam motus: contraq; cum nemo id quod malum aperte esse uidet, sequi uelit, si forte id sequatur, uel ignorance, uel impetu facit, inclinante corporis naturali habitu, dum id bonum esse putat, quod non est: ideoq; uitium inuitum esse affirmant. Quo nomine, quæcunque improbus agit, Alcinoüs inquit, uoluntaria non sunt. nam etiam dum iniuste agit, iuste agere sese putat, aliquamq; boni speciem sequitur. Vnde inuitum ipsum in ignorance quadam boni propter affectionem inest. nam si quis recte institutus bonum à malo sciret dignoscere, minime deciperetur in electiōe: nec dedita opera, id quod malum esse cerneret, sequi uellet. Quinimò qui errant, et peccant, specie recti, ut Horatius inquit, falluntur. Atqui hoc modo Platonis sententiā Platoniorum pleriq; declarant, quam itidē Plotinus lib. 1. de Prouidentia cōfirmat. Ibi enim inquit, utrum merito accusari debeant ij qui prauè quicquam agant, cum inuiti homines mali esse hic dicantur? Cui obiectioni respondens, propterea inquit non sponte homines peccare, quod peccatum sit inuitum: id est, quod nemo id uelit sequi, quod certò

sciat

sciat malum esse. Sed tamen idcirco culpa dignū fieri censet, quod sponte ad actionem, quam elegerit, feratur, licet inuitus in habitū peruersum incidat. Nam si id non fecisset, minime peccasset, siue fecerit igitur inuita, siue impetu: peccauit ergo, non quia uult malum. nam si nō esset, minime faceret: sed quod id ipsum fecit; quod malum esse postea cognouit. Hanc igitur necessitatem non esse externā, sed propriam, et internam ipsius improbi censet. Quocirca Plato necessariam hanc uiti corporis constitutioni tribuit, habituique uitioso, ut Galenus in lib. de Animi et corporis maiora cōsecutione declarat. Cum enim corpus peculiarem habeat à natura constitutionem, et temperamentum, quod anima sequitur: necesse est animam ipsam affici, si corporis sequatur impetus, nec eos ratione cohibeat. Vt si corpus natura calidum, quod ad iram proclius est, ab externalibus rebus cōmouetur, et ad iram excitetur, ratioque illud non refrenet, in uitium incidet. Igitur ex Platonis sententia necessitas uoluntatis electionem sequitur, ut Aristoteles quoque lib. 3. Ethic. ad Nicomachum intelligit, non præcedit. potuit enim homo uel sequi, uel fugere hoc, uel illud. Sed quia secutus est, necessariò consequitur uitiositas. Hoc modo Platoniorum sententia malum inuitum est, etiam ratione libera manente, atque ita omnes Platonis locum hunc exponunt, ut ex Alcino et Apuleio in lib. de Philosophia constat. Huic tamen sententiæ Aristot. lib. 3. Ethic. ad Nicomachū filium sese obijciens, æquè esse uoluntarium uitium, ac uirtutē censet. quando eadem est contrariorum ratio: et ut bonus sponte est bonus, ita etiam malus. Nam si uoluntarium id est, cuius agendi principium est intra ipsum agerem: inuitū uerò, quod uel aut ignoratione fit: certè uirtutes et uitia uoluntaria sunt, quia ab homine fiunt. At cum dicunt Platonici, ignoracionem et affectum in causa esse, ut inuiti agamus, cum uolūtas eo modo perturbata quodammodo cogatur: respondet quidem Aristoteles, esse uitium in mala electione uel propter affectum, uel ob ignoracionem, sed non tamen inuitum quicquam. nec enim affectus, aut ignoratio quencquam cogit: et uoluntarium à principio agendi dicitur, non à fine. Quapropter Aristoteles, et cum eo Alexander Aphrodisæus, Nemesius, et D. Gregorius Nyssenus, ita sentiunt: et rectius sanè. nihil enim homo siue malè, siue rectè, inuitus agit, etiam si affectu aut ignoracione communi et generali agat. nam cum rerum omnium, Aristotelis sententia, aliæ necessitate fiant, aliæ fortuna, aliæ natura, aliæque ab homine: omnes profectò quæ ab homine fiunt, uoluntarie sunt, reliquæ non item. Sed hinc tamen difficilis admodum questio nascitur, nunquid hominis affectus uitiosi sint, an neutri: et num uoluntarij, an inuiti? cui ut paucis respondeamus (nam alio loco à nobis latius hac de re dicitur) aduertendum est, affectus, siue ipsas affectuum propensiones naturales esse, ac non

uoluntarias, ut Academicus et Peripatetici contra Zenonem et Stoicos probant. Nemo enim propensionem ad iram uel libidinem, affectionem uel aliam fugere potest. at uerò propensionum illarum naturalium commotiones, et motus uehementes uoluntarij sunt, quando eos doctrina et institutione, aut timore possumus cohibere. Sed hac de re Aristoteles lib. 3. Ethic. et Alexander Aphrodisæus lib. 4. Quest. moraliū. Nos autem Platonis uerba interpretemur. Ac sermè omnis uoluptatum incontinentia.) Id est, omnes affectus qui ex animi intemperantia nascuntur, cum appetitus rationi parere non uult. Que perinde ac si sponte improbi simus, uituperari solet, nō rectè uituperatur.) Id est, ijdem inquam affectus inuiti sunt, proindeque laude aut uituperatione indigni. Ex quo intellige, Aristotelis sententia uoluntarium omnè laude aut uituperatione dignum censeri, quando uoluntarium ex electione fit, et hanc sequitur laus, aut uituperatio: contra uerò inuitum poenitentiæ et misericordia sequitur, siquidem coacti agentium miseremur. Vnde Plato affectuū actionem inuitam esse dicens, non rectè uituperari ait. sed uerior tamē Aristotelis sententia est, ut ex precedentibus patet, qui affectuum commotiones uoluntarias esse censet. Nemo enim sponte malus, sed propter prauum quendam corporis habitum, rudemque educationē malus est omnis.) Ab affectu nemo malus dicitur, quemadmodū nec ex una uirtutis actione quis dicitur uirtute præditus, sed ex habitu. Quo fit, ut Plato, cum inuitos fieri malos homines dicat, propter habitū malè agendū id intelligat. Nam ut ex habitu uirtutis probi fiunt homines, ita ex habitu uitij, improbi. Sed neutrum inuitum est, nec quod aliquis habitū rectè agendi habeat, propterea singulas actiōes inuitus agit, sed uoluntariò. Quando eadē est actiōnū ratio, cum ex habitu agas, atque cum agebas ante habitum adepti mei actiōnibus uoluntarijs habitum assequuti simus, adepti iam eodem, uoluntariè semper agemus. Quare uera non est Platonis sententia, ut subtiliter probat Aristoteles. Interim tamen considera, multum efficere malum corporis habitum, malamque educationem ad prauè agendum: non tamē cogere, quantum affectibus homines eiusmodi multo magis perturbemur, quàm qui meliori fuerint natura, et educatione. Hinc etiam triplicem effectuum causam intellige, ut Nemesio philosopho placet: naturalē corporis constitutionem, prauum uitæ genus, et ignoracionem. Corporis quidem temperies diuersis affectibus homines commouet, quando illam animus sequitur: sunt quidam natura sua ad iram procliuēs, alij ad libidinem, alij ad alios affectus. Prauum uitæ genus non minus perturbat, cum malè uiuimus, maleque institutos frequentiùs affici propter malum usum uideamus, quàm alios. Ignoratio demum efficit, ut aliquando plus satis commoueamur. Ex his tribus causis affectus omnes gignuntur, ijdemque ex animi

animi intemperantia dicuntur nasci: quod perturbatus animus rationi non pareat, intemperansque fiat. Item affectus omnes uniusmodi non sunt. alij enim natura sunt boni, ut uerecundia, misericordia: alij mali, ut odium, inuidia, arrogantia: alij neutri, et indifferentes, ut ira, amor. Rursus dolore afflicti animus similiter. Omnes animi morbos ex mala corporis constitutione, institutioneque mala, non ex animi natura esse, Plato dixit. nunc rem eandem latius confirmans, ad naturales praeu temperationis causas explicandas recurrit, cum ait, animum in prauitatem multam incidere propter corpus, quando nimirum Acris et infesta pituita, amari item felicique humores oberrantes per corpus, non exhalant, sed per uiscera reuoluti, uaporem suum animae penetralibus infundunt. Ad quam quidem rem explicandam, de ipsa corporis temperatione habituque primò dicamus. Quatuor humorum qualitates, quibus corpus constituitur, non modò ad sanitatem conferre, sed etiam ad mores, considerandum est. Anima enim quandiu est corpori inclusa, ipsius sequitur temperationem. Vnde cum aequabilis eorumdem quatuor humorum constitutio in corpore est, ut nec calor multum excedat, nec frigus, nec alia quaeuis qualitas, moderatio animi sequitur: quando uerò in ipsa constitutione aliquid excedit, cum eius naturam corpus maxime sequatur, anima etiam id ipsum consequitur. Nam et frigida corporis constitutio, ut Galenus ait, omnibus animae uiribus officit, stupidosque ac tardos reddit homines. contra uerò, quibus calor cordis uehemens inest, iracundi sunt, atque eodem modo diuersae alias corporis temperies animi uires sequuntur. Cui etiam accedit regionum natalium natura, et aer. Qui enim sub crasso aere nascuntur, stupidi et hebetes sunt: qui uerò sub tenuiori, acuti et subiles. Itemque calidae regionis homines agiliores, ingeniosioresque sunt. Igitur naturam corporis mores animi semper sequuntur, ut Plato hic, et Galenus, omnesque philosophi affirmant. Quibus ita statutis, Platonis uerba explicemus. Acris enim, et infesta pituita, amari item, felicique humores. Id est, flaua bilis, aut pituita salsa et putrida, cum per totum corpus diffunduntur, ipsaque corporis constitutio ex his constat potissimum: Varios animae languores et magis et minus, tum plures, tum pauciores efficiunt. Id est, multorum affectuum cause sunt, propter corporis intemperiem. Sed per uiscera reuoluti, uaporem suum penetralibus animae infundunt. Id est, si ijdem humores ad animi partem irrationalem, ut iracundiam et cupiditatem, deferantur, uarios affectus pro loci natura gignēt. Humores enim corporis temperationem mouent: hanc demum commotam sequitur anima, simulque commouetur, atque ira fiunt affectus. Sed ijdem tamen pro loci diuersitate uariantur, ut Plato inquit. Nam si ad cerebrum, quod est sedes rationis, humor aliquis uitiosus, aut uapor influat, multae affectiones oriri possunt: ut insa-

nia, obliuio, hebetudo. Quod si uerò ad cor, ubi est irascibilis, magna bilis inflammatio perueniat, irasfurorque fit. Denique si iecur multum sanguinis, humorumque aliorum affluentia oppleatur, uariae nascuntur cupiditates, quemadmodum Plato ipse testatur cum ait: Perferundur sanè ad tres animae sedes humores, uaporesque huiusmodi, ac pro loci diuersitate unusquisque uarias species generat, difficultatis, atque molestiae: et quae sequuntur. Quam re aduertendum est, ipsam corporis constitutionem quatuor iam dictis qualitatibus, calore, frigore, humore, siccitate constare necessario: ita tamen, ut qualitas ex illis aliqua excellat, à qua per excellentiam corpus tale esse dicatur. neque enim tam temperata corporis constitutio esse poterit, quin uel calor, uel frigus, uel siccitas, uel humor excellat. Hinc uariae temperamenti uires, moresque animi diuersi nascuntur. Ut si corpus biliose naturae sit, iracundus erit homo: si pituitosum, stolidus, et hebes: si sanguineum, leuis, et hilaris: si melancholicum, morosus, ac timidus. Ut denique humor aliquis ex illis abundarit, ita mores animi sequuntur. Nam cum ijdem humores sanguini, ex quo corpus alitur, admixti sint, perque omnia sensuum organa eorum uapores et spiritus commeent, necesse est animum affici. Siquidem spiritus animales, qui ex sanguine, regionisque aere sunt in corpore, animae uehicularum sunt. ideoque si calidi, frigidi, sicci, humectiue ijdem sint, similes uires animi efficiunt. Quam ob causam Galenus in lib. de Natura morum animi et corporis temperationis cōsecutione, nihil esse aliud animum putauit, quam aequabilem humorum omnium in corpore temperiem: quod uideret tantam esse animi cum corpore copulam, ut bonam temperationem boni animae mores sequatur, malam uerò mali. Quae quidem sententia, ut pote falsa, et ab omnibus refutata, explodenda nunc est. Saepe etiam ad prauum hunc corporaturae et affectionis habitum accedunt mores ciuitatis iniqui. Animi perturbationes et uitia non ab internis modò corporum stimulis incitantur, et à corporis naturae habitu nascuntur, sed etiam ab externis occasionibus, maloque uiuendi genere. Quo nomine multum refert, quomodo quis ab infamia sit institutus, aut inter quos educatus, ad bonam uel improbam naturam. Nam si consuetudo secunda quaedam natura est, profectò recta institutio homines bonos reddit, praesertim si à pueritia benefuerint educati: contra uerò, mala perditos, et effrenatos. Multos enim nouimus, nec pauciores ab auctoribus recensentur, qui moderati ac boni institutione recta sunt effecti, et prauam naturam optimè correxerunt. Alij praeclara indole, naturaque optima nati, propter malam educationem, prauaque exempla ciuitatis, aut parentum, uel praeceptorum, aut eorum quibus cum uiuere, perditissimi cūserunt. Quamobrem cum uirtutis sit adeò studiosus Plato, rectam semper educationem et institutionem commendat, quoniam ea morbos animi emendet, probosque reddat

reddat bonum, ut ex libris de Legibus, ac de Rep. constat. Atque ita quicumque nostrum pravi sunt, duobus ex causis præter uoluntatem maximè contingunt. Quando causas affectionum humanarum in his omnibus exponis, docuitque hæcenus, qua ratione multi affectus præter corporis temperiem nascantur: nunc duas causas reddit, cur ex mala educatione, institutioneque homines deteriores fiant. Primam tribuit parentibus, et non filiis, qui ab eis sunt prognati: secundam præceptoribus, et non pueris, qui educantur. Nam in primis mala parentum natura in femine (ut Aristoteles Galenusque docent) in prolem transfertur, deinde prauum eorum exemplum deteriores reddit filios. Secundò etiam educatio mala uel nutricum, uel præceptorum, uel aliorum, à quibus instituimur, improbos et sceleratos efficit nos. Cuius rei adduci multa exempla possunt tum ex communi uite usu, tum ex antiquorum scriptis, que hoc loco sunt prætermittenda. At cum hic præter uoluntatem ista mala inquit enacire, superiorem 20 Platonis sententiam de inuita malorum actione intellige, quam hic denuò repeti non oportet. Hæcenus ergo de affectionum causis, generibusque dictum sit: nunc ad reliqua pergamus. Nec enim exactius hac de re tractare, physici munus est, sed philosophi moralis, quemadmodum idem Plato sic affirmat: Sed horum quidem tractatio alio constat differendi modo. Id est, singulas affectionum formas exponere, alienum ab hoc loco est. Satis enim sit, rem in summa proposuisse.

Nunciam conuerso quo cultu quibusue causis corporis animique salutem adipiscamur, decet exponere. Iustius enim est, de bonis, quam de malis uerba facere. Omne bonum pulchrum: pulchrum uerò sine mensura et moderatione esse non potest: Ideoque animal quod tale futurum est, conuenienti mensura moderatum esse oportet. Ex eorum autem numero quæ commensurata moderataque dicuntur, exigua quædam persequimur et iudicamus, præcipua uerò et maxima ignoramus. Porro ad bonam et malam ualitudinem, ad uirtutes et uitia, nulla moderatio uel immoderatio maioris momenti quam animæ ad ipsum corpus esse uidetur. Horum nihil consideramus, neque animaduertimus, quod quando robustam magnamque animam imbecillior inferiorque uehit species, uel quâdo contrà ista iunguntur, totum ipsum animal pulchrum esse non potest: maxima enim mensura et moderatione caret. Quod autem contrà affectum est, spe-

ctaculorum omnium ei quid ualeat intueri, pulcherrimum amabilissimumque apparet. Corpus quidem quod gaudioribus uel inæqualibus. cruribus, aut quouis alio modum excedente membro secum ipso dissendit, et deforme est, et in ferendis laboribus contorquetur, uacillat, lassatur, et concidit, innumerabiliumque malorum sibi causam præbet. Idem quoque iudicandum de eo ex anima et corpore composito, quod animal appellamus. Quando enim anima corpore admodum potenter est, exultat in eo atque effertur, totum ipsum intrinsecus quatiens languoribus implet. Quando etiam ad discendum inuestigandumque collectis in unum uiribus uehementer incumbit: liquefacit protinus corpus, et labefactat. Denique cum ad docendum differendumque priuatim et publice ambitiosa quadam concertatione contendit, inflammat corpus, atque resoluit. Nonnunquam etiam distillationes fluxusque commouens medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias causas iudicare. Rursusque quando corpus grande et pigriori mole superexcedens, pusillæ exilique cogitationi animi copulatur, cum geminæ sint in homine secundum naturam cupiditates, una quidem per corpus alimentorum, altera uerò per id quod diuinissimum nobis inest, prudentiæ, tunc sanè potentioris illius præuolentes agitationes, quod suum est adaugent: quod uerò animi, hebes, indocile, obliuiosum reddunt: atque ita infirmitatem maximam, uidelicet imperitiam generant.

Explicatis breuiter affectionum animi causis, breue etiam earum remedium, ac medicinam Plato nobis proponit: ut cognito morbo, conuenientem curationem adhibeamus. Itaque cum duæ sint eorundem affectionum causæ, una ex intemperata corporis constitutione, altera ex institutione mala: duo remedia adhiberi oportet, iisdem morbis contraria. Siquidem contraria contrariis curantur. Alterum quidem est, immoderate constitutionis corporum moderatio, uel exercitatione, uel consuetudine comparata: alterum uerò, recta institutio, que doctrina usuque acquiritur. Cum ergo hæc duo cuique homini necessaria sint, priuatâ corporum aliquorum temperatione Plato explicat. Sed antè tamen communes quasdam sententias ad id explicandum accommodatas proponit, ut ex ijs re deducat. Eadè autem sunt:

Omne

Omne pulchrum in moderatione quadam est positum: Nihil immoderatum honestum, pulchrum uero est. His ita statutis, Animal, inquit, omne, si pulchrum est, moderatum, temperatumque; huiusmodi pulchra constitutione esse necesse est. Siquidem temperatio nem corporis temperatae animi uires sequitur, inter periem autem uires intemperatae. Quonia uero propter ingenij nostram hebetudinem, ipsam uero commensurationem seu symmetriam, moderationemque ueram assequi non possumus: idcirco Plato inquit, Ex eorum autem numero, quae commensurata, moderataque dicuntur, re exigua quaedam persentimus, et iudicamus, praecipua uero et maxima ignoramus. Id est, ipsam pulchritudinis et symmetriae formam perfectissimam ignoramus ingenij nostri imbecillitate: ignorata uero illa, singulas etiam res pulchras et commensuratas ignorari necesse est. Atque inde fit, ut corporum perfectae constitutionis rationem certam nequeamus tradere. Atque haec est Platoniorum uerborum dispositio, breuiter explicata. Nos autem antequam singula declarem, inquiramus, quid per pulchrum et commensuratum intelligat, et quare ratione corporibus idem accommodetur. Magnam pulchritudinis mentionem fecisse Platonem, ex Phaedro et Hippia, locisque alijs constat. ipsum autem pulchrum statuit ille ideam boni, siue ens ipsum esse, de quo Dialogi huius initio diximus. Pulchritudinem etiam censet splendorem esse boni summi fulgentem in rebus sensibilibus, per quem eadem res illi assimilantur. Itaque splendor ille a primo bono emanans, et in illum rediens, Platonem dicitur pulchritudo: pulchrumque ipsum ideam boni ac pulchri facit, cuius participatione reliqua pulchra sunt, ut in praecedentibus primi boni participatione omnia esse bona diximus. Hinc fit, ut cum ad illam primi pulchri ideam pulchra omnia dicantur, duplex sit pulchritudo, ut Plotinus in libro de Pulchro testatur: una animi propria, ut uirtus, intelligentia, et ipsa demum conformatio animi cum prima idea pulchri: altera propria corporis, quae similitudine illius perfectioni corporeae formae tribuitur. Omnis demum pulchritudo nihil aliud est, quam perfecta cuiusque rei forma, quae ad primi formarum fontis exemplar proxime accedere conatur. Unde pulchritudo in animo est perfectior naturae intelligibilis imago, in corpore uero est idea similitudo, in materia magis expressa. Atque hoc modo Plato in Phaedro, atque in alijs libris, pulchrum ipsum, et alia pulchra similitudine illius statuit, ut in Phaedone sub Socratis persona. Per hanc ergo pulchritudinem corporum temperationem declarare hoc loco Plato uult, ut eandem ad ideam pulchritudinis imaginem reducat. Eadem quoque ratione commensuratum ac bonum esse idem cum pulchro constituit, quod in boni idea ea omnia constituentur: quemadmodum in Philebo, locisque alijs idem affirmat. Pythagorici enim symmetriam, hoc est commensurationem in bonorum ordine ponebant, quoniam

eadem res moderatas efficiat, et bonas. Atque, ut omnia similitudine primi boni ac pulchri, bona pulchraque sunt, ita sunt commensurata ad illius similitudinem. Haec denique sunt communia principia ex Pythagoreorum semetia hic proposita a Platone, ad corporum temperationem explicandam. In quo animaduerte, quo pacto ille naturalia omnia ad ideam semper referat, uti fecit in superioribus, et in hoc loco. Atque haec satis sit ad Platonis intelligentiam breuiter proposuisse. neque enim omnia quae de pulchro dicuntur a Platonibus, huc congerere oportet. Nunc ad uerba exponenda ueniamus. Cum igitur pulchritudo haec, et commensuratio a nobis iam dicta non facile cognoscatur, quoniam in natura intelligibili est, atque eiusdem similitudine pulchra, commensurataque sint corpora, fit, ut exiguum notitiam uerae constitutionis corporeae habeamus: nec possumus facile statuere, quam quisque a natura temperationem habeat. Quocirca ut ea magis noscatur, recurrendum est ad primam ideam, ut Plato facit, qui eo de nomine communia illa principia proposuit. Quod cum ita sit, uera quidem pulchritudinis et commensurationis in homine causa est, ipsa corporis et animae copula, ex qua uirtutes uitaeque nascuntur. Siquidem haec propria totius animantis sunt, ut auctor est Plotinus in libro Quid homo et quid animal. Hanc ob causam Plato censet cognoscendam esse corporis et animae connexionem, ut totius animalis pulchritudo et symmetria uera cognoscatur. Nam corporis perfectio et pulchritudo est anima, a qua idem informatur: animi autem pulchritudo, similitudo est cum Deo. Quo nomine cum ex ijs duobus inter se connexis pulchritudo animalis constet, consideranda est, ut Plato uult, corporis et animi naturalis connexio ad affectus, uiresque omnes noscedas. ideoque inquit: Porro ad bonam et malam ualitudinem, ad uirtutes et uitia nulla moderatio uel immoderatio maioris momenti quam animae ad ipsum corpus uidetur. Id est, uera pulchritudo, ueraque commensuratio animalis in conexione corporis cernitur, quando ex hac non modo recta, mala uel ualitudo, uti a mea in morborum causis docuimus: sed uirtutes, uitaeque nascuntur, ut in Morum philosophia traditur. Quocirca tota cognoscenda temperationis animantium ratio in ipso composito est, nec alia ratione naturales uires perspicere poterunt, ut idem Plato in his quae sequuntur, declarat. Horum nihil consideramus, neque animaduertimus, quod quando robustam, magnamque animam imbecillior, inferiorque uehit species. Id est, cum animi corporisque connexio ad naturalem temperationem multum efficiat, minime consideramus, qua ratione illa duo coniuncta sint. Nam si corpus sit imbecille, magnaque uires animi, temperatio esse non potest, cum moderatione conuenienti animal careat. contra uero, cum debita proportio, constitutioque corporis conueniens seruetur, corpus idem pulcherrimum est, et specula-

culo omni præstantius: siquidem ad sui amorem allit, propter insitam pulchritudinem, ut sensu uidere est. Cum autem hic Plato malam esse temperationem inquit, quod imbecillior inferiorq; species animam uehat, corpus quidē adolus appellat, nō quod idem forma sit, sed quod ab anima informetur, quæ corporis forma est. sic enim idem ait: *ἡ δὲ σὺν ἡσυχίᾳ ἡ δὲ ληπτοῦ εἶδος ὅταν ὄχλῃ*. Ergo ut ad rem propositam redeamus, necesse est corporis temperiem animi uiribus accommodari, ut subtiles sint. Nam si corpus sit infirmum, animaq; uigeat, dum conuenientibus organis careat, uires suas commodē exercere nequit: quemadmodum in ægrotis uidemus, ut quoniam imbecillo sunt corpore, nec rectē incedere, nec uidere, nec audire, recordari ue possint. sensuum enim organa infirma sunt, nec suo rectē manere utuntur: imbecillitas autem corporis animi functionibus semper nocet. Contrā uerō, si corpus sit admodum uastum, animi obtusitas sequitur: quoniam crassiora, durioraq; sunt sensuum organa. Vnde hebetes et agrestes homines iudicamus eos, qui duro sunt corpore: subtiles uerō illos, qui molliori. Ex quo intelligitur, temperatam esse debere corporis cōstitutionem, ut animi uires cōmodē proficerantur: nec adeo uastū corpus sit, ut animi functiones hebetentur: nec adeo imbecille, ut debito instrumentorum usu careant. Atq; hoc ijs uerbis Plato intelligens, animal inquit pulchrum temperata corporis cōstitutione, moderatoq; habitu constare debere. Quod etiam multo magis declarans; exemplū intemperati corporis adducit, cum inquit: Corpus quidem quod grandioribus, uel inæqualibus cruribus, aut quouis alio modum excedente membro. Id est, Cum omnia corporis membra æquali carēt proportionē, ita ut alia maiora, minora ue sint, quā oporteat, eademq; inter se differant modo et mensura: animi quoq; intemperiem fieri oportet, quando corporis inæqualem habitum intemperata animi uires sequuntur. Vnde ipsam animi uim ex corporis habitu sæpe intelligimus: ut in corpore quod grandiora, gracilioraq; crura habet, timiditē, fœmineumq; ingeniū, auctore Aristotele in lib. de Physiognomia, ponimus. Item in eo qui latū carnosumq; pectus habeat, iracundiam, et animum esse dicimus. Atq; eodem modo ex alijs diuersis corporum cōstitutionibus, diuersas animi uires agnoscimus. Vt ergo ad exemplū à Platone traditum redeamus, grandiora quidem crura, et inæqualia, corporis imbecillitatem indicant, et caloris indigentiam: ideoq; eiusmodi homines facile lassantur, et ad labores inepti sunt. Cum autem tale corpus cernimus, totum ipsum animal imbecille iudicamus: quia se animus eo corpori accommodans, similes illi uires habet. Quæ de causa Plato inquit, Idem iudicandum de ei ex anima et corpore composito, quod animal appellamus. Id est, similes erunt totius animalis uires compositioni ipsi ex animo et corpore. Quando enim

anima corpore admodū potentior est, exultat in eo, atq; effertur, totum ipsum intrinsecus quatiens. Hic etiam alijs rationibus superiora confirmat, docetq; animam mutua cum corpore temperatione adeo colligari, ut ad corporis affectiones omnino commouetur. Itaq; anima, inquit, cum corpore potentior est, exultat in eo, ac multis ipsum doloribus premit.

Quasi diceret, nec adeo rude corpus, et uastum esse debere, ut in eo animus sepeliatur: nec adeo infirmum, ut in eo anima exultet, id est, ut nullus sit eius usus propter membrorum imbecillitatem. Ergo necesse est, mutua quadam sympathia corpus cum anima cōnecti, ita ut ipsum nimis exile non sit: nec adeo uastum, ut mole sua actiōnes animales impediatur.

Quamobrem cum corporis imbecillitatem ex nimio labore, contentione ue, aut infirma natura nasci uideamus, necesse est, remedium ijs morbis conueniens adhiberi. Quod autem ex labore, aut animi contentione in agendis rebus oriatur corporis imbecillitas, uel ex his Platonis uerbis apparet: Quando etiam ad discendum, inuestigandumq; collectis in unum uiribus uehementer incumbit, liquefacit protinus corpus, et labefactat. Sed ut causam harum corporis affectionum ex animi contentione nascentium exponamus, animum ipsum corpore quasi uehiculo, et actionum suarum instrumento uti, sæpe diximus. Utitur enim spiritibus animalibus, qui à corde excitantur ad res omnes agendas. Ideo si animus aliqua in re diu sit intentus, quoniam frequentius spirituum è corde ascendentium fluxione uititur, iidemq; spiritus quasi uapores calore sublatis labore perpetuo tandem deficiunt, caloreq; consumuntur, corporis imbecillitas sequitur. Vnde studiosos, qui animo maxime laborant, paulatim confici uidemus. Quemadmodum enim, si sol perpetuò uapores à terra excitet, nulla uicissitudine aut intermissione facta, uapores tandem uix sufficerent, terraq; arefceret: sic etiam, si animi feruor et studium uel discendo, uel uigilando, cōtendendo ue incumbat sine intermissione rei alicui, animales spiritus, qui animi uehacula sunt, exhauriuntur. Quibus debilitatis, et salutis uitæq; periculum est, et animus suo munere uti rectē non potest. Hæc ergo sunt corporum debilitatis genera, et cause, ex eo quod animus ualentior est. tunc enim idem exultat in corpore: id est, nulla corpore salutis cura habita, totus ad res agendas intenditur: is autem intentus esse diu nō potest, quin corpus debilitetur. Nam cum corpus, Galeno auctore lib. 1. de Sanitate tuenda, bisariam consumatur, uel etatis decursu, cum naturalis calor paulatim decrescit: uel asiduo fluore, cum uigente calore, partes aliquæ propriæ substantiæ semper decedunt, posterior sanè modus corruptionis contentione animi nimia fit, dum ad illum partium fluorem debitum alimentum non accedit: quoniam calor naturalis ciborum coctor, qui cibos in propriam corporis substantiam commutat, à uentriculo auocatur, et à partibus,

bus, quæ curam distribuendi alimenti habent, ad sensuum organa transfertur, malaq; ciborum cōcoctio fit, ac prauo alimento corpus uitiatur, et deficiente conficitur. Ergo prima imbecillitatis causa est, mala ciborum concoctio, et alimenti distributio: secunda, quæ ex illa nascitur, spirituum uitalium ex alimento in corpus iam distributo inanitio. Siquidem et alimento spiritus, et spirituum ad cerebrum accessio ne sensuum organa utuntur. Atq; ita corporis animiq; copula diu conseruatur. eorum autē alterutro deficiente, salutem deficere necesse est. Hoc igitur modo corporis imbecillitas fit, cum animus ualentior est corpore, nullamq; salutis rationē habemus. Hinc etiam multos fluxus siue *πρὸς ματα* nasci Plato inquit: quoniam suspensio calore stomachi, mala fit concoctio. ex hac autem uitiosi seculemque uapores gignantur, qui uel ad oculos, uel nares, pectus uel confluunt, uariosq; gignant morbos. Causa uerò, cur huiusmodi uapores ad cerebrum ferantur, ut Galenus inquit, est, quod ut quedam corporis particule nutrimentum ab alijs trahunt, ita quoq; aliæ excrementa egerunt in alias: ut ex iecore in fel ac lienem sanguis prauus effunditur. Ergo in cerebrum, quod maxime imbecille ac frigidum natura est, ualentior calidiorq; uentriculus uapores male coctionis emittit: ex quibus rores quidā, ac fluxus, qui *πρὸς ματα* communi nomine dicuntur, fiunt. Itaq; communis causa fluxionum est, cerebri uaporibus oppleti instillatio: quanquā inflamatio etiam causa esse potest. Cum autem fluxus ille à cerebro in partes diuersas deriuatur, uaria nomina sortitur, ut Galenus docet. nam si ad os confluat, distillatio dicitur: si ad nares, grauedo: si ad fauces, raucedo. Ex quibus uarij nascuntur morbi, de quibus medici prolixius.

Rursus quando corpus grande et pigriori mole superexcedens, pusillæ exiliq; cogitationi animi copulatur. Eadem intemperies animalibus est, si corpus sit uastum, atq; si nimium imbecille. Quemadmodum enim intentio animo corporis uires remittitur, sic etiam ualente corpore uires animi hebetiores fiunt. cuius rei causam esse Plato inquit, quod cum duplex sit hominis cupiditas naturalis: una sciendi et inuestigandi ueri, quæ mentis propria est: altera appetendi cibum, potum, ceterasq; corporeas uoluptates, quæ peculiaris est animæ appetitorie: repugnantibus quidem his inter se, et mutuò reluctantibus, necesse est alterutram earum duarum partium inferiorem esse, superante altera. Vt si mentis cupiditas superior euadat, appetitorie uis deprimatur, uigetq; tum mens, ut cum corpus debilitatur: contra uerò, si propter corporis molē appetitorie cupiditas hominem ad uitia instiget, ratio tunc deiicitur, corpusq; uiget, quia se animal corporeis uitijis dedit. Atq; hinc uariæ animi affectiones nascuntur, ut obliuio, hebetudo, indocilitas, eiusmodiq; alia rudioris ingenij signa. Hæc demum sunt, quæ ad animi morum, ac temperationis corporeæ mutuam con-

secutionem explicandam Plato docuit. nunc ad animi descriptorum morborum curationem tradendam progreditur.

Vna demum est ad utrunq; salus & conseruatio, ut neq; animam sine corpore, neq; corpus absq; anima moueamus: ut mutua contentione exæquatis inuicem uiribus insurgentiā, bonam totius ualitudinem tueatur. Quapropter quicumq; mathematicis doctrinis operam dat, aut cuius mentis indagationi uehementius studet, debet etiam motum corporis adhibere, & in gymnastica exercitatione uersari. Ac rursus, qui summa corpus diligentia firmat & cor roborat: animæ quoq; uicissim motus adiungere, musica, & omnibus philosophiæ studijs usus: si modò quis iure bonus simul, & pulcher sit appellandus. Similiter quoq; partes curare debemus, totius speciem imitati. cum enim corpus ab ingredientibus incendatur intus, frigidum uel fiat, & iterum ab externis aridum madidum uel redatur, & quæ deinceps hæc sequuntur, perpetiatur: quando quis otium agens, corpus motionibus his committit, superatum ab his dissoluitur. At si quis in curando corpore illam imitetur naturam, quam altricem uniuersi uocauimus, ita ut nunquā torpere permittat, sed moueat semper, iugiq; agitatione internis externisq; motibus secundum naturā ubiq; resistat, & moderata quadam cōmotione aberrantes passionis corporis, partesq; cognationis, ratione seruata uicissim, in ordinem redigat, & exornet: secundum sermonē illum superiorē, quem de uniuerso habuimus, nequaquam sinet inimicū inimico ad motū, prælia in corpore morbosq; cingere: sed efficiet potius, ut amicum adhaerens amico, sanitatem corporis tueatur. Omnium uerò motuum optimus ille est, qui in semet ex se ipso fit. Nam & mentis, & totius ipsius motioni cognatissimus est. Qui uerò ab alio fit, deterior. Deterimus autē motus, quando iacens & quietem agens corpus, ab alijs secundum partes mouetur. Quapropter purgationū cōstitutionumq; omnium corporis, quæ exercitatione

H 3 gymna-

gymnastica fit, saluberrima est. Proximè ad hanc accedit uectio facilis, siue naui, seu quouis alio uehiculo peragatur. Tertia commotionis species tunc demum, cum summa cogit necessitas, utilis, aliter uerò nullo modo sanæ mentis homini suscipienda: Medicorum illa purgatio est, quæ pharmacis, id est solutiuis medelis fieri solet. Morbi enim nisi periculosissimi sint, pharmacis irritandi non sunt. Omnis namq; morborum cōstitutio animalium naturæ quodam modo similis est. Sanè animalium compositio ab ipso generationis exordio certis temporū curriculis terminatur, idq; & genus uniuersum patitur, & animal unumquodque ab ortu fatale uiuendi spacium in se ipso, exceptis necessarijs passionibus, continet. Etenim trianguli ab ipso initio singulorum uim possidentes, usque ad certū tempus sufficienter ad usum uitæ cohærent: ultra id uita nemini prorogatur. Idem quoq; cōstitutio nis modus languorib. conuenit. Quos si quis citra fatalē tēporis cursum pharmacis amputare cōtenderit, ex paruis ingētes, ex paucis multi euadere cōsueuerunt. Quapropter diligentia uictus corrigendi & gubernandi sunt morbi, prout cuiq; datur otium: neq; difficile infestumq; malum pharmacis instigandum. Ac de communī quidem animali, & parte illius corporea, qua diligentia regenda & gubernanda sint, ut ratio uiuendi seruetur, satis est dictum. Ipsum uerò quod gubernaturū est, multo magis, ac prius ita pro uiribus instruendū est, ut quā optimè atq; pulcherrimè ad regendum sit præparatū. Exacta quidē huius rei discussio propriam sibi & integram disputationem exigeret. Quantū uerò fortè ad id, quo de agimus, attinet, si quis per superiorum uestigia gradiatur, non absurdè sic maxime procedēdo, ad commodū istorum finem perueniet.

Multas esse hominis affectiones, quæ ex corporis imbecillitate, uastitate uel nascantur, diximus. Eadē autem cum magna ex parte extirpari possint, si diligentem curam adhibeamus, enitendū est, quod Plato inquit, ut corpus simul cū anima, uel animā cum

corpore simul moueamus: hoc est, ut cum uita modū teneamus, quo prauam corporis naturā emēdemus, animiq; morbos curemus. Nam si corpus sine anima mouerimus, id est, si affectiones corporeas sine rationis iudicio sequamur, uarijs perturbabimur affectibus. Quod si rursus animam moueamus sine corpore, id est, si nulla salutis corporeæ habita ratione, totos animi contemplationi nos dederimus, animumq; semper ad res agendas intenderimus, in uarios itidē morbos, quibus animus impediatur, incidemus. ideoq; nō tam peccant ij, qui animum nunquam excolunt, sed corporis curam solum habent: quā qui cōtempta corporis incolumitate, actioni, contemplationi uel semper incumbūt. Igitur temperatio quædam media seruanda erit, ut nec corpori nimium indulgeamus, ne animus offuscetur: nec animū rursus adeo intendamus, ut corpus debilitetur. Atq; hæc est Platonis sententia in uniuersum statuta, quemadmodum Plutarchus etiam in lib. de Præceptis sanitatis tuendæ declarat: qui Platonis hunc locum, sicut nos, interpretatur. Quapropter quicumq; mathematicis.) Ad excolendum animum, salutemq; tuendam, duo nobis remedia Plato proponit: disciplinarum conueniens studium, ut mathematicarum, aut alterius contemplationis: et exercitationem corporis. quorum illud ad animum excolendum pertinet, hoc ad corporis conseruandam salutem. Ergo duo hæc potissimū prudentis hominis officia erunt: Platonis præcepto: disciplinarū studium, sciendiq; cupiditas, quam philosophiā appellare possumus: & moderata corporis exercitatio. his enim & animi uires augentur, & sanitas corporis cōseruatur. Siquidem, ut Galenus in lib. de Consuetudine, locum hunc Platonis declarat, usum quidem, & exercitationē corporis, & animi robur addere, uiresq; mentis augere: contraq; otium debilitare, & Hippocrates, & post illum Plato affirmant. Hinc enim uidemus agrestes & rudes homines doctrina cultiores fieri, contra uerò infirmos exercitatione reddi robustiores. At cum hic Plato mathematicarū studium commendat, intellige, illum adeo earum disciplinarum studiosum fuisse, ut hoc potissime discipulis suis commendaret, propter utilitatem ac certitudinem. Nam in Epinomide inter eas artes quæ sapientem reddant hominē, mathematicas ponit: & in libris de Repub. pueros Arithmetica assuescere præcipit, ut ab ineunte etate animum à rebus sensibilibus auocare discant. & pro foribus Academicæ, in qua docebat, huiusmodi inscriptionem habebat, ὁ δὲ ἀνεμύνηται τοῖς ἐπιστήμασι: id est, Nemo Geometriæ ignarus accedat. In omnibus deniq; libris magnificat easdem illas artes, ut in præcedentibus uidere licuit. Ac rursus qui summa corpus diligentia firmat.) Duobus superioribus aliud non minus utile remediū adiungit Plato, ad animi tedium, laboresq; leuandos. Idem autem est, ut honesta aliqua, & ingenuo homine digna iucūditate animus deliniatur: uel

uel incunda alia contemplatione, ut Philosophica delectetur. Nam huiusmodi quidem delectatio laboris fastidium lenat, corporis defatigationē tollit, et animū simul excolit, pulchrumque reddit. Ac si uera animi, uti diximus, pulchritudo est, fieri cum primae intelligentiae simillimum: idque nulla ratione commodius fieri potest, quam si à corpore sese extricet, atque erigat in diuinorum contemplationem: profectò ad hoc maximè musica, et philosophiae studia cōducunt, quae praeter magnam uoluptatem, quam praestant, planè intelligibilem animum reddunt. Atque hic est uerus animi motus, ut Plato uult, quo se ille ad auctorem suum cōuertit. ibique inheret, ut summam uoluptatē simul cum intellectu capiat, quem admodum latius Plotinus in lib. de Contemplatione et uno docet. Similiter quoque partes curare debemus, totius speciem imitati.) Quoniam multum refert, quam uita rationem unusquisque teneat, aut quo pacto sese gerat, eandem corporis et animi exercitationem explicatius proponit: ac non solum communem quandam rationem adducit, sed singularem etiam, tum ad animi curandos affectus, tum ad corporis salubritatem seruandam. Itaque cum corporis exercitationē in uniuersum adhibendam esse dixisset, nunc rursus sigillatim modum praescribit, quo corpora exercere, ualitudinemque curare possimus. Atque ita inquit, curandas esse singulas corporis partes ad uniuersi formam, quoniam equum sit non tantum singulis partibus corporis consulere, sed toti etiam composito, idque uniuersitatis exemplo. Nam cum mundi totius imaginem esse hominem dixerimus, atque eiusdem corpus simili quadam connectione qualitatum constet, atque ipsa uniuersitas: ad id nunc alludēs Plato, rationem uniuersitatis mundanae imitari nos iubet in corpore uniuerso, et in singulis eius partibus curandis. Siquidem mens nostra eodem ferè modo corpori praest, quo toti uniuersitati Deus: et ut hic mundo uniuerso, eiusque partibus prouidet, ita ille auctoris sui exemplo totius corporis, singularemque partium curam habet. Sed ut nos Platonis uerba interpretemur, singula enodatiùs explicentur. Cum enim corpus ab ingredientibus incendatur intus.) Id est, cum corpus nostrum ex perpetua ciborum accessione, qua alitur, quatuor omnes qualitates internis suis cognatas accipiat, quia cibus omnis iisdem quatuor necessariò constat, ut corpus alatur: fit, ut natiuus calor, assumpto cibo, quasi nouae materiae accessione augeatur, et incendatur, ut Plato inquit: idemque refrigeretur ab externa frigidityte aeris et cibi, atque eadē ratione humefcitur et siccat, pro assumpti cibi qualitate. Hac enim ciborum qualitatum accessione innatae corpori qualitates aluntur, et augentur. Hoc cum ita sit, necesse est totum corpus exercitatione corroborari, ne otio delitescens ab iisdem qualitibus dissoluatur, dum motu conuenienti careat. Nam frigiditytas extrinsecus accedens, uel siccitas, uel ca-

lor, uel humor agglutinari corpori nequeunt semper, si perpetuo otio idem langueat. Vnde multos cernimus, qui magno otio torpentes, dissoluti, imbecillique redduntur, cum ciborum assumptorum alimentum cognatis partibus corporis non adhaereat, sed uel fluctuet, uel in prauos humores degeneret. Atque hanc quidem ob causam dissolui corpus otio Plato inquit, cum à frigidis, calidis uel, aut alijs qualitibus ingreditibus superatur. Quocirca necesse est, corpus moderata exercitatione excitari, ut partes eius confirmentur, usque consolidentur, ne longo otio torpeant. Nec enim, ut Galenus ait in lib. de Consuetudine, minus prodest moderata corporis exercitatio, quam aut cibus, aut potus. Hanc igitur exercitationem summo pere nobis commendans Plato, imitari nos precipit uniuersitatis naturae rationem in mouendo corpore: ut quoniam uniuersi imago quadam sumus, ipsum tanquam exemplum imitemur. Et quemadmodum ille ex mutua qualitatum uicissitudine, commixtione, alteratione agitur, ac nunquam quiescit, ut perpetua sit rerū generatio: sic nostri corporis natiuae qualitates, ciborum et alimentorum accedentium qualitibus permixtas, exercitatione confirmare debemus, ne otio dissoluantur. Nam si calor naturalis frequentibus ciborum ingurgitatione obruatur, nec labore aliquo quasi uentiletur, extinguetur profectò, ac cibum minimè concoquet. Itaque moderata exercitatione cibi sumpti recte coquuntur, coctique partibus nostri corporis adhaerescunt, dum calida calidis, frigida frigidis, atque eodem modo singula cognatis suis partibus agglutinantur: ut in ipsa etiam uniuersitate, ignis in naturalem suum locum, aqua et terra et aer in suum sponte feruntur. Quoniam autem motus huiusmodi, qui ab hominibus editur, ab anima ipsa fit, quae initium est mouendi, propterea Plato inquit: At si quis in curando corpore illam imitetur naturam, quam altricem uniuersi uocauimus.) Id est, si motum et impulsus mundanae animae unusquisque imitetur, ut quemadmodum illa uniuersitatem mouet et sustentat, ita animus humanus totum compositum ex anima et corpore cieat et uegetet, nec torpeat otio, fiet ut cognatae ciborum partes cognatis suis partibus adhaereant, commodaque corporis uegetatio fiat, nec contrarius ordo seruetur, dum propter malam coctionem mali fiant humores, malumque alimentum. Atque haecenus Plato, utilitatem et usum exercitationis corporeae proposuit: nunc ad reliqua pergamus. Omnium uero motuum optimus ille est, qui in semet ex se ipso fit.) Cum corpus esse mouendum, exercendumque Plato docuerit, nunc quo genere motus fieri id debeat, exponit. Sed antè tamen diuisionem quandam motuum adducit, ut quis eorum sit optimus, ostendat. Tria itaque motuum genera proponit nobis, et cum eo philosophi plerique: unum, eorum quae cum immobilia prorsus sim, ab alio impelluntur: ut sunt corporum proiectionum

Horum motus. alterum, illorum quæ cum moueantur ab alio, ipsa quoque mouent: ut elementorum, quæ natura sua mota, mouent quoque mixta corpora. tertium denique eorum quæ à seipsis ciuntur, ipsaque sibi motus principia sunt: ut animalium. Omnis igitur duobus superioribus generibus, ultimum est optimum, Platonis sententia, idemque proprium animalium, quæ naturalem mouendi se principium ab anima impellente habent. Igitur cum sola animalia in semetipsa moueantur, quod internam habeant motionis vim: optimus erit motus huiusmodi, cum idem et motor sit, et motus, diuersa ratione. Nec tamen disputare hoc loco oportet, an diu anima corpus mouet, immota maneat: an moueatur etiam, illo moto, id quod inter Platonem et Aristotelem controuertitur. Sed id solum dixisse satis sit, animam quidem ipsam animalium motus internum principium esse, ideoque motum hunc optimum esse omnium, ac mentis et uniuersitatis proprium. Mens enim, ut antea diximus, circulari motu à se ipsa mouetur, et in se 20 redit, atque eadem ratione mundi anima. Quare cum optimus motus ille sit, qui animali est à natura institutus: contraque is deterrimus, qui ab alio impellitur, sit, ut si corporis motum sequamur, qui alio impellente sit, quasi rudia corpora desides torpeamus, ideoque in multos morbos propter otium incidamus. Quod si uero motum animi proprium eligamus, habiliores, robustioresque efficiamur. anima enim tunc suo munere mouendi recte utitur: corpus etiam quasi organum illi paret, hoc est mouetur. Vtroque autem moto 30 salus, ualeitudoque animalis conseruatur. Quia in re cum optimum illum motum Plato nobis commendat, minime quidem uult, circulari motu uti nos, cum exercemus: id enim esset ridiculum: sed ut animi motu, id est iudicio et consilio in exercitationibus utamur: et, quod antea dixit, corpus sine animo minime moueamus, sed ille semper quasi princeps præsit, hoc illi subijciatur. His ita propositis, quando quis sit optimus motus, et animanti utilissimus constet, tres nobis eiusdem motionis modos Plato præscribit, quibus uti ad exercendum corpus debeamus. Primò gymnasticam: secundò facilem uestitionem, siue in naui, seu quouis alio uehiculo: tertio, commotionem uehementiorem corporis. Ex his tribus primas tribuit gymnasticam, quod saluberrima sit omnium corporis purgationum: secundas facili uestitioni, tertias commotioni: quam non aliter adhibendam esse censet, quam si necessitas urgeat. Sed nos trium istorum rationem breuiter explicemus. Gymnastica quidem, ut ab hac incipiamus, pars quedam salubris artis est, Galeno auctore: siquidem eius finis in bono corporis habitu efficiendo uersatur. Hæc eadem medicinae subijciatur, quoniam non minima eius artis pars in sanitate tuenda consistit. Atque ideo Galenus ad Thrasylbulum scribens, dieteticæ medicinae parti subijcit gymnasticam, eamque paulo ante Platonis etatem inuentam esse dicit. Hanc, ut pote uti-

listimam humanæ salutis, Plato in Gorgia medicinae adiungit. Duplicem enim ille artem ait circa corporis sanitatem uersari: unam gymnasticam, alteram medicinam, utranque tamen circa idem subiectum, et eundem curationis finem consistere, quamuis ambæ diuersa ratione distinguantur. Quatenus enim medicina morbis adhibet remedia, distinguitur à gymnastica: quatenus uero exercet solum, hæc rursus ab illa seiungitur. Itaque gymnastica hæc homini necessaria est, non aut illa qua utuntur athlete. Nam duplicem idem Plato gymnasticam facit, et eundem sequutus Apuleius in lib. de Philosophia: unam sanitatis tuendæ, exercendi que corporis. quæ laudat summo opere, quod corpus prauis humoribus purget, rectamque temperiem efficiat: alteram athleticam, quæ uituperat, quod uires prosterнат, prauumque habitum corporis gignat. Iam uero ut de secundo genere exercitationis dicamus, cum uestitio omnis moderatè corpus moueat, salubris admodum est, et ad tuendam ualeitudinem aptissima. siue enim equo, siue curru, seu naui uehamur, corpus agitato uehiculo impellitur, sed medio critet. Eodemque modo cum deambulamus, exercemur etiam: sed non adeo purgat exercitatio hæc, nec partes corporis adeo confirmat, quam gymnastica. Postremo tertius ille modus, quem sine magna necessitate nunquam esse adhibendum Plato dicit, uehemens est: uelut ille, quo utuntur athlete. siquidem corporis temperiem nimio labore dissoluit, studioseque homini perniciosus est. Nam præter id quod corpus 30 fatigat, robustam quandam et immanem constitutionem efficit, quæ rationi minime consentanea est. Atque huiusmodi motionem Galenus luctatoriam et *ναβαλινικήν* nominat, et ab omni re bene constituta reijciendam censet, quoniam ad prauas affectiones corpus traducat. Cum ergo motionis hoc genus inuile prorsus sit, ac non solum à Platone in Gorgia, sed à Galeno etiam explodatur, adhibendum nunquam erit, nisi cogente necessitate, cum uel magna uitiosorum humorum copia corpus obruit, 40 uel cum in aliquod uite honorisque discrimen incidimus. Medicorum illa purgatio est, quæ pharmacis, id est solutiuis medelis uti solet. Hactenus exercitationes nobis utiles ac faciles exposuit Plato, sed quia multi corporis morbi frequenter exoriuntur, cum eiusdem temperies mutatur, horum curationem ut à nobis alienam medicis committit. medicus enim, ut Galenus ait, inter alia munere purgandi uti debet, ut ea ratione uitiosum humorem, qui morbum affert, expellat. Purgationes autem uarijs modis fiunt: uel sanguinis missione, uel humorum purgatione, uel alijs denique modis, quos medici præscribunt. Cum ergo medicorum munus hoc sit, pharmacam morbis accommodata adhibere: efficiendum est tamen, ut Plato docet, ne leui morbo magna statim remedia, et acria applicemus. sic enim temperiem corporis perturbabimus, ac morbos irritabimus. Id quod Galenus eleganter, docēs non esse continuo le-

uibus

uibus morbis uehementē curationē adhibendā p̄ci-
pit: sed leui remedio utendum, ne habitus corporis
labefactetur. siquidē, Hippocrate autore, morbis ex-
tremis remedia extrema, leuiorib. autem leuia sunt
accommodanda. Atq; huius rei causam exponens
Plato, omnium ait morborum genera cuiusq; ani-
malis constitutioni similia esse. alia enim animalia
morbis alijs frequentius laborant, quā alia: quo-
niam naturam habent ipsi obnoxiam. uelut homi-
nes calidi et humidi, procliuioribus sunt morbis, quā
sicci et frigidi: quia uidelicet humiditas cum calo-
re facile corrumpitur. Cum itaq; cuiusq; animan-
tis natura ad peculiare morbos procliui sit, conue-
nientissimum erit, facilia remedia cuiq; pro natura
sua adhibere. Atq; hoc Plato apertius confirmans
ait: καὶ γὰρ ἡ τῶν ζῴων φύσις ἐχρᾶται ταῖς ἀσθενείαις
τῆ βίᾳ γινέται χρόνος, τῷ γένει ὑμῶν πάντες. id est,
Horum namq; morborum concursus p̄scripta ui-
tæ tempora uniuersi generis animantium habet. di-
uersis enim temporibus uitæ hominis diuersi morbi
nascuntur: atq; alij proprij sunt iuuentutis, alij pue-
ritiæ, alij senectutis, alij demum ætatum aliarum.
Quemadmodum enim, postquam orti sumus, ad cer-
tum uitæ tempus augemur, indeq; paulatim con-
tabescimus usq; ad uitæ interitum: sic etiam singu-
li morbi pro ætatis ratione uariantur. Hæc igitur
est Platonis uera sententia in hoc loco, non ut
Latinus interpres existimat, qui sic trāstulit: Sa-
nē animalium compositio ab ipso generationis ex-
ordio certis temporū curriculum terminatur.) In
quo illud τῶν ζῴων φύσις, ad animalia, de quibus in
priori periodo Plato dixit, retulit, cum ad mor-
bos referre debuisset. sic enim Plato idem loquitur,
πάντα γὰρ ζῴων φύσις νόσων, τῶν ποτὶ τὴν τῆ φύσεως
φύσιν προσέειπε, καὶ γὰρ ἡ τούτων ζῴων φύσις ἐχρᾶται
ταῖς ἀσθενείαις τῆ βίᾳ γινέται χρόνος, τῷ γένει ὑμῶν πάντες. id est: Morborum constitutio animantium
naturæ quodammodo assimilatur. illorum enim con-
cursus p̄scripta habens uitæ tempora, fit pro uni-
uersi generis ratione. Itaq; illud τῶν ζῴων φύσις, ad
ζῴων φύσιν νόσων referendū est, non ad animalia. His
denum sic explicatis, Platonis sententiam sequa-
mur. Quando ergo accommodatos cuiq; animalium
naturæ morbos esse, eosq; singulis ætatibus adueni-
re Plato dixit: non concludens, non esse naturam ir-
ritandam acerbis. remedijs, cum opus non est, inquit,
ne ante p̄scriptum uitæ tempus animal pereat.
Quod ipsum rationibus alijs confirmans, triagulos
inquit singulorum animantium ab ipso ortu ad cer-
tum quoddam tempus uim colligationis habere: hoc
est, qualitatum constitutionem, qua corpus constat,
æternam esse non posse, quoniam omne colligatum
natura sua dissolui necesse est, et idcirco qualitates
ipsas ad certum uitæ sp̄acium coniunctas esse: eo au-
tem peractio, constitutio omnis dissoluitur, ac trian-
guli, id est qualitates dissipantur, et ad propriam re-
deunt naturam. Quod si ergo certum uitæ tēpus

unicuiq; animantium generi tributum est, ut omnes
affirmant, et experientia docet, insani certē homi-
nis est, acrioribus remedijs uti uelle, cum minime ne-
cesse est: ideoq; diætā, id est moderatā uiuendi ra-
tione utendum est, Platonis p̄cepto, ut non mo-
dō corpus, sed animum etiam, qui eius est quasi
pedagogus, excolamus. Hæc igitur est Platonis
sententia de tuenda sanitate, breuiter explicata. Ex-
go cum nostra hæc interpretatio Platonis senten-
tiæ conueniens sit, per illud διαπαιδαγωγὸς ὁ νοῦς,
corpus, quod instituitur, intelligamus: per δια-
παιδαγωγὸς ὁ αἰσθητικὸς ὁ νοῦς, animum ipsum, uitæ rationem
p̄scribentem. sic enim Platonis metaphora à
pedagogis sumpta, ad rationem uitæ explicandam
clarior erit. Quemadmodum enim pedagogi blan-
dē pueros instituunt, non plagis multis uexant: sic
moderatā uitæ ratione, non pharacis uehementi-
bus, salutem conseruabimus. Atq; hoc ipsum Plato
manifestius in his uerbis quæ sequuntur, declarat:

Ipsam uerō quod gubernaturum est, multo ma-
gis ac prius ita pro uiribus instruendum est. Id est,
animum ipsum, qui p̄dagogus et gubernator to-
tius animantis est, cum primis excolere oportet, ut
suo munere recte utatur. Sed hac de re breuiter di-
xisse satis sit, ut Plato inquit: quando obiter de exer-
citationis usu et ratione dictum est, prout rei subie-
ctæ tractatio postulabat, non ut de illa exacte tra-
ctaretur. Quantulacumq; tamen dicta sint, ea quidē
ad propositum institutum satis erunt.

Sæpe in superioribus diximus, tres
esse animæ species in nobis, trifariam
distributas, singulasq; suos motus ha-
bere. Ita nunc paucis cōcludamus, quæ
cunq; illarum torpet, & à suis motibus
ocium agit, imbecillissimā necessariō
reddi: quæ uerō agit assidue, robustissi-
mam. Quapropter danda est opera, ut
species singule, motus suos inter se mo-
deratos cōuenienti tenore conseruent.
De p̄stantissima igitur animæ no-
stræ specie ita est sentiendum. Nempe
hanc Deus, ut dæmonem nostrū cuiq;
tribuit: hanc in summa corporis arce se-
dem habere dicimus, atq; ad cœli co-
gnationē ē terra nos tollere, tanquam
animalia cœlesti potius quā terreno
semine nata. Quod quidem recte ad-
modum dicitur. Vnde enim primus a-
nimæ datus est ortus, inde diuina uis
caput, radicemq; & originē nostram
prudentem suspendens, totum dirigit
corpus. In eo igitur qui concupiscen-
tiæ, & ambiciosæ iracundiæ affectibus
explēdis incumbit, necesse est opinio-
nes

res omnes mortales fieri, atq; eum quàm maximè fieri potest mortalem prorsus euadere, cum mortalem naturam pro uiribus auxerit. At eum qui totus discendæ ueritatis cupiditate flagrauerit, atq; omnem eius operam præcipuè in hoc uno impenderit, necesse est omnino, siquidem ueritatem attingat, immortalia & diuina comprehendere: & quatenus humana natura immortalitatē assequi potest, eatenus hūc penitus immortalem euadere, nulla uel delicta immortalitatis parte dimissa. Quinetiam cum semper diuinum colat, ipsumq; familiarem dæmonem in se habeat ornatissimum, præcipuè beatum fore. Cultura autē cuiusq; omnino una est, proprium cuiq; pabulum motusq; tribuere. Ei uero quod in nobis diuinum est, motus cognati sunt, uniuersi ipsius cogitationes atq; circuitus. Hos itaq; secutum unumquemq; nostrum, oportet discurfiones illas nostras in capite olim à prima generatione corruptas, per ipsam mundanæ harmoniæ reuolutionisq; intelligentiam ita corrigere, ut intellectæ rei intelligentem uim secundum pristinam naturam similem reddat, per quam similitudinē uitæ à Deo optimè nobis propositæ, & in præsentī tempore, & in futuro finem adipiscamur. Sed iam disputatio illa de uniuerso usq; ad generationem hominum nobis proposita, finem penè suum adeptā uidetur.

Quemadmodum sanitatis corporeæ rationem, ac ualitudinis tuendæ modum in superioribus descripsit Plato: sic etiam in his, ut totam de homine tractationem absoluat, de moderatione animi discribit. Quia in re paulo altius repetito exordio, ad ipsam iterum animi diuisionem redit, de qua dixit superius. Itaq; triplicem esse animi uim, iam constitutum est, rationalem, irascibilem, & appetitoriam: quarū quidē singulis propriæ insunt affectiōes, quæ hominē perturbāt, quibusq; curationē conuenientē adhiberi oportet. Ergo cū irascibilis et appetitoria rationali animæ adiūctæ sint, eadēq; sole perturbationibus sint obnoxie: contraq; rationalis ex sua natura nunquam, ex illarum autem propinquitate perturbationes contrahat: fit, ut alij sint proprii irascibilis affectus, alij appetitorie, alij demū ab utraq; proficiscētes ad rationalem perueniant. Nam irascibilis quæ ferox est, propria hæc sunt, ira, odi-

um, inuidia, arrogantia, superbia, huiusmodiq; affectus alij ex elatione animi nascentes. Appetitoria, quia cupida est, & abiecta, poculentorum auiditate, libidine, rei ueneræ appetitu, alijsq; id genus appetitionibus commouetur. Rationalis demum eorū nihil appetit, nisi quod illis acquiescens uitatur: atque hæc est illius perturbatio. Hinc patet, unicuiq; partium illarum accommodandam esse curationem, ut totum ipsum animal temperatum conseruetur. id autem fieri aliter non potest, quàm si (uti diximus) corpus exerceatur: eo enim exercitato, sedari eas necesse est. Vt si appetitoria, quæ nimium exultat, deprimatur: ea uero quæ submissa est, excitetur, nimirum irascibilis: atque eodem modo uice uersa, unaqueq; pars proprios motus seruet. quod quidem latius in libro de Cognoscēdis curandisq; animi affectibus Galenus, ex hoc Platonis loco declarat.

De præstantissima igitur animæ nostræ specie ita est sentiendum.) Quoniam rationalem animā habere suos affectus diximus, operæ precium est, ut eos quoq; discernamus, ut morbo cognito, curationem adhibeamus. Sed ante tamen quàm ea de re dicam, breuiter cum Platone docere oportet, quo pacto eadem rationis particeps anima corpori annexa sit, aut qua ratione dæmon esse dicatur. Quo explicato, Platonis uerba exponentur. In primis ergo, ut rem paucis complectar, quando multa de hac re dicta in superioribus à me sunt: anima quidē corpori ex Platonis sententiā ita copulatur (ut Nemesius etiam testatur) ut ea ipsa illi infundatur non admixta, sed quasi illud induens. Quod ita interpretatur Ammonius, ut quod intelligibilia omnia, quamuis sensibilibus copulentur, minime permisceantur, nec cū ijs confundantur. ideoq; animam, utpote intelligibilis naturæ, uniri quidem corpori refert, non tamen cū eo confundi: aut illo commutato, ipsam mutari. Itaque ueluti habitum quendam præsentia sua corpori inherere dicit, quemadmodum amatorem uinum in amata detineri dicimus. Hinc liquet, animam corpori annexam præesse, ut illud impellat, & animet: sicut forma materiam uegetat, & informat. Hæc itidē anima, quatenus à corpore separabilis est, & intelligibilis, diuinū semen, ac cœlestē à Deo traditū, & in capite positū, à Platōe dicitur. His ita propositis, restat nunc inquirendū, cur dæmonē rationālē animā uocet, itemq; qua de causa immortalis anima propter uitia fieri mortalis dicatur: aut cur ediuerso propter studiū ueritatis, & exercitationē, immortalis ac diuina eadē fiat: ac demū, quo pacto immortales reddamur, si familiārē dæmonē coluerimus. Primo ut singula ordine declarētur, anima quidē rationis particeps, ut Proclus in lib. de Anima & dæmone annotat, quæ corpore utitur tanquam uehiculo, nec ei subijcitur, dæmon hoc loco à Platōe uocatur. Cum enim dæmon media quædā essentia intelligibilis sit inter homines ac deos, ex Platonis sententiā, dæmonumq; ordines quinque sint, auctore Iamblichō,

Iamblichus, trifariam esse demonas intelligimus. primo essentia, ut sunt iidem illi, de quibus modò diximus: secundò comparatione, ut sunt omnes ij qui ordinem aliquem ad inferiora habent, generationemq; è proximo disponunt, qui communi nomine officij demones appellantur (cuiusmodi sunt illi, de quibus Plato antea sic loquutus est: De alijs uerò demonibus tractare, eorumq; generationem in lucem edere, maius opus est, quam pro humano ingenio) tertio demum habitudine dicitur demon, qui unicuiq; prouidet uitamq; ipsius tuctur: cuius etiam meminit Socrates in libris de Rep. cum demonas, id est animos qui rectè uixerint, in meliorem conditionem transferri ait. In hac ergo significatiõe demon dicitur animus à Platone, ut Proclus annotat. Iam uerò, ut ad secundum, quod proposuimus, accedamus, hoc modo anima rationalis, testante Nemefio, ceterisq; Platonicis, mortalis, aut immortalis fit. Homo, uti sepe diximus, medius est inter rationalia, et irrationalia. Partem siquidem utriusq; habet. rationalis enim pars est mens, irrationalis uerò appetitoria, et irascibilis. Quod si ergo idem naturæ suæ medium non seruauit, sed in partem alterutram declinauit, ad eam naturam magis accedet, ad quam declinat. Itaq; si rebus corporeis sese dedat, rationis expertus fiet, et eodem modo mortalis, quemadmodum bruta animalia. Quod si rursus intelligentiam sequatur, rationi q; pareat, contemptis corporis uoluptatibus, uerus homo intelligibilis atq; immortalis red-detur. Hanc ob causam dum uirtutes sequitur, im-
 30 mortalem: et dum uitia, mortalem fieri hominem Plato intelligit. Porro tertium illud à nobis propositum ex superioribus sequitur, nimirum demonem familiarē excoli per uirtutes. Nam per demonem, rationalem animam corpore utentem, hic Plato significat. Siquidem, ut idem Proclus testatur, bifariam homo intelligitur: uel quatenus animā, quoquomodo sit, habet, siue illa rectè, siue malè agat: uel quatenus eadem anima corpore uititur, ei q; im-
 40 perans, ad intelligibilia sese extollit. Quemadmodum etiam aliud est homo per se absolutè, aliud uerò homo doctus. Eodem itidem modo aliud est anima corpori utcunq; inclusa, aliud cum eadem illi imperat. Hæc ergo anima corpori imperans, et in naturam intelligibilem ascendēs, demon uocatur. Unde cum Plato hic ait, demonem familiarē nobis conseruari, ornatissimumq; reddi, si ueritatis uiam sequamur: perinde est, ac si dicat, animam rationālē, uerèq; intelligibilē, demonicam per uirtutes fieri. Cui interpretationi assentitur Plotinus in libro de
 50 Demone proprio, cum ait, tum nostrum animū demonem in se habere, cum aliquid sui ipsius presidēs sibi habet. Nam ut demones, Platonicorum sentētia rebus efficiendis presidentes, cuncta disponunt: ita in anima nostra, id quod presidet actionibus, id est ratio suo munere rectè fungens, est demon. Quam ob causam, inquit, animum sortiri bonum aut ma-

lum demonem, cum bonam aut malam electionē sequitur. qui enim semper bonus est, ac secundum rationem uiuit, bonum sortitur demonem: qui uerò contrā, malum. Ergo concessum cuiq; est, ut Plotinus existimat, demonem qualem cunq; eligere: hoc est, cum uitæ cursum sequi, quem uoluerit. At cum iam elegerit, mutare illum non potest. ut si quis libidinosus natura sit, demonem (ut ille ait) uenerum habet, quem, siue à libidine abstineat, siue non abstineat, semper retinebit: neque enim unquam demonem illum, id est eiusmodi propensione amittet. Quare demon nec planè extra nos est, ut idem docet: nec uerè nos ipsi sumus, sed habitudo quedā est rationis rectè aut malè suo munere utētis, ad actiones animalis disponendas. Atque huiusmodi etiam demon ille Socraticus, à Platone toties celebratus, fuisse uidetur: de quo Plutarchus, et Apuleius, dictis ad id libris, scripsere. Hinc constare iam existimo, cur Plato in hoc loco animam rationalem demonem appellet, et quo pacto illum excolere possit nos dicat. Cum autem partium duarum animæ rationalis, et irascibilis, et appetitorie officia exposuisset, rationalis postea rectam functionem subiungit in his omnibus. Quam quidē uult, rectè corpore uti, singulisq; partibus proprias actiones prescribere: ipsam uerò rationem, quam diuinam nostri partem appellat, motum sequi uniuersitatis, id est intelligentiæ ordinem ac motum imitari. Nam ex duplici illo animi motu, quem suprà retulimus, motus eiusdem naturæ animam rationalem sequi Plato iubet: ut non solum corpori imperet, sed etiam ad intelligibilia sese erigat. Atq; hoc ipsum significans inquit: Ei uerò quod in nobis diuinum est, motus cognati sunt, uniuersi ipsius cogitationes atq; circuitus. Id est, Cum reliquæ partes animæ conuenientem culturā habeant: anima quoq; rationalis, quæ diuina est, suam habebit. Eadem autem erit, si motum intelligentiæ sequatur, sicut ipsa intelligibilis natura est. Itaque motus animi, cogitationes et intelligentiæ sunt: hi autem similes sunt motui uniuersitatis, quemadmodum suprà retulimus. Quocirca melius et apertius Græcè hæc, quàm Latine, à Platone sic dicuntur: τῷ δὲ θεῷ ὡς ἡμῖν εὐρυτέρως εἰς νῆψας, αἱ τὸ πᾶντος διανοήσας καὶ περισσοῦν. id est, Diuinæ partis, quæ in nobis est, cogitationes et circuitus, similes, sunt motibus uniuersitatis. De qua quidem similitudine cum plura superius dixerimus, nihil est quod nunc desideretur. Hos itaq; secutum unumquemq; nostrum. Hæc est complexio eorum, quæ Plato iubet ad animi rationalis exercitationem seruari. Nam cum idem, ut ex superioribus constat, motus habeat circulares, uniuersitatis conuersioni et concensui similes, nulla alia ratione commodius exercebuntur, quàm si uniuersitatis ordinem et constantiam imitentur, atq; ad naturæ intelligibilis contemplationem sese erigens, similis illi fiat, harmoniamq; motuum seruet: id est, sibi
 I 2 planè

planè consentiat, nec perturbationibus distrahatur. Ita enim fiet, ut & perfectam uitam in hoc seculo, & in futuro habeat, cum felicitatem fuerit adeptus. Atq; hinc intellige rectè factorum præmia, et uitiorum poenas, à Platone ubiq; statui, ueramq; sollicitatem in Dei, siue summi boni contemplatione poni: ut nos alibi latius docemus.

Cæterarum uerò animantium generationem, quatenus duntaxat necessitas postulat, pauca perstringemus. Sic enim modum in hac disputatione tenere sibi quisq; uidebitur. Verùm de his iam ita dicamus. Quicumq; uirorum iniusti, timidiq; uixerunt, quemadmodum probabilis ratio nobis ostendit, in generatione secunda in foeminas sunt conuersi. quo quidem tempore hanc ob causam dñj coitus amorem machinati sunt. Igitur in uiris unum quiddam, in foeminis alterum uitæ & animæ composita composuerunt. Ipsum potus discursum, quo per pulmões sub renes in uesicam defluens, & spiritui mixtus, elixusq; depromitur, dñj in fistulæ modum in compactam medullam à capite per ceruicem & spinā deriuauerunt: quod quidem sperma, id est semē, in superioribus nuncupauimus. Hoc autē, utpote animatum ac respirans, qua parte spirat, per eandem uitale effluendi desiderium gignit, atq; ita generandi amorē nobis inseruit. Quocirca pudendorum naturæ in uiris insita uis inobediens, atque imperiosa, & quasi animal nō exaudiens rationem furiosarum libidinū, uolētia subijcere sibi cuncta conatur. Vulua quoq; matrixq; in foeminis, eadem ratione animal auidum generandi, quādo procul à foetu per ætatis florem, aut ultra diutius detinetur, ægrè fert moram, ac plurimum indignatur: palsimq; per corpus oberrans, meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis uexat angustijs, morbis denique omnibus premit, quousque utrorumq; cupido, amorq; quasi ex arboribus foetum fructum ue producant, ipsum deinde decerpūt, & in matricem uelut agrum inspargunt. Hinc animalia primū talia, ut nec propter paruitatem uideantur, nec dum appareant formata, concipiunt: mox quæ conflu-

uerāt, explicant. Mulieres hunc in modum, & foeminae omnes sunt genitæ. Auium autem genus ex nostro ita est aptè cōformatum, ut pro pilis pennas acciperet. In hoc illi homines trāseunt, qui simplices & innocentes cum sint, leues tamē sunt, & frustra in rebus sublimibus curiosi: quī ue adeo fatui sunt, ut oculorum iudicio confisi, hoc altissima quæq; firmiter demonstrari posse non dubitant. Gressibilem uerò ferarum genus ex his natum hominibus, qui à philosophia penitus alieni, ad celestia nunquam oculos erexerunt: ex eo quod uolutionibus illis quæ in capite peragi solent, usi nunquam sunt, sed illas animæ partes secuti, quæ in uentre & pectore dominantur. Ex his utiq; studijs anteriora membra & capita ob ipsam cognitionem humi penitus defixerunt, in longum productum, ac diuersum corporis uerticē tenuere: quandoquidem ibi propter desidiam singulorū collisi sunt, & contracti circuitus. et ideo, quod quatuor pedum, ac etiam plurium est instituta figura, ut insipientioribus Deus maiore ex pedibus multis atq; progressu occasionem præstet, per quam magis etiam deflectātur ad terram. Eos autem qui horum in sapientissimi erant, corpusq; in terram penitus prosternebant, quasi nihil ultra pedibus opus foret, in corpora carentia pedibus, & humi serpentina permutarunt. Quartum genus aquaticum est, ex illis natum, qui stolidissimi & imperitissimi fuerāt: quos nostri illi transformatores pura respiratione dignos idcirco nō iudicauerunt, quia propter extremæ transgressionis iniquitatem, animam impurissimam prorsus habebant. Ideo ex tenui ac pura aeris illa respiratione, in aquæ respirationem profundam, turbidamq; merferunt. Vnde piscium, et ostrearum, ac deniq; aquatilium omnium orta est multitudo: in qua certè mutatione illi ex sedium extremarum habitatione, inscitiae quoq; extremæ dant poenas. Hunc in modum & olim, & nunc in se inuicē animalia migrant, dum mentis & dementiæ iactura uel adoptione mutantur. Iam igitur nostra

nostra hæc de uniuerso disputatio finē habeat. Mortalia enim & immortalia uiuentia mundus hic sortitus, atq; inde completus, ita deniq; factus est uisibile uisibilia comprehendens animal, intelligibilis Dei imago sensibilis, maximus, interminatus, pulcherrimus, perfectissimus, cœlum unum hoc, atq; uni genitum.

Post hominum generationem, antequā reliquorum animalium ortus explicet, foeminarum ortum subiungit. Cum enim animal rationis particeps uel masculum, uel foemineum sit, in eoq; genere præstantioris naturæ sit masculum, quā foemina, hætenus de maris generatione, nunc de foeminarum origine differit. Plato ergo earum generationem explicaturus, rem paulo altius repetens: In secunda, inquit, generatione, qua homines propter uitia in uaria animalium genera committant, foemine quoq; ex timidis hominibus ortæ sunt. Atq; hæc est secunda generatio, in qua semper minus præstantia post præstantiora gigni Plato docet, ut in superioribus ostendimus. Sed ut nos melius Platonis sententiam exponamus, in primis uideamus, cur ex uiris in secunda generatione foeminas oriri dicat: deinde quid intersit inter uirum & foeminam, aut in quo conueniant. Cum post mundi ortum hominis effectiōnem hætenus docuerit, nunc ut foeminarum ortum exponat, ex timidis inquit uiris illas generari: non quod ratione differam, sed quod accidentibus. Nam utriq; rationis participes æquæ sunt, quāuis uir sit perfectior. Itaque, ut medicis placet, foemine frigidiores sunt uiris, proindeq; imbecilliores: atq; ea de causa gigni ex ijs dicuntur à Platone in secunda generatione, quando constitutione quarundam partium corporis, ac temperatione à uiris differunt. Cuius rei causa est frigiditas, ut Galenus putat, quæ imbecilliores & molliores uiris foeminas reddit. Vnde quo præstantior est frigore caliditas, eo est uir foemina perfectior. Hinc etiā fit, ut timidiore sint foemine: quia frigus gignit timorem: & frigidioris naturæ homines timidi et effoeminati plerumq; sunt. Ergo sola frigiditas uiros à foeminis distinguit, ut Galenus uult: siquidē in foemine ac maris generatione in utero facta, calidius semen mares, frigidius foeminæ efficit. Et in ipsa quoq; seminis emissionē duo sunt uasa seminalia: unum dextrū, et calidius: alterū sinistrū, ac frigidius: per quorum illud semen ad gignendos masculos, per hoc ad foeminas deriuatur. Quo nomine ad ostendendam Plato foeminarum similitudinem cum uiris, illas inquit ex uiris fieri, quando frigidiores naturæ sunt. In quo, ad illam animarum commigrationem Pythagoreorum superius à Platone alludit. quoniam eadem uiri anima, dum in corpore uiuunt, sortitur corpus, ratione tamen non carens, quoniam animam efficit: atq; eadem ratione reliqua animalia, ut deinceps docebi-

mus. Igitur corporis constitutionem uariari censet ad animi mutationes, non illius naturam. Quod autem ex uiris foeminas fieri dicat, haud planè absonū rationi est, cum solo sexu distinguantur, ac uir ipse amputatis genitalibus (ut Aristoteles lib. 3. Animal. ait) in foemineam degeneret naturam: & sepe homines hermaphroditi, id est partim uirilis sexus, partim foeminei inueniantur, ut Plinius lib. 7. docet. Cui etiam sententiæ Platonis, auctoritas scripturæ sacræ uidetur fauere, cum initio mūdi ex Adami costā Euam à Deo factam Moses scribit. Ex quo intelligimus, primam foeminam ex uiro esse ortam, non eo modo quem dicunt Plato & Pythagorici, ut timidi uiri mutentur in foeminas, sed quod ex ipsa uiri natura foemine sint: nisi quod uir perfectior sit corpore, propter caloris uim. Quinetiam Eusebius lib. 12. Præparationis Euangelicæ, Platonem ait, ut alia multa, ita hoc ab Hebræis sumpsisse, ut foeminas ex uiris dicat esse natas: quemadmodū in symposio, sub Aristophanis persona, fuisse inquit olim homines hermaphroditos, seu androgynos, quod idem est: posteaq; à Mercurio diuisos in marem & foeminam, atq; ita duo hæc animantia inter se maxime coniuncta esse. Sed ille, ut ueritatis luce priuatus, quod scriptura sacrā apertè significat de generatione foemine ex uiri costā, fabulis confudit. Quæ etiam Hebræorum aliqui, quos uocant Rabinos, uidentur sequuti: qui cum illum Moysis locum exponant, connexum fuisse uiri cum foemine corpus initio dicunt, postea uerò diuisum. Sed nos his omisitis, ad uiri ac foemine discrimen, consensionemq; explicandam progrediamur. In primis quidem hoc conuenit foeminis cum uiris, ut Galenus lib. 8. de placit. Hippocratis & Platonis ait, quod utraq; rationis participia animalia sunt, eademq; corporis figura formaq; constans. differunt tamen, quod uiri natura est robustior, & ad actionem omnem aptior, propter caloris uim: contra uerò foemine imbecilliores, & propter frigiditatem ineptiores. Item distat, quod agendi uim habet uir, quia calor maxime agit: at foemina patitur, & uiro subiicitur. Porro cum eadem utriusq; corporis fabrica sit, in quibusdam tamen membris differunt, de quibus iam dicemus. Hæc est deniq; foeminarum generatio, & similitudo cum uiris, paucis explicata. Reliquū est, ut illud in quo uterq; sexus differat, cum Platone declaretur. Nam de eo in quo conueniunt, hoc est anima, corporis constitutione, partibus, sensibus, affectibus, exercitatione, ac reliquis, abunde est in superioribus dictum. At uerò pars illa foeminei corporis ad generationem apta, quia nondum est descripta, à Platone iam describitur, ut uniuersa rationalis animantis natura perfecta sit. Quo quidem tempore hanc ob causam dii coitus amorem.) Cum rerum omnium generatio alicuius finis causa producta sit, nihilq; temerè, ut Aristoteles ait, Deus & natura faciant, causam, cur foemine ortæ sint, Plato proponit, ut inde

naturam hanc differentem illarum à uiris exponat. Itaq; cum omnibus animalibus naturaliter quidā coniunctionis appetitus à natura sit tributus, ad uniuersum generis conseruationem: causam nunc Plato, cur foeminae ortae fuerint, reddens, inquit, amorem quendam naturalem coniungendi se cum suo genere animalium quoddam tum in nobis, tum in alijs animalium generibus: hoc est, quod ex una et eadē humana natura, ut ex ceteris animalibus, facta sit sexus quaedā distinctio, ut aliud sit mas, aliud uero foemina. Quo nomine unum est eadem rationis particeps animal: sed in nobis quidem, id est in uiris, masculinum est, in foeminis autem foemineum. Quando ergo corporis solum parte quadam, nimirum sexu, à uiro foemina distinguitur, eademq; sit uiri causa generata, ut illi sese coniungat, suiq; similem procreet: equum est, partem hanc à nobis describi, quam hoc modo Plato declarat. Ipsum potius discursum, quo per pulmones sub renes in uescicam.) Foeminarum corpus, ut Galenus lib. 14. de Vsu partium refert, hoc solum à utroq; differt, quod alterum genitalia, seminariaq; uasa eminentia propter calorem habeat, qui illa foras produxit: alterum uero eiusmodi ferre membra habeat, sed inuersa, et intra uterum formata, propter frigiditatem, quae prodire illa, prominereq; foras non finit. Hinc mulierum pudenda eiusdem figurae, atq; hominum esse inquit: nisi quod intra uterum inuersa, formataq; sunt, tum ad uirilis membri complexum, tum ad semen recipiendum. Nam per matricis collum uiri semen in sinus recipitur, ibiq; illa compressa, condensatur, formaturq; animal. Quare mulier ad perpeffionem generata, genitalium huiusmodi forma distinguitur à uiro. Verumtamen cum ad foetus generationem necesse sit, foeminae quoque semen coire, ut auctor est Galenus: uiriq; semen agendi uim habeat, mulieris autem semen patiendi: emissionem quidem seminis ex uasis seminalibus, itemq; uasorum eorundem positionem, in his Plato describit. Ipsum potius discursum, quo per pulmones sub renes in uescicam defluens, et spiritui mixtus, elisusq; depromitur, diu in fistulae modum in compacta medullam à capite per cervicem et spinam deriuauerunt: quod quidem sperma, id est semen, in superioribus nuncupauimus.) Sed ut nos haec, quae difficultia sunt, explicemus, primò quis sit iste potionis discursus, de quo Plato loquitur, et quomodo in corpore collocatus, doceamus. Discursus iste potionis, si rem intelligamus, nihil aliud significat, quam uasa uteri, per quae semē emittitur, quorū situs ex Galeni descriptione huiusmodi est. Duae sunt in homine uenae prope spinam in renes porrectae, quae semen continent, colligataeq; membranulis quibusdam sunt, per quarum dextram semen masculinū, per sinistram foemineum defluere ad testiculos, medici affirmant. Media inter has duas uenas posita est quaedā alia ueluti canalis, per quam urina in uescicam dela-

bitur. Itaq; totum illud quasi fœrcimen, ex tribus uenis colligatum, et prope spinam per renes transmissum, ad genitilia membra deducitur: ipse autem duae uenae, ex uena caua nascuntur. Quibus etiam, ut reliquis uenis, duae arteriae connectuntur, ut semen simul cum spiritu emitatur. siquidem ex sanguine uenarum illarum, admixto spiritu arteriarum, semen in uasis seminarijs gignitur, albumq; ac spumens fit. Atq; hoc modo uiri seminalia uasa sunt posita. Iam uero mulierū uterus in duas partes diuiditur, quae multis modis reflexae, similes quoq; duae uenae ijs quas habent uiri, amplectuntur, ita ut dextra uena masculinū, et sinistra foemininū semen contineat. Nam foeminae etiā, ut Galenus docet, semen, sicut uiri, emittunt: quanquam Aristoteles in lib. de Animalium generatione, contra sentiat. Deniq; ut uiri semen ex duabus illis uenis in testiculos prominentes elabatur, ita in foeminis semen idem ad testiculos quosdam inclusos et intra uterum inuersos defluit. cum ergo illarum semen ad testiculos illapsum, et uirili semini commixtum est, à uulua statim attrahitur per eius collum, et ad foetum formandum retinetur. Nam uulua magnam attrahendi seminis, retinendiq; uim habet, eademq; in utero sublimior testibus ipsis eminet, cuius aditus quasi collum est, per quod semen recipitur, ac foetus editur. Huic uero collo duorum testiculorum extrema colligantur, ita ut cum duabus uenis semen ad testiculos emittatur, ibiq; cum uirili misceatur, per uuluae collum attrahatur statim. In ipsa porro uulua amplius quidam sinus sunt, in quibus foetus continetur: qui pro illius magnitudine dilatantur, et contrahuntur. His ad Platonis sententiā explicandam propositis, uerba nunc interpretemur. Potionis inquit discursus in medullam spinam deductum esse: id est, illam complicationem trium uenarū quas diximus prope spinā, quae medullam è cerebro descendentem in uertebrae continet, annecti: non tamen uenas easdem in mediā spinam influere, aut medullae admisceri, nec enim hoc Plato putauit: sed illas spinae colligari, et per renes quae spinae annectuntur, transmitti. Quibus in uerbis potionem uocat cōmuni nomine, tum sanguinem per uenas illas defluentē, tum urinam per canalem mediam illapsam: quoniam magna potionis pars non minus in sanguinem uertitur, quam reliquus cibus: itemq; ex ipsa portione cocta urina simul cum alijs excreatis humorib. efficitur. Ergo per discursum illum potionis, complicationem uasorum dictorum intellige, quod Plato magis declarans ait: Quo per pulmones sub renes in uescicam defluens, et spiritui mixtus, elisusq; depromitur.) Id est, Eadem illa trium uasorū colligatio facta eo modo, quem diximus, est, per quam potio in uescicam defluit: id est, sanguis tum per uenas descendit ad seminalia uasa, tum urina in uescicam. Nec tamen semen in uescicam urinariam defluere intelligat: nec enim Plato in hoc solum uocat hic *ὁ ὅς*, sed cōmuni nomine recte utaculū illud mulieris, in quod semen

semē & urina delabatur. Quod aut potione hic pro semine capiat, ex ijs etiā intelliges, quod eandē potione extenuatā, spirituiq; mixtā esse inquit. Nam semen, ut Galen. docet, unā cum vitali arteriarū spiritu emittitur, extenuatusq; ac subtilis redditur propter calorem, qui in uasis seminalib. sanguinē coquit, & spumē ac albū reddit. Ideo duab. illis uenis per renes iuxta spinā in testiculos descendētib. due quoque arteriæ cōnectuntur, ut cū sanguis in semen mutatur, eidē admisceatur spiritus uitalis. Vnde ex nimio coitu spiritus multi confununtur, propter magnā seminis emissionē. Igitur potio illa, siue sanguis, ad semen accō. nodatus, per uenas cōmemoratas defluit. eadē aut per pulmones sub renes hic dicitur à Platone defluere, quoniā causa uena à iecore prope spinā ascēdēs, in duos ramos sese diuidit: quorū unus in dextrū cordis uentriculū, alter ad caput per uenas iugulares porrigitur. Tota uerō causa uena dum prope spinam erigitur, à pulmone annectitur, ne in dextrā sinistra' ue uacillet. Nam pulmo quinq; fibris quasi digitis cordi alligatur, quarū quimā uenæ cauece ueliculū est, in quo ea innitiitur. Hoc modo ergo potio, id est sanguis, ex quo semē fit, sub renes defluit: id est, pulmōi adherēs, & in renes defluēs, ad seminalia uasa recipitur. Hæc igitur hætenus de uasorū seminaliū situ, & usu. nunc de semine dicamus.

Hoc aut, utpote animatū ac respirās, qua parte spirat.) Descriptis seminarijs uasib. nunc usum seminis exponit Plato: aitq; ex illa potiōe, siue sanguine cū spiritu arteriarū cōmixto, semen in animalib. gigni: cōcocto nimirū sanguine, & in spumē humore, & candidū mutato. Generato aut semine, natura illud statim forās emittere ad generationem conatur: quādoquidem ex ipsa ciborum substantia partem capiūt membra omnia ad sui alimentum, partē uasa seminalia. Ergo ex seminis affluxu appetitus uenerēus nascitur, cum natura illud emittere appetit. Nam uasa seminalia, ut Galen. lib. 1. de Semine refert, semper sunt semine oppleta, ex quo uenerē rei appetitus animalibus est ingenitus. Ipsum uerō semen cum uita arteriarum spiritu admixtum sit, animatum, ac respirās à Platone hic appellatur. Nec enim esse generationis animalium principium posset, si facultatem aliquam uitalem ex animantis spiritu non haberet. Ideo semen idem multo cum spiritu emissum, facile condensatur ad fœtum formandū. Hinc constat, fœtum, quem Græci *μῆρυκα* uocant, animatum esse, ex Platonis sententia: qui, ut Plutarchus refert lib. 5. de Placit. philos. eundem animal nominat, quoniam moueatur & alatur. Aristoteles tamen uegetatricem & altricem animam, sicut plantis, illi tribuit: non tamen uocat animal. Nec uerō hic querere oportet, utrum cum eodem semine anima à parentib. traducatur, an gignatur cum ipso corpore post certum cōceptionis tempus: id quod difficilioris tractationis est, nec ad locum hunc pertinet. Sed nos ad institutum nostrum redeamus. Cum ergo semen spiri-

tibus uitalibus constet, ad generationem multiū efficit: præsertim uirile, quod in femineum agit, Galeni sententia. Qua de causa imperiosam uim membro uirili tribuit Plato: quod ex eo agendi uim habens effluat, idemq; in membrū muliebri agat, quod solum patitur. Atq; ideo propter naturalem seminis appetitum, animal generandi auidum muliebrem uuluum appellat. Nam ut Galenus locum hunc lib. 1. de Semine interpretatur, in utero mulieris appetitus quidam prolis inest, quo semen in se adducere semper cupit, præsertim si menstruum cessarit effluxus: tunc enim fit conceptio. Ergo ad explicandum muliebri uulue desiderū, adeo inquit esse auidū seminis illud animal, ut si aliquando detineatur, etate præcipuē florēte, per corpus passim oberret, et spiritū meatu intercludat, ac dolores affectiōesq; multas afferat, quousq; semen illud expetitū receperit. Quæ itidem locum Galenus idem lib. 6. de Locis affectis, cum de uteri affectiōibus loquatur, sic explicat, ut non tantum menstruum in mulieribus cessationem multos afferre utero morbos dicat, sed etiam seminis uehementem appetitum uulue. Quia enim eadem quasi animal quoddam prolis auidum est, si diu detineatur, antequā semen recipiat, acrior est appetitus, magnasq; affectiōes gignit: quoniam auiditate maxima uterus distenditur, eiusq; uasa usque adeo amplificantur, ut respiratio impediatur, animiq; deliquia sæpe fiant. Ex illa igitur uasorum conceptionis, utriq; distensione, matricem in diaphragmatis locum ascēdere, respirationisq; meatu intercludere in mulieribus quidam putant: cum tamen, Galeno auctore, minime possit ascēdere. Atque hoc modo uulue usum ac naturam explicuisse breuiter medicorum sententia, satis sit. Nunc fœtus formationem paucis demonstramus. Cum appetitus mulieris immoderatus expletur, recepto semine uirili in uuluum, ita fœtus formatur, ut cōmixtum uiri ac femine semē in coitu per matricis collū adducatur, in eiusq; sinibus recodatur. Eam enim uim habet matrix, ut in coitu distendatur, semenq; attrahat magna ui: quo adducto comprimitur, ne illabi illud possit. Inclusum ergo in matrice semē paulatim augeri, fœtus formari, singuleq; animalis particule gigni incipiunt: primoq; cor, ut censet Aristoteles lib. 7. de Animalib. formatur, quoniam uitæ principū est: postea iecur, quod sanguinis est fontis cerebrum, uenæ, arteriæ, membranæq; fiunt, mox ex sanguine caro, ossa, cartilagine, totum deniq; corpus perficitur, quousq; quadragesimo post conceptionem die, ut Plinius lib. 7. docet, anima fœtui tribuitur in masculis, at in foemelis nonagesimo. Animati iam corpusculi singule partes augeri, matrisq; alimento nutriri, usq; ad maturitatē solēt: tunc enim in lucem editur. Hæc breuiter de hominis generatione, ex Aristotele & Galeno tradidimus, ad Platonis intelligentiam. Auium autem genus ex nostro ita est apte formatū.) Explicata iam hominis

hominis uniuersa generatione, reliquorum animantium ortus breuiter exponit Plato, ne quid ad tractationem de mundo desit. Post hominis itaque ortum, auium seu uolatilium omnium, quadrupedum, serpenium, & aquatiliū, ac zoophytorum generationes summam tradit: quorum nos singula, Platonem sequuti, declaremus. Animalium tria sunt genera præcipua, quæ pro naturæ suæ diuersitate uariantur: terrestria, aquatilia, uolatilia. Hæc quia in tribus ijs locis potissimum degunt, ea nomina sortuntur. nam uolatilia in aere, terrestria in terris, aquatilia in aquis maxime uiuunt: quanquam genera quedam sunt, quæ amphibia dicuntur, quod partim in aquis, partim in terra degunt. Ad hæc omnia genera innumerabiles animalium formæ rediguntur, de quibus sigillatim dicere longissimū esset: singulæ tamen species propriam habent naturæ uim, ab alijs diuersam. Nam uolatilia omnia aeræ naturæ sunt: ideoq; leuia, & alis ad uolandum prædita, in aere potissimum degunt, propter naturæ suæ consensionē cum illo. Eademq; ijsdem ferè sensibus, quibus reliqua animalia cōstant: tametsi pro speciei uarietate uires quoq; sensuum, & corporum figuræ distinguuntur. Ita fit, ut quot auium formæ, totidem figuræ, & ingenij uires sint. Quæ omnia explicare hic non licet, ne longissimam contexamus historiam. Satis hoc fuerit de illis tradidisse, uolatilia omnia bipeda esse, ac plumis, alis, rostro, unguibusq; munita. hæc enim cōmunia toti generi sunt. Quibus adijci id potest, pleraq; oua parere, licet uestertilioes uiuum edant animal. Cum igitur uniuersa uolucrum natura leuis & aeræ sit, ex duplici hominum uitioforum genere ortas esse aues Plato inquit: uel ex ijs qui leues inconstantesq; sunt, uel ex illis qui coelestium rerum contemplationi uana incubere, frustra; in eo studio laborarunt. Nam ut auium natura leuis & inconstans est, ita homines inconstantes illis similes sunt. Hi ergo, Pythagoreorū sententia, propter uitium leuitatis in discessu ab hac uita in aues mutantur, quemadmodum in superiori bus docuimus. Atq; hoc, quod Plato de coelestium rerum inani contemplatione loquitur, manifestè in eorum hominum genus dictum esse uidetur: qui Genethliaci dicuntur. Hi enim, cum nullam stellarum uim certò cognoscant, nisi ex falsa Indorum, Chaldaeorum, aliarumq; barbararum gentium traditione, ea; sibi uix consentiente, peritissimos se tamen coelestium rerum existimant: falsèq; persuasioni, quam ipsi experimento constare dicunt, credentes, totos se huic contemplationi tradunt. cum in ipso totius artis fundamēto errare se non uideant, ut Plotinus in lib. Vtrum stelle aliquid agant, contra eos scribens demonstrat, cōfirmantq; alij doctissimi uiri tam Christianorum quam Ethnicorum. Quod autem in eiusmodi homines hoc Platoni dicatur, Plotinus in eo libro, Platoniciq; alij docent. Et quamquam Astrologia Plato in Epinomide, alijsq; libris

commendet, illam solum significat, quæ coelorum motibus, uarietateq; temporum cōtenta, nihil ultra requirit: nō tamen hanc Magicam, à demonibus, aut eorum ministris inuentam, quam nemo doctus, probusq; non uituperauit. Gressibilia uero ferarum genus ex his natum hominibus.) Quadrupedia omnia, quæ grauiora sunt, & in terras prona, ex rudibus hominibus orta esse, à Platone dicuntur, ut illorum hebetudinem ostenderet. Vt enim homines rudes sensibus tantum parent, animumq; ad res terrenas abijciunt, nihil sublime cogitantes: ita quadrupedia, atque adeo terrestria omnia animalia rudiora sunt aubus, sensusq; corporeos necessitate quadam naturæ sequuntur, & ad terram deiecta, corporeā solum commoditatem, suiq; cōseruationem querūt. Ideo uasta & dura illis corpora data sunt, quando hebetissimo ingenio sunt prædita. quanquā in quibusdam generibus animalium tanta est ingenij uis, ut dubium inter philosophos fuerit, an animalia bruta ratione prædita essent. Ergo terrestria animalia sensibus ferè ijsdem, quibus homines, cōstāt: ut uisu, auditu, gustu, tactu, olfactu, imaginatione, memoria. Differūt tamen, quod ratione, iudicio, uoluntate, menisq; uiribus alijs carent. nihil enim diiudicant, nihilq; liberè uolunt: sed in id quod appetitus docet, impetu quodā feruntur. Quam ob causam illas inquit Plato animæ partes secuta sunt animalia gressibilia, quæ in uentre & pectore dominantur. id est, cum ratione carcant, quæ in capite, uti antea diximus, est, sequūtur solum irascibile animam, quæ est in pectore, siue in corde: & appetitoriam, quæ in uentre, seu in iccore est. Vt enim partes hæc irrationales sunt, ita eadem animalia has sequuntur. Et cum illa sensus, animumq; totum ad terras deprimant, conuenienti ad id corpore constant, ut Plato docet: quando anteriora membra & capita ob ipsam cognitionem humi penitus defixerunt: & in longum productum ac diuersum corporis uerticem tenuere: quandoquidem ibi propter deficiam singulorum collisi sunt, & confracti circuitus. id est, cum eadem bruta ex agrestibus hominibus nata fuerint, agreste item corpus, & in terras procliue sortita sunt. itemq; cum illa ratione carcant, aut illam saltem nimis perturbatam habeant, collisos habent, & confractos capitis circuitus: id est, non mouetur eorum mens in capite, duplici illo motu eiusdem & alterius naturæ, quem hominibus supra tribuimus. Atq; eam ob causam uerticem in longum productū ac diuersum tenuere: id est, capite obtusissimo & oblongo constant, eoq; planè dissimili à nostro capite, ut in equis, canibus, cæterisq; huiusmodi animalibus cernimus. Hæc tamen probabilitate quadam solum dicuntur ad brutorum ruditatem, corporeq; molis uastitatem explicandam. Cum ergo animalia corporeis sensib. obediētia maxime agrestia sint, infra auium genus ponuntur, quoniam sint ad terras magis depressa. At cum inter illa magnum

la magnum discrimen sit, aliāq; sint alijs ingeniosiora, omnium, inquit Plato, terrestriū animalium insipientissima illa sunt, quae per terras serpunt: ut colubri, serpētes, lacertae, eiusmodiq; alia: quae praeter id quod in speculis degunt, terra etiam aluntur, obtusissimosq; sensus habēt, et pedib. ad ingressū carēt. Haecenus ergo de uolucris, quadrupedibus, ac reptilibus breuiter dictum sit. nunc Platonē sequuti, quartū genus, nimirū aquatiliū subiugamus. Aquatilia omnia in formas innumerabiles diuiduntur, aliāq; figurarū aliarum sunt, itemq; alia in aquis semper, alia et in aquis et in terra uiuūt, quae amphibiae dicuntur. Generatim tamē omnia terrestrib. uastiora sunt, propter humidiorē naturā, qua cōstant: humor enim uastitatē corporis efficit. Item aquatilia omnia, ut Aristot. in libris de Animalibus docet, partim oua, partim uiuos foetus edūt: oua quidē, quaecūque squama integūtur: uiuū aut animal, quae genere cartilagineo. Deniq; terrestribus animalib. hebetiora sunt, ut Plutarchus in lib. Vtrum sint aquatilia terrenis prudētiora, testatur. Eadem enim memoria estimatiōe carent, uisumq; solum, auditū, gustū, tactūq; habēt. Olfactū etiam carere illa necesse est, si spiratiōe carēt: quando animal omne quod respirat, olfactū habet. spiratiōe enim olfactus necessariū fuit, ut Aristot. in lib. de Sensu et sensili testatur. Sed an pisces spirēt, nec ne, dubiū inter multos est: quod ut nos explicemus, breuiter quorundā sentētiās exponamus. Aristot. in lib. de Respiratione, nullum animal, quod sanguine, pulmoneq; careat, respirare posse dicit: quoniā respiratio propter sanguinis calorem refrigerandū animalib. est data, propter respiratiōē autē pulmones sunt effecti. Sed dubiū hinc est, an cum pisces pulmone careant, spirent, nec ne: quando illis respiratiōis instrumēta defunt, et nullus, uel paucus saltem sanguis illis insit, isq; admodū frigidus, qui respiratiōe non eget, ut refrigeretur, cumq; nullus aer intrare in aquas queat. Quibus rationibus, huiusmodiq; alijs Aristot. negat pisces spirare. contrā tamen sentiunt Academici, atq; ipsemet 40 lib. 4. de Animalib. sibi uidetur repugnare, dum olfactum et auditū piscibus tribuit, qui cum aere fiant, in aquas penetrante, necesse etiam est illos spirare: quando quidē nullū animal, Galeni sentētia, olfacere potest, quod idem nō respiret. Et quamuis pulmone illi careāt, credibile est, branchiarū agitatiōe ipsos spirare. Nam uel in ipsas aquas intrare aer potest, utpote subtilior, ut ex undarū agitatiōe in mari cermitur, cuius rei signū esse potest, quod bulle excitantur, dum pisces spirāt, non dū mouētur. motus enim 50 pisces intra aquas excitare illas nō posset, cum aere caret impellente. Huic etiam sentētia Aristotelis Plinius lib. 9. cap. 7. repugnat, qui pluribus rationibus spiratiōē piscium cōfirmat: quas omnes hoc loco recēscere longū esset. Item Theophrastus in lib. de Piscibus idem testatur, ac demū Galenus in lib. de Vsu part. qui pisces nō quidē per fauces, ut anima-

lia terrestria, sed per branchias spirare contendit, eosq; ait ut frigidiores, et minorem sanguinis copiam habētes, minus indigere respiratiōe, quam reliqua. Vnde eo magis respirare pisces inquit, quo plus sanguinis habuerint: ut delphinus, balena, piscesq; alij eiusmodi multū sanguinis habētes, per fistulas quādam spirāt, magnumq; halitū simul cum aqua emittunt, ut experimēto cōstat. Hinc ergo pisces omnes, quibus inest sanguis, spirare cōstat, quādo brachias pulmonis loco habent. Quod autē ad ipsorū sensus attinet, audire illos, olfacere, dormire, gustare, uidere, tactū habere, lib. 4. de Animalib. Aristot. affirmat. Vt ergo ad Platonis sententiā ueniamus, is quidem spirare pisces hic affirmat, uelut reliqui Academici: sed illam tamē respiratiōē dissimilē terrestriū animalū esse docet, cum pisces inquit impura respiratiōe aeris uti: tum quia ipse in aquas subies aer humectus et crassus sit, tum quod caloris parū habeāt, qui spiritū per branchias inspiratū possit extenuare: ideoq; cōueniēs illorū naturae hebetissimae respiratio data est. Igitur ad ostendendā hebetē pisciū naturam, crassissimū ait spiritū illos haurire: quoniam magnus humor, quo iidem cōstant, hebetiores sensus efficit. Eo fit, ut in terrestrib. animalib. acrior ingenij uis sit, quā in aquatilibus. His ita explicatis de uniuerso pisciū genere, hys Plato adiūgit testacea, quae cōmuni nomine cōchylia dicuntur: quoniā in aquis oriri, nutritiq; soleāt. Eadem autē ad plantarū naturā maximē accedūt: ideoq; ζωόφυτα, id est plantae ac animalis naturā quandā mixtam habētia, appellantur. Nam ex animalū genere id habent, quod motu, tactu, gustu, olfactuq; sunt praedita. sed nūm uisum et auditum habeant, obscurū esse inquit Aristoteles lib. 4. de Animalibus. Iam uerō ex plantarū natura, quod alūtur, augētur, senescūt, et quod terre defixa sunt, uel rupibus inhaerescūt. Omnia ergo huiusmodi, quae cōmuni nomine cōchylia uocantur, ex genere aquatiliū sunt, ut in eo libro Aristoteles, et Plinius lib. 9. testantur. Quapropter his explicatis, Timaeus tandem breui peroratione tractationem totam de uniuersitatis natura absoluit, cum ait, Mundum hunc uisibilem ad imaginem illius intelligibilis in Dei mente siti factum esse: ipsumq; animaliam factū, cuncta animalia, tam immortalia, ut iuniores deos atq; homines, quā mortalia, ut bruta omnia cōtinere. Eundemq; sensibilem, maximū, interminatū, pulcherrimū, perfectissimū, atq; unū esse, qui cōmuni nomine θεαυός, id est cælum appellatur: quoniā mundi magnitudo amplissima sit, eaq; nihil sit maius, cum omnia cōplectatur: quodq; interminata sit eius duratio, quemadmodū supra docuimus. Itaque breuis hic Timaei epilogus, totius tractatiōnis summam paucis complectitur: quae cum sius in superioribus explicata sit, denuō inculcari non debet.

F I N I S.

K

RERVM ET VERBORVM IN TI-

MAEI COMMENTARIO PRAECEDENTI

memorabilium INDEX.



- A**
 Academicorū do-
 cendi modus 2.29
 accidens solum
 sensibus com-
 prehendi, substantia minime
 272.10
 adamas ubi potissimum nasci soli-
 tus 331.40
 adamantis color 331.46.55.
 genera 332.5. natura 331.37.
 adiuuans causa duplex 250.26.
 Aegyptus libera ab incendijs &
 inundationibus 37.28
 aegypti natura 37.1. situs 27.48
 Aegyptij antiquissimi omnium ho-
 minum 34.21. & antiqui-
 tatis eorum causa 35.26
 aegyptiorum annus 40.5
 aegyptiorum de Minerva uersus
 27.35
 aegyptiorum mos in describendis
 antiquitatis monumentis 27.35
 aer unde compositus 304.6
 aeris figura 304.20. & 312.24.
 diuersae formae 324.3
 aeris locus quare post ignem pro-
 ximus 304.19
 aeris regiones 324.12
 aes ac ferrum unde 332.23
 aeternitas quid 154.24.43. &
 155.20
 aeternitatis & temporis discrimen
 8.10
 aeternitatis unitas 159.17
 aeternitati nihil cōtrariū 259.4
 affectionis genera, rationē turban-
 tia 371.11. & 373.13
 affectionum animi causae 223.40.
 & 472.55. natura duplex
 352.52
 affectionum remedium ac medici-
 na unde quærenda 466.33.
 & 467.50
 affectus definitio 457.28
 affectū quid Stoici uocent 457.
 54
 ex affectu neminē malū dici pos-
 se, sed ex habitu 463.28
 affectus agrestes 459.29. boni
 464.4. mali ibid. 5. mode-
 rati, naturales 459.30. neu-
 tri & indifferentes 464.5
 affectus hominis uitiosi an neutri:
 item uoluntarij an inuiti, que-
 stio 462.53
 affectus seu animi perturbationes
 unde oriantur 458.28
 affectus siue affectū propensio-
 nes naturales esse, non uolun-
 tarias 463.1
 affectuum causa triplex 463.46
 affectuum diuersitas 464.3
 affectuum duo genera Plato com-
 modis. fecit 459.55. Stoici
 quatuor 458.52 (34
 affectuum potissima radix 457.
 αὐτοῦ unde adpellentur 218.3
 albi coloris definitio 365.17
 allegoriae physicae, tractationi nō
 semper cōuenientes 204.43
 Alpheus 450.57
 alitrix et alteratrix facultas 404.
 44. & 425.22
 Amasis Aegyptiorū rex antiquis-
 simus 26.46
 ἀμβλία 458.7
 amblygonius 291.36
 ἀμύγη 257.51
 amor 369.26
 amphibia 494.13
 ἀνὰ δόξιν 413.38
 analogia in elementis 88.6 &
 93.20
 analogia omnis in quib. rebus uer-
 setur 89.10
 analogia quid 87.25. 44. & 52
 ἀναπνοή 414.13
 ἀναρρωσις 25.9
 anasarca 441.1
 anatomia corporis humani 12.1
 ἀναρπένειν dialogorum genus
 1.47. & 2.12
 angeli, siue dii iuniores, custodes
 hominum 209.28
 anima 477.36
 anima composita ex harmonicis
 proportionibus 220.32. &
 221.50
 anima corporis perfectio 469.
 29 corpore antiquior 113.3
 anima & mens qua re differant
 115.48
 anima ex elemētis quomodo com-
 posita 149.18
 anima foetui utriusq; sexus quan-
 do tribuatur 493.50
 anima, forma animalis 256.38
 anima hominis duplex 190.20.
 & 191.27
 anima immortalis cur ob uicia
 mortalis fieri dicatur 484.19
 anima mundi à reliquis quid differe-
 rat 194.38
 anima mundi, ceterorumq; ani-
 mantiū, iuxta Platonicos ea-
 dem 236.16
 anima mundi in qua parte 110.
 46
 anima rationalis cur demō à Pla-
 tone uocetur 483.53
 Anima rationalis omnium prae-
 stantissima 481.42
 animarationalis quo pacto sit cor-
 poris annexa 483.29
 anima una et multiplex 144.18
 animae affectiones à sideribus pen-
 dere 195.26.38
 animae adpetitoriae partes 379.4
 animae cōnexio cū corpore 191.
 50
 animae descensus in corpora 196.
 42
 irascibilis animae propria. 482.57
 animae morbi & affectiones unde
 oriantur 455.30
 animae mortalis sedes 269.35
 animae motus duplex 11.8. &
 204.27. & 214.48. & 22.40
 animae motus rationalis 142.33
 animae natura duplex 201.23
 animae partes tres, formis bonae gu-
 bernationis respondentes 21.
 12. & 196.26. & 221.22
 animae proprium 215.34.42
 animae rationalis sedes 481.44
 animae sedes in corpore triplex
 360.49
 animae species tres 481.33
 animae uis potissima in capite
 230.10
 animae rationalis locus 362.6
 animae substantia una, uires uariae
 221.12
 cur Animae diuersae facultates in
 diuersis locis attribuantur
 371.21
 animae omnes simul creatae 195.
 40. & 32
 animarum bonarum praemia 202.
 25. & malarum poenae 203.30
 anima

I N D E X.

- animarum diuisio* 194. 44. *et* 195. 22
animarum humanarum propter uitam metamorphosis 203. 20
animarum in diuersas partes seminatio 207. 28
animarum uehiculum triplex 196. 18. *et* 199. 42. *et* 204. 53
animas tres magna quadam proportionem inter se esse connexas 457. 20
animal 402. 32. *et* 457. 12. quid Platonice 153. 45. unde componatur 369. 42
animal sanum unde dicatur 431. 56
animalis munus duplex 297. 31
animalis potentia partes tres 201. 40
animalia gressibilia quas animi partes secuta 495. 27
animalia que nam gulosa dicantur 387. 1
animalia terrestria ab hominibus quid differant 495. 20
animalium omnium communis audiendi modus 355. 40
animalium corpora ex quibus consistunt 426. 33. *et* 430. 35
animalium diuisio 81. 14. generatua 494. 7. quatuor 11. 20. *et* 175. 43. *et* 176. 23
animantia omnia unde consistunt 387. 18
animantium inferiorum prestantissimus homo 199. 19
animantium mortalium natura 190. 3
animantium singulorum triangulos, ad certum tempus uim colligationis habere 480. 50
animasitas 372. 49
animus a Platone dictus 151. 15
animus cum primis excolendus 481. 22
animus oppresso corpore uixit, illo urgente deprimitur 224. 34
animus quid 114. 54. *et* 120. 48. quid Galeno 464. 30
animus quo pacto bonum uel malum demonia sortiatur 484. 57
animi actiones honeste Musis conferuntur 257. 40
animi egritudo 455. 35
ad Animi culturam, salutemque duo remedia Plato proponit 475. 22
animi immortalitas quibus in locis à Platone tractetur 199. 7
animi morbos unde ortum habere Plato senserit 464. 7
animi motus 485. 40. duplex qui sit 228. 20. item qui uerus 476. 12
animi motus litera X explicatur 137. 40. *et* 140. 20
animi humani natura 191. 22
animi natura duplex 208. 35
animi origo per numeros et triangulum explicatur 126. 2. et 128. 20
animi partes due 353. 2
animi perturbationes et uitia, unde nascantur 465. 38
animi propria 345. 8
animi pulchritudo 469. 30. substantia triplex 118. 14
animi substantia media inter corpus et spiritum 117. 23
animi uis triplex 10. 50. *et* 21. 10. *et* 457. 16
animi uires à Platonice sex recensentur 128. 47
animi uires ex corporis habitu sepius intelligi 470. 39
animi uita duplex 141. 42. et 205. 4. *et* 212. 29
animo communia cum corpore, que 345. 6
animorum ex hac uita discessus duplex 202. 20
animorum innumerabilis numerus 195. 46. ordo 194. 20. purificationis modus 205. 32
annus magnus Platonis 172. 12
anni partium quatuor distinctio ex motu solis 172. 50
αἰών 457. 44
apaturia festa in Dionysij honorem instituta 25. 5
ἀποιός quid 314. 46
appetitoria uis anime cur inter diaphragma et umbilicum homini data 404. 2. cur plantae comparata 404. 29
appetitorie anime propria 483. 2. sedes 457. 19
appetitorie cur infimus locus designatus 375. 16
ad Appetitoriam qui affectus referantur 459. 2
appetitus 201. 54
aqua fusilis quid 330. 54
aque figura 305. 3. *et* 312. 22. genera 324. 21. *et* 325. 35. generatio 305. 25. natura una 324. 28
aquarum fontes cur defluere necesse sit 421. 44
Aristoteles, quare à Platone disserrat 4. 38 in explicandis principijs 6. 10. in tempore eternitate describenda 155. 14
aristotelis cum Platone de mundi eternitate consensus 7. 16. *et* 60. 46. item in tollendo uacuo 321. 14
aristotelis et Platonis de respiratione sententia collatio 417. 11
aristotelis in libro de anima ordo 344. 43
aristotelis, quibus mundi rotunditatem probat, rationes 103. 38
aristotelis sententia de uenarum origine Platoni et Galeno contraria 374. 30
arteria aspera 411. 45. *et* 413. 40
arterie 409. 48
arterie due, cur uenis duabus semen conueniuntur 491. 5
arterie cur per pulmones deriuantur 374. 45
arteriarum origo 374. 13
articuli 386. 32
asperitas unde 352. 5
asperum quid 352. 18
astra animata 178. 37
astrorum motus duplex 178. 40
astrologiam Plato quam intelligat 499. 1
athene à Minerva condita 29. 10. 24. *et* 38. 44
Athenarum antiquitas 38. 16. tempestates 41. 20. bellum cum Baco 25. 15
Athemesium belli cum Atlantis origo 42. 50
atheniensium cum Saitis cognatio 27. 6
atheniensium mos in recitandis carminibus 25. 22
athleticam gymnasticen Plato nituperat 479. 15
Atlantica regio, Atlanticum mare 42. 4. 29
Atlantini ab alijs Titanes et gigantes dicti 42. 35
atlantinorum potentia 45. 33
de Atlantinarum bello uarie scriptorum sententia 43. 10
atlantis generatio 42. 26
atomi 113. 56
attractionis causa in magnete et electro

I N D E X.

electro.	421.7	capitis humani anatomia	229.	nunquam coalescit	453.1
attractiva siue attractrix vis	425.	46. cum cælo similitudo	228.	Calcotheonis officina	328.53
15. & 404.42		30		χαρσγινά	14.8. & 455.15
auctrix vis	425.18.	capitis integumentum externum		χίλωρ	205.28
audacia	369.22	399.10		χολή	438.53
auditus 12.33. & 213.9. à voce		capitis iunctura cur facta	401.5	χωράμ	182.22
quid differat	255.17	capitis ossa	391.1	κίρκος	118.8. & 159.28
auditus post visum sensus præstan-		capitis totius fabricam ex medul-		circuli definitio	104.36. medium
tissimus	255.2	la constitui	389.37	349.12	
auditus natura & instrumenta		caro pro humorū miscella	444.	civitates terremotu & inunda-	
361.51. obiectum quod	361.53	22		tionibus absorptæ	46.6
Auerrois error	267.1	carnis generatio, natura, usus, &		cælum anima terre	79.10. quin-
aurum generatio	14.24. 70-	nutritio	394.27	ta essentia	309.33
stra	403.19	carnem & carnosa omnia ex san-		cælum ex elementis compositum	
aurum descriptio	255.28	guine fieri	434.4	96.38. natura ignee	97.7.35.
aurū quare ære & ferro gravius		per carnem eliquatam quid Plato		& 24. & 43. quot modis dica-	
332.33		intelligat	435.35. item per	tur	58.28
auri generatio	331.2. natura	carnem novam	438.44	cælum rerum inferiorum author	
331.5		casus à fortuna qua in re differat		184.11	
auri ramus quid	331.20	263.54		cælū ultimū uerus mundus	178.
B		κάρσις	245.17	7	
Balsamum	336.38	causa prima eterna	51.36. Deus	cæli ac terre coniugium	184.16
beatitudo quibus in rebus con-		186.32. τὸ αἰὲν	51.32. immo	cæli ambitus diuisio	308.52. fi-
sistat	367.48	bilis	189.22	gura dodecaedra	308.44
bilis flaua unde gignatur	438.35	causa prima à philosophis quibus-		cæli motus	7.37. duplex 168.
bilis flauæ præternaturalis, qua-		dam neglecta	251.30	45. & 144.15	
tuor genera	439.7	cause primæ cum secundis ordo		cæli octauæ motus	169.5
bilis uera quæ	439.17	189.37		cælorum orbes	7.38
biliosus succus	435.31	causa secunda, τὸ ὑπὸ τῆς φύσεως	51.37	cognitio humana quæ in re uerse-	
bituminis natura	332.38	cause genus duplex à Platone po-		tur	280.53
βούτυρον	14.11. & 455.19	situm	367.32	cognitione omnem per sensus fieri	
boni descriptio	72.47	inter Causam primam et secundas		53.36	
brachiorum munus	230.41. 52	discrimen	212.23	coitus nimij incommoda	492.10
bullæ, siue ebullitio. & 360.33		cause ἀμύσγιναι	253.1. ἰσάργα-	coloris definitio	364.50
C		σώτης	253.3	colorum diuersitas unde genere-	
Aducus morbus	451.26	cause secundæ ministrant primæ		tur	366.30
calamitates sibi homines sua i-		186.46		colorum genera	365.11. mixtio-
pfi malitia accersunt	209.	causarum connexio	283.57	nis modus ibid. 34. & 331.53	
44		causarum genera apud Platonem		cerebrum initium motus	229.54
calor naturalis	413.41. & 471.	6.20. & 51.55. & 249.40. &		cerebri affectiones	464.55. mem-
55		163.20		brana duplex	399.46
calor præstantissimus qualitatum		causarum omnia genera physico		colorum nomina	366.43
145.48		cognoscenda	263.10	per Colores diuersos quid Plato	
caloris cordis uehementis effectus		causarum inquisitio unde orta		intelligat	435.28
464.31		253.45		commensuratum ac bonum ad pul-	
caloris materia in animantibus		Cecropia	39.8	chrum referri	468.52
419.5		Cecrops Aegyptius, antiquissimus		compositio quid	123.11
caloris vis	345.35	Atheniensium rex	39.7	concentus quid	422.3
caloris & frigoris cause	251.48	κέρκω	229.34	constitutio corporis frigida quid	
caluaria	391.1	κέρκω	389.31	efficiat	464.28
caput, eiusq; partes	389.16	Ceramicus Athenis locus	338.51	consuetudo	465.44
caput hominis cur rotundū	390.	κέρκω, creta, cuiusq; generatio		contorsiones	450.3
54		338.45		contraria cōtrarijs curatur	467.
caput integens caro, qualis	399.	cerebri substantia ac ortus	389.21	49	
17		cerebro quomodo spiritus suppe-		convulsiones neruorū unde crean-	
caput, membrorum præstantissi-		ditemur	400.23	tur	450.12. quæ ratione dis-
mum, membris sedes	229.31	cetnorū sanguis quia tenuissimus,		soluantur	23
				Copernici	

I N D E X

Copernici erroris de terræ motu reprehensio	108.47	tio	23.42	deus rerum omnium autor	265.40
cor 369.51. & 371.56. omnium sensuum origo	359.50	croceus color	365.25	deus solus æternus	188.4. summæ bonum 72.37
cor primò formari	493.46	crura graviora et graciliora quid significant	470.41	Dei cognitio difficilis	63.12
cor quare; uenarum & sanguinis fons uocetur	373.52	cubus quid	307.13. & 308.10. si gurarum solidissima	309.50	Dei definitio platonica 5.33. & 57.21. et 265.25. descriptio 72.27
cordis affectiones	464.1. motus unde	cupido	472.41	Dei nomina apud Platōnem	72.13
corium	402.56	cupiditates in homine secundum naturam gemine	467.33	dei proprium λογισμῶν	79.45
corua	403.58	cutis	402.55	Deum esse, omnibus natura in se	63.15
coronalis sutura	399.27	cutis duritiem, hebetudinem ingenij significare	403.2	de Deo difficilis inquisitio	265.15
corpus 368.50. capiti cur subiectum	230.15	cutis generatio	403.7	in Deo nihil esse, quod non sit eius essentia	57.29
corpus bifariam consumi	471.48	cyrenaici succi natura	336.16.33	dij decorum qui	187.12
corpus hominis totum rotundum	229.12	κύστις	410.8	dij iuniores apud Platonem qui	11.36. à Deo quid differant 208.51
corpus humanū ex triangulis, id est qualitatibus elementorum constare	432.26	D			
corpus materia animalis	250.32	Dæmon quid	483.35	decorum à Platone descriptorum origo	183.34
corpus uasū quid denotet	470.18	dæmon à Platone animus dictus	484.15	decorum iuniorum immortalitatis cause	189.4
corporis ac animi salus quomodo conseruetur	473.4. & 475.1. & 476.26	dæmon Socraticus	485.16	decorum inferiorum principia duo	183.43
corporis animati facultates communes	457.14	dæmonem electū nemo hominum mutare potest	485.7	de Decorū numero discrepantes philosophorum sententiæ	63.55. et 64.10.20
corporis cōstitutio ad animi proportionem confert	224.54	dæmonem familiarem per uirtutes excoli	484.34	decorum ordo apud Trismegistum	180.44
corporis & animæ coniunctio qualis	201.5	dæmonē quālibet eligere cui que concessum	485.4	decorum tria genera	175.34
corporis humani ex elementis constitutio qualis	12.23	dæmones	175.13	per Deos deasq; quid Plato intelligat	49.43
corporis imbecillitas unde oritur	471.18	dæmones æterni & facti quomodo dicantur	187.44	διανόσµωσις in mundo	20.29
corporis influxus et effluxus quid	214.30	dæmones esse trifariam intelligimus	484.1	διαίτησις 14.9. & 455.17	481.4
corporis instrumenta quatuor	230.32	dæmonum ac cœlestium decorum discrimen	184.10.18	diætæ commendatio	481.4
corporis naturā animi mores perpetuò sequi	464.37	dæmonum et mundanorū decorum officia	184.44. & 187.4	dialogus quid	1.28
corporis perfectio & pulchritudo, anima	469.29	dæmonum ordo	175.15. ordinis quinque	dialogorum Platoniorum formæ	1.39. & 1.2. finis 226.3
corporis solidi resolutio	289.34	dementia 455.32. eiusdē duo genera	483.57	dialogos cur scribat Plato	1.18
corporis temperiē necessariò animi uiribus accommodari debere	470.10	dementia humana cur Deus diuinandi uim dederit	376.10	διαβόλα, uel intelligentia	52.40
corporum omnium dimensiones tres	95.43. & 289.30	denarij numeri perfectio	206.52	διαπάσων 124.28	124.27
corruptionis causa	100.53. & 345.46	Deus à Platone pater et author dictus	63.50. & 187.31. item τὸ ὄν αὐτῷ 51.26. & causa uniuersalis omnium 49.23. et efficiens causa necessaria	55.25	diapente . 124.27
κόσμος	177.43	deus & idea idem	66.23	διαπνοῦσα, uel διαπνοῦσα γυμνασίου quid Platoni	481.10.12
Cramtor antiquiss. Platonis interpret	43.7	deus ex effectis rebus agnoscitur	64.46	diaphragma et phrenes idem	369.41. & 372.7.44
crater Dei	193.16.35	deus inuocandus in principio cuiuslibet operis	48.4. & 47. & 49.34	diaphragma respirationis instrumentum	448.13
Critiæ iunioris cum Solone cognatio		deus mali autor non est	188.23. & nū mali alicuius sit causa	75.6	diaphragmatis intensi nimium, symptomata 448.13
					diaphragmatis motus unde 372.12
					diarrhoea 446.29. & 453.41
					diatessaron 124.25
					dies naturalis 171.16.24
					diluuium temporibus Noë 38.4
					K 3 dimensio

INDEX.

<i>dimensio in corpore triplex</i>	216.3	<i>elementorum trium inter se com-</i>	261.13
<i>in Disciplinis quomodo progre-</i>		<i>mutatio</i>	297.2
<i>diendum</i>	275.50	<i>elementorum uarietas</i>	286.51.
<i>disdiapason</i>	124.31	<i>uerse uires</i>	290.35
<i>disimilares partes</i>	387.22	<i>de Elemētis Platōis sentētia</i>	8.26
<i>diuinatio per somnium quomodo</i>		<i>Empedoclis & Heracliti dictum</i>	
<i>in icore fiat.</i>	379.29. et 380.46		43.20
<i>diuisio in aequales partes fieri de-</i>		<i>empedoclem Plato in rerum ini-</i>	
<i>bet</i>	50.46	<i>tijs statuendis imitatus</i>	285.15
<i>docendi ordo duplex à philoso-</i>		<i>ἐμπεδοκλέους</i>	450.10
<i>phis omnibus explicatus</i>	50.10	<i>οὐδεντινὸν dialogorum genus</i>	1.
<i>doctrinæ ordo ab uniuersalibus ad</i>			47. & 2.11
<i>singularia procedit</i>	264.37	<i>ens intelligentia & ratione perci-</i>	
<i>dolor</i>	369.21. & 458.47	<i>pitur</i>	34.14
<i>doloris ac uoluptatis origo</i>	353.	<i>entis distinctio</i>	50.35. & 56.18
	18. & 354.48	<i>ἐντελέχεια</i>	213.35
<i>doloris causa duplex</i>	255.15	<i>ephaltes, seu incubus</i>	451.37.41
<i>doloris causæ ob spiritū à pectore</i>		<i>epilepsia</i>	451.10. cur sacer mor-
<i>expiratum</i>	449.26	<i>bus uocetur</i>	451.48
<i>doloris definitio</i>	353.25	<i>epilepsie causa præcipua</i>	451.
<i>διόπτρα</i>	25.8	<i>21. triplex locus</i>	451.11
<i>dysmenetria</i>	446.29. & 453.41	<i>epilepsiam & ephialtem apud me-</i>	
		<i>dicos idem esse</i>	451.38
E		<i>Erichthonius</i>	58.56
<i>ἐκπαλι</i>	414.11	<i>errantium stellarū qualitates</i>	97.1
<i>educationis ac institutionis recte</i>		<i>essentia intelligibilis</i>	50.56
<i>commendatio</i>	465.57	<i>essentia mutabilis</i>	50.57
<i>ἐκπαιδευσις</i>	389.31	<i>essentia omnis duplex</i>	50.54. &
<i>ἐκπαιδευσις</i>	470.5		61.27
<i>ἐκπαιδευσις</i>	414.12	<i>exemplar ab imagine qua re disse-</i>	
<i>elemento unicuique naturalis locus</i>		<i>rat</i>	70.47. & 71.25
<i>destinatus</i>	322.27	<i>exemplar αὐτοψίας</i>	190.51
<i>elementa impura</i>	95.32	<i>exemplaris causa</i>	35.40
<i>elementa num actu insint corpo-</i>		<i>exercitationis effectus</i>	475.35
<i>ribus, an potestate</i>	432.8	<i>expultrix uis</i>	404.46
<i>elementorum corpora quatuor, et</i>			
<i>subiectum unum</i>	270.56	F	
<i>elementorum figuræ</i>	287.13. &	<i>Abarum usum cur Pythagoras</i>	
	289.47	<i>discipulis suis interdixit</i>	
<i>in Elementorū figuris demonstran-</i>			382.57
<i>dis Plato Geometria utitur</i>		<i>faciei partes</i>	231.38
	289.53	<i>facultates animi cōmunes</i>	457.10
<i>elementorū formæ et numeri</i>	287.	<i>facultates naturales animæ appeti-</i>	
	16. generatio 293.22. impuri-	<i>torie propriè attribui</i>	425.
<i>tas quid conferat</i>	324.40		24
<i>elementorum inter se commutatio</i>		<i>facultates rationalis animi cōmu-</i>	
<i>nes</i>	8.40. & proportio 315.	<i>nes</i>	457.13
	50. & 316.10	<i>fatalis Parcarum fusus</i>	262.36
<i>elementorum locus</i>	286.37. magni	<i>fatales leges</i>	197.27
<i>tudo</i>	289.21. motus 292.10	<i>fatum duplex</i>	197.48
<i>elementorū mutationis causæ</i>	318.	<i>fatum in actionibus humanis nul-</i>	
	6. & 319.10	<i>lum</i>	197.53
<i>elementorum omnino duo princi-</i>		<i>fatum quid</i>	6.41. & 197.43. i-
<i>pia</i>	296.25. ordo diuersus	<i>tem Platoni quid</i>	256.15. &
	285.41. origo 267.46		261.17
<i>elementorū qualitates primæ</i>	10.	<i>fatum quibus terminis cōtineatur</i>	
	9. & figuræ 8.28. & qualitatū		198.14
<i>coniugationes</i>	95.10	<i>fati uaria apud Platonem nomina</i>	
		<i>febris quartana unde</i>	454.38. item
		<i>quotidiana</i>	454.35. tertiana
		<i>ibid.</i>	37
		<i>febris definitio</i>	454.28. origo 15.
			28
		<i>febris tria genera simplicia</i>	454.
			32
		<i>febres amphimerinæ ad quotidiana-</i>	
		<i>nam proximè accedunt</i>	454.
		<i>40. à continuis quid differant.</i>	
			42
		<i>februm causæ, & formæ</i>	454.2.
		<i>fel</i>	384.34
		<i>felicitatē utram in quo Plato po-</i>	
		<i>suicit</i>	486.6
		<i>ferrum</i>	421.20
		<i>ferri generatio</i>	332.28
		<i>per Febres quid Plato intelligat</i>	
			453.3
		<i>figurarum mathematicarum disse-</i>	
		<i>rentiæ</i>	102.30
		<i>flauus color</i>	365.24
		<i>fluxionum siue ποσότητων causæ</i>	
			472.14. cōmunis causa 472.
			28
		<i>foemine cur sint ortæ</i>	490.6
		<i>foemine cur uiris imbecilliores ac</i>	
		<i>molliores</i>	488.37
		<i>foemine ac uiri inter se quid disse-</i>	
		<i>rant</i>	488.43
		<i>foeminarum corpus à uirili quid</i>	
		<i>differat</i>	450.20
		<i>foeminarum generatio</i>	14.17
		<i>foeminarum ortus</i>	486.16
		<i>foeminas in secūda generatiōe, cur</i>	
		<i>Plato ex uiris oriri senserit.</i>	
			488.34. & an rectè 489.3
		<i>foetus, animal cur dicatur</i>	492.
			49. unde gignatur 434.1. cur
		<i>fit animatus</i>	492.47
		<i>foetus formatio</i>	493.36
		<i>forma ab idea quid differat</i>	274.
			5.43
		<i>forma prima</i>	57.33. duplex 58.2
		<i>forma proli similis</i>	229.11
		<i>formæ essentiam ab ideis recipiūt</i>	
			279.17
		<i>formæ rerum simulachra</i>	274.28
		<i>formarū uarietas in subiectis</i>	273
			12
		<i>fortuna causa accidentaria</i>	263.
		<i>40. generationis subiectū</i>	263.
			30
		<i>fortuna in rebus nulla</i>	264.9
		<i>fortuna quid</i>	6.45. & 253.14
		<i>fortune definitio</i>	263.34
			frigidi

INDEX.

frigidi vis	346.10	ὁμαλότατος quid	319.51	idea quid	536. & 55.55. & 56.
fundamenta generationis animi		Homericæ catena.	262.28	idea eadem quo modo considerare	57.1
tria	117.38	homo cur ab infātia ad uirilem		idea patri comparata	276.9
G		usq; ætatem augetur	425.26	idea uaria nomina	56.1. & 81.
Galenus cur Platonem de febribus reprehenderit	454.12	homo duplex	461.9	ideam esse, demonstrationes	66.
Galenus obiectio cōtra Platonem, de respiratiōe, cōsūtatur	418.30	homo imago Dei	227.50	idea ubi sint	56.15
gangræna	444.8	homo cur in senectute diminuat	425.30	idea animalium in archetypo	175.1
gemmarum generatio	338.16	homo μικροκόσμος	228.3	de Ideis scriptorū Christianorum sententia	56.40
generatio cur à Deo & natura instituta	489.54	homo sensituius & corporeus	461.111	iecur 375.25. & 378.12. & 384.34. & 424.40	
generatiōi factus quæ necessaria	490.35	homo uerus, intellectuius et incorporeus	461.14	iecur à Platone cur bellæ cuidā compararetur	378.45. & plan. ibid.22
genethliaci	474.43	hominis diuinam partem Deum ipsum effecisse, mortalem uerò deos iuniores	371.2	iecur animæ appetitiuæ sedes	378.20
glaciæ generatio	333.30. et 334.5	hominis facies, animi index	231.31.46	iecur omnis sensus expers	378.21
γόμενοι, cuneoli	213.47	hominis forma duplex	200.14. & 219.55	iecur uenarum omnium origo, & altriciæ facultatis initium	378.49
Grecia multas inundationes perpeffa	35.14. & 38.20	de Hominis partibus	11.45	iecoris affectiones	464.8
Græcorū origo ab Asiānis	29.10	hominis uita duplex	53.43. in quibus consistat	iecoris amaritudo dulcedoq; cur ad animæ cupiditatem excitandam, compefcendam ue confectat	379.56
grandinis generatio	9.26.30. & 325.45. & 333.20.59	hominem bifariā intelligi	484.37	iecoris caua uena, cur in dextrum cordis sinum deriuetur.	378.37
Gratiæ	257.6	hominem nihil uel malè uel rectè inuitum agere, contra Platonē qui statuant	462.44	iecoris natura.	378.33. sedes. ibid. 11. usus
grauè quid	348.22	homines calidi & humidi, cur præ cæteris, morbis obnoxij.	480.10	ignis	409.73
de Graui & leui Aristotelis cum Platone consensus	348.34	homines cur ex mala educatione deteriores fiant	466.8	ignis diuersa genera	323.37
gula	411.45. & 413.40	homines quare ἀργυνοὶ dicti	170.34	ignis figura	301.4. et 312.25. generatio
gustus quid	12.35. & 213.10	homines unde mali efficiantur	461.27	ignis in hominē facultas	943.26
gustus eiusdem ferè naturæ cum tactu	258.22	horologiorum umbræ	208.27	ignis qualitas	272.29
gustus unde sensum mutuatur	398.1	humidorum mixtorū causæ	326.7	ignorationem & affectum effe in causa, ut inuiti agamus	462.36
gymnasticæ dieteticæ pars.	455.23	humores obstruentes pulmones ex capite oriri	447.40	imaginis diuersa natura à speculo	282.14
gymnastica duplex	479.11	humorum corruptio	435.20. & 436.28. & 437.6	imbecillitatis corporū causæ	472.4
gymnasticæ commendatio	478.45	humorum distinctio	424.23	impetus appetitiuæ animæ unde	458.23
H		quatuor Humorū, quibus corpus cōstituitur, usus	464.18	imperitia	453.34
Harmoniarū tria genera	125.10	hydrargyrum, argentum uiuum	330.43	imprefionum humidarum generatio	326.50. materia
hebetes & agrestes homines, duri corporis: subiles autem, mollioris	470.21	ἡλκ, uel mundus quid	76.3		10
ἡμιμονικόν	249.37	ὑπερβόλις	118.4	incendiorum & inflammationis quæ causa	36.10. & 48
ἡλκ	168.28	ὑπερβόλις dialogorum genus	1	inclinationum diuersitatis in corporibus humanis ratio	190.30
ἡμιγύμνωτος quid	296.43			inductio duplex	5.2
heraclius lapis	416.24				infamia
Herculis columna	44.54				
Herculei freti situs	44.34				
hermaphroditi	489.7				
Hermetis Trismegisti columna	37.39				
heroes qui	175.11				
Hesiodi chaos	289.53				
Threogonia eiusdem	183.29				
ἡσυχία	244.50				
ἡρόδοτος	118.6				
hierarchia cœlestis	154.50				
hieroglyphicæ literæ	37.38.45				

I N D E X

Digitized by Google

I N D E X.

L Nilus

I N D E X.

platonis

INDEX.

platonis modestia 183.6. & 294.
 25
 platonis ordo in *Timeo* 50.21. &
 59.26
 platonis prudentia 225.53
 platonis sententia de pulmonum
 usu discutitur 377.11
 platonis tractatio quatenus ab A-
 ristotele differat 4.38
 platonem in explicatione constru-
 ctionis mundi, Aristoteles imi-
 tatus 260.45
 platonice philosophiæ ordo in re-
 rum naturalium descriptione
 127.18
 platoniconum dialogorum forma, ge-
 nera, distributio, &c. 1.39. &
 2.2
 πλάτωνος 410.56.
 pluviæ generatio 9.26. et 325.46.
 & 333.20
 poli varia acceptio apud Platonē
 181.24.
 potionis discursus quomodo Pla-
 to intelligat. 490.46. et 491.34
 potionem Plato pro semine acci-
 pit 492.3
 πρᾶκτικὸν dialogorum genus 1.
 43
 precatione Deo coniungimur. 49.
 10
 principium rerum omnium pri-
 mum Deus 51.10
 principia rerum naturalium apud
 Platonem tria 5.30. & 51.53.
 & 253.16. ante mundum natū
 284.6
 privationē Aristoteles primus in-
 ter principia retulit 276.51
 prolis generatio 276.15
 Prophetæ quibus præesse debeant
 376.34
 proportio multiplex quæ 133.27
 proportio Arithmetica. 88.33. mu-
 fica ibid. 40. geometrica. ibid.
 37. superparticularis 123.32.
 superpartiens ibid. 35
 providentia quid 6.39
 providentia Dei 186.43. de no-
 bis 49.5
 providentia triplex 186.48
 prudentiæ opus 376.32
 prudentiæ origo 253.46
 prudentis officium 376.18
 pruine generatio 9.32. & 333.
 25. & 334.17
 pueri & senes ratione cur minus

utantur 217.12
 pulchritudo 468.27.41
 pulchritudo duplex 468.36
 pulchritudinis & symmetriæ for-
 mam perfecti cur ignoremus
 468.14
 pulchritudinis ueræ & commensu-
 rationis in homine quæ sit causa
 469.22
 pulchrum 468.1.26
 pulmo cur cordi attribuitur 374.
 39
 pulmo quinque fibris cordi alliga-
 tus 492.20
 pulmo respirationis instrumentum
 447.30
 pulmones 371.57. & 376
 pulmones trifariâ obstrui 447.
 37
 pulmonum usus 377.14
 pulmonibus tria genera uasorum
 376.57
 purgationum uarietas 478.49
 purpureus color 365.27
 πυκρότης 436.1
 pyramis quid 300.18. et 301.57
 pyramis figurarum acutissima 301.
 14
 pyramidis descriptio geometrica
 301.36. & 302.10
 Pythagoræ regeneratio 203.34.
 metempsychosis siue animo-
 rum commigratio 488.54
 pythagoræ uersus de inuocando
 Deo 49.29
 pythagoreorum de animis hominum
 opinio 34.35
 Q
 Vadratum 273.1
 Quadrupedum generatio, siue
 ortus 14.27. & 495.6
 qualitates primæ. 268.2. incorpo-
 reæ 313.54
 qualitatum primarum ex compa-
 ratione aut intemperie quomo-
 do sanitas morbus ue nascatur
 430.58
 qualitates secundæ, earumque descri-
 ptiones 10.13. 20. & 347.
 22
 qualitatum secundarum natura et
 ordo 347.30
 qualitatum connexiones quatuor
 271.4
 qualitatum contrariarum coniu-
 gationes 314.41
 qualitatum contrariarum disidiū

43.40
 qualitatum pugna 346.55. &
 347.37
 qualitatum rerum temperiem quæ
 labefactent 430.54
 quaternarij numeri perfectio 93.
 30. & 176.47
 quinarij numeri dignitas 309.16
 R
 Ratio 457.48
 Ratio & mens præstantiss. ani-
 mi pars, appetitoria abiectiss.
 omnium, irascibilis uerò inter
 utranq; media 372.20
 ratio in belluis qualis 204.10
 ratio perturbata 223.10
 rationis propriū quod sit 459.17
 rationalis anima homini ratione
 utenti, irascibilis leoni, appe-
 titoria belluæ uariæ ac multi-
 plici comparatur 372.28
 rationalis anima quādo dormiat,
 aut uigilet 382.50
 rationalis animæ sedes. 457.18
 rationalis animæ proprietates. 483.5
 rationalis animæ uis in capite, ira-
 scibilis in corde, appetitricis in
 epate 371.16
 regionum natalium naturam &
 aerem, etiam temperamentum
 immutare 464.33
 respiratio quid 416.39. quomo-
 do generetur 13.5
 respirationis difficultas 447.15
 respirationis duplex pars potissi-
 ma 449.7
 respirationis modus, & causæ
 417.3. & 419.1
 respirationis instrumentorum af-
 fectiones, quibus de causis ori-
 antur 448.33
 respirationis organa uaria &
 multiplicia 449.32
 respirationis paruæ signum. 443
 respirationis usus triplex 414.23.
 & 416.50
 in Respiratione, inspirationē &
 expirationem requiri 416.54
 Reipublicæ bene constitutæ for-
 ma duplex 21.5
 rerum genera quinque 117.53
 rerum omnium duo uniuersalia
 initia 60.37
 rerum omnium tria initia, nec plu-
 ra, nec pauciora 266.30. 42
 rerum sensilium nulla uera scien-
 tia 54.33
 L 2 reten trix

INDEX

retentrix nls	404.43. & 425.	491.14	solis & lune motu temporum di-
16		semen lapideo ambitu circumal-	stinctio nascitur
papir cides	399.21	lari cur Plato dixerit	170.2
Rhetorice partes	257.13	semen unde generetur	Solis, Veneris & Mercurij cursus
scilicet	225.13	seminis natura	cur aequales
rubigo quid	332.48	seminis ortus	164.52. & 165.
rubiginis cause	332.52	semini virili cur Plato imperiosam	50
rubri coloris descriptio	365.23	nim attribuat	Solon Atheniensis in poesi excel-
S		seminalia uasa duplicia	lens
Acer morbus	445.30	& 490.51	Solonis in Aegyptum peregrina-
Saiterum regio Delta	27.45	seminaria uasa cur semper semine	tio
salis effectio	340.2	oppleantur	26.9
salis natura	340.8. utilitas. ibid.	semitonium	Solonis uite brevis descriptio. 25.
18		senarius numerus generationi cō-	42. & 52
salina medium gustus	258.37	petit	solstitia duo
saluginem succus unde efficiatur	395.6	senectus quid	172.46
sanguis	384.42. & 422.45. &	sensatio quid	somnus quid
459.46. animalium uehicu-		senilia in hoc mundo, in Deo in-	242.35. & 244.42
lum	362.14	telligibilia	somni generatio
sanguis unde coeat	452.52	sensus cur in capite acutiss.	12.52
sanguinis effectio	424.13	sensus in mundo qui,	somni que causa
sanguinis & caloris duo instru-		sensus quid	242.20. et 243.
menta	419.7	quo modo fiat	21. & 244.35
sanguis in corde calidissimus.	419.	in Sensu unoquoq; tria necessaria	sonus quid
10		237.56. & 241.47	spacium quid
sanguinem in homine non esse pu-		sensus animi nunciij	spasmus ex siccitate deterrimus
rum, neque syncerum	438.16	sensuum exteriorum error & in-	450.29
sapientia quid	69.18	constantia	spes
vera Sapientia	52.54	sensuum exteriorum origo	369.24
saporis definitio	258.40. &	28. qualitates	σφακισμός
359.18		natura	441.53
per Sapoies amaro, salso & aci-		sensuum origo	σφακισμός
dos, quid Plato intelligat.	435.28	sentiens anime facultas	444.1
saporum differentie	359.1.16	& 217.3	ibid. 11
saporum septem forme	12.36.	septenarius numerus perfectus &	sphaera descriptio
uaria genera	360.2. duo ge-	plenus	104.40
nera precipua	258.45	septum transuersum	spina, siue dorsum
Saturni constitutio	228.41	sermo	371.55
scalenus quid	291.34. & 294.	serum quid	391.10
55		siderum erraticum ordo à Plato-	cur Spina ex multis rotundis ossib.
scalenus ab isoscele quid differat	293.39	ne traditus	id est uertebis constet. 391.27
scalenus trianguli natura & pre-		pars similis quid	cur Spina articuli quidam addan-
stantia	294.23.40. & 296.	similares partes	tur
19		partium similium compositione	spina uertebrae
sciencia apud Platonem quid	69.	ex humoribus constare	391.19
14		Platonis & Aristotelis sententia,	spiritus
sciencia nostra, recordatio prio-		de similium partium ortu à Ga-	384.43
ris uite	34.38	leno improbata	spiritus uitalis omnium sensuum in-
scientie & opinionis discrimen	69.11. & 70.50	Simonidis responsum ad Hieronē	strumentum
semen	459.56	tyrannum de Dei natura	242.11
semen cur animaribus in emissio-		28	in Spiritus attractione, que nam
ne afferat uoluptatem & tristi-		fol	considerentur
tiam	460.24.28	sol pater dictus	414.10
semen etiam feminas emitte		sol & luna mundi oculi	spiritui uite duplex instrumentū
		solis constitutio	necessario
		solis deferens orbis	419.45
		solis motus	spiritus animales
			464.25
			spiritus quomodo cerebro suppe-
			ditentur
			400.23
			spirituum animalium usus
			471.17
			splendor quid
			366.32.
			σφαις
			118.7
			stelle nature ignee
			170.14
			stellarum erraticum natura
			166.37
			σφαις quid
			276.50
			σφαις
			371.58
			Stoicorum & Peripateticorum de
			ideis sententia
			57.50
			sudoris lachrymarum & urinae ge-
			neratio
			441.12
			superficies à colore quid differat
			364.56
			substantia & qualitas elementorum
			271.46

substantia

I N D E X.

substantia natura uerè exiſtens à Platone dicta	281.55	teſtes	459.52	ascendens, in duos ramos diuiditur	492.17
subſtancia quibus partibus conſtet	282.35	τίταρος	450.12	uena caua cur à pulmone prope ſpinam anneſtatur	492.18
ſubſtantie diuiſio	121.44	βάρος, gypſum	339.20	uene	409.43
ſutura caluarie tres	399.22	Theologia à philoſophis Meta-phyſica dicta	182.56	uene dorsales	407.33
ſuturarium in homine magna differencia	401.10	διεργματικὸν dialogorum genus	1.42	uene due ſemen cõtinentes, unde oriantur	491.4
ſymmetriã cur Pythagorici in bonorum ordine paſuerint	468.56	Thetys quid	184.20	uena pro arterijs	374.16. &
συμπάθεια quid	78.7	thorax	371.54	448.27	
ſympathia & antipathia in rebus naturalibus	99.2	thoracis uertebra ſeptem, ceruici annexæ	391.22	uenarũ deſcriptio atq; uſus	407.30. & 408.9
ſymphonia quid	113.50	θερμικὴ	379.2	uenarum origo	374.17
συνοδεία	249.45	θυμὸς	202.8. & 201.44	uenerca uoluptatis affectionem, Plato inter animi perturbationes connumerat	460.18
συνοδεία	240.6	Timeus geometrie ſtudioſus.	54.47	uenercus appetitus unde	492.36
συνομόμορ ἀγγορ	202.50	timæus Platone antiquior	3.47	Venus	228.46
T		timæus Pythagoreus	49.25. & 260.26	ueneris epicyclus	166.3
Tactus quid	12.38. & 213.8	timæi argumentum	5.20. & 4.17	ueneris intemperantia	456.4
ταυτὸν	396.8	timæi cum Parmenide conſenſio	4.7	uentriculus	386.46
τακτικὸν	354.33	timæi de uniuerſitate liber	4.5	uertebrae cur Plato uertigines ac rotulas uocet	391.32
τακτικὸν	86.6	timæi inſtitutum	227.4	ueſicam quid Plato proprie uocet	491.56
τακτικὸν	118.5	timæi oeconomia	4.21	uigilia quid	13.3
τακτικὸν	435.55	timæum cur à ternario numero exorſus Plato	20.8	uigilie cauſa	243.28
τακτικὸν	435.56	Titanicum bellum	45.35	uillos ac ligamenta ex glutinoſa portione fieri.	434.6
Tellus deorum mater	180.40	tonus quid	123.16. & 124.35	uini natura	334.39. & 335.6
tempus quid	154.22.40	toni diuiſio	124.40	uini qualitas	334.44
tempus ab æternitate qua in re differat	154.34. & 155.11	tractionis modus duplex	367.44	uini uſus quibus prohibitus.	335.5
tempus cum coeli motu ordinatũ	61.50	triangulus figurarũ omnium principium	290.15	uiri & feminae in quibus conueniant, aut differant	489.35
tempus duplex	62.56	triangulum generationis initium	290.24	uiri ſemen quomodo à matrice recipiatur	490.30
tempus imago æternitatis	8.5	triangulorũ uariæ formæ	290.34	uiridis color	365.26
tempus meſura motus	157.49	triangulorum uires uariæ elementis reſpondentes	291.10	uiſio quo pacto fiat	235.26. & 236.40. & 239.54
temporis differencie	159.50	trinitas Dei indiuidua, à Platonicis adumbrata	153.33	uiſionis ad rectum modum que requirantur	245.42
temporis partes	155.48	trinitas ethnicorum nulli cognita	64.24	uiſus quid	12.29. & 213.6. & 240.41
de Tempore philoſophorũ uariæ opinionones	154.30	de Tumoribus præter naturã, qui à bilis incēdio gignũtur.	452.14	uiſus deceptio	246.45. et 247.50
tenſiones ſeu ſpaſmi	450.2	V		uiſus erroris que cauſe	248.38
ternarij numeri dignitas	20.5. et 87.30	Vacuam in rerum natura nullũ	320.46. & 321.24	uiſus impedimenta	241.52
perfectio	189.55	uapores cur ad cerebrum ferantur	472.19	uiſus medium	238.47
terra	446.39	uaporum exhalatio	326.32	uiſus obiectum	86.5. & 364.8
terra deorum intra coelum antiquiſſima	180.27. & 297.45	uariolæ	440.24	uiſus offenſio	185.54
terra ἀμύθηρ	39.37	uaforum ora in corde quatuor	374.20	uiſus præſtantia	253.35. & 254.14
terra dici et noctis effectrix ac cuſtos	180.48	nates	376.34	ad Viſum efficiendam tria neceſſaria	235.44. & 240.48.
terra fixa & immobilis	181.20	uectionis utilitas	479.18	uita hominis duplex	383.30
terra ἰσχυρόν	181.45	uena caua	403.12	utiligimis tres ſpecies	450.56
terra in medio uniuerſi ſita	179.50	uena caua à iecore prope ſpinam		utiligines	450.54
terre figura cubica	308.2. & 312.21			uitium in mala electione duobus	
terre generatio	307.1			L 3 modis	
terre umbrae figura	181.3				
terre motus cauſe	46.14				

INDEX.

modis contingere	462.39	noluntatis necessitas electionem se	tur	391.10	
nitri natura	340.50	quitur	462.20	uteri suffocatio	493.30
Vitruvius	229.13	voluptas	369.20. & 458.46	Vulcani & Minervae coniugium	38.50
unguium generatio	403.13. usus	voluptas & dolor perturbationū		Vulcani & Minervae fabula de o-	
ibid. 23		summa capita	354.43	rigine Athenarū, ad physicam	
ungulae	403.18	voluptatis definitio	353.26	refertur	39.17
universitatis constitutio reipubli-		vox quid	255.14. & 422.5	inlue, seminis avidū animal.	493.
cae comparatur	20.38	vox nuncia mentis	255.47	13	
universi ordo duplex	45.4	vox cur auditui connexa	256.10	finis inlue cur ampli	491.30
volatilium natura	494.18	vox quo modo fiat	255.43	inlue vis	491.23
volucres ex duplici hominum vi-		uocis cum auditu cognatio	255.		
tiosorū genere esse ortae.	494.	10			
32		uocum differentiae	362.27		
voluntarium	462.32	uterus	460.8		
voluntas	263.17	uterus mulierum bifariam dividi-			

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS
Oporini, Anno Salutis humanae M. D. LIIII.
Mense Augusto.



SEBASTIANI FOXII Morzilli Hispalensis commēta- tio in decem Platonis libros de Republica.

Ad amplissimum uirum D. ANTONIVM PERENO-
TVM Attrebatensium Episcopum, Regiumq̃
supremum Consiliarium.

*Accessit copiosus rerum atq; uocum præcipuè obser-
uandarum INDEX.*



Cum Cæs. Maiest. gratia & priuilegio
ad decennium.

BASILEAE, APUD IOAN-
nem Oporinum.